




600095467.

# IN S. GREGORII NYSSENI
# ET ORIGENIS
## SCRIPTA ET DOCTRINAM
NOVA RECENSIO
## CUM APPENDICE DE ACTIS SYNODI V.
OECUMENICAE

PER ALOYSIUM VINCENZI
IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM
PROFESSOREM

**VOLUMEN V.**




ROMAE
EX TIPOGRAPHIA BERNARDI MORINI
1869.

# APPENDIX PRIMA

IN LIBRUM PHILOSOPHUMENON


**CAJO, TERTULLIANO. HIPPOLYTO, ORIGENI,**

**ALIISVE PRISCIS ECCLESIAE PATRIBUS**

PERPERAM INSCRIPTUM

**LUCUBRATIO**





---

# APPENDIX SECUNDA

DILUUNTUR ANIMADVERSIONES

**CC. DOCTORUM FREPPEL, SCHEEBEN ET HERGENRÖTHER**

IN RECENSIONEM DOCTRINAE ORIGENIS

**ET HISTORIAE SYNODI V.**

**APPELLATIO AD THEOLOGOS PRO RECOGNITIONE CAUSAE ORIGENIANAE**



---

# APPENDIX TERTIA

LECTIONES VARIAE

**COMMATIS IX. CAPITIS XIX. MATTHAEI**

ERUTAE AB ANTIQUIS PATRIBUS ET CODICIBUS GRAECIS
ET LATINIS

**DISQUISITIO CRITICA**

GVSTAVO . DE . HOHENLOHE

E . GERMANIAE . DYNASTIS

PATRI . CARDINALI

ARTIVM . OPTIMARVM . PATRONO . MVNIFICO

CVI . NIHIL . TVTELA . ET . INCREMENTIS

CATHOLICAE . RELIGIONIS

EST . GRATIVS

HOS . AD . VERITATIS . PRAESIDIVM

INSTITVTOS . LABORES

DEDICAT

ALOISIVS . VINCENTIVS

# APPENDIX PRIMA
## IN LIBRUM PHILOSOPHUMENON
## CAJO, TERTULLIANO, HIPPOLYTO ORIGENI
### ALIISVE PRISCIS ECCLESIAE PATRIBUS
PERPERAM INSCRIPTUM

LUCUBRATIO

**PER ALOISIUM VINCENZI**

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM






ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1869.

*Quod autem quaedam de illo (Cornelio Papa) inhonesta et maligna tractantur, nolo mireris: cum scias hoc esse opus diaboli, ut servos Dei mendacio laceret; et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet: ut qui conscientiae suae luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

S. Cyprianus in Epistola 73 ad Antonianum.



# PROLOGUS

Triginta fere ab hinc annis, heterodoxis prae gaudio gestientibus, a Graecia in Gallias translatus, in lucem prodiit graecus Codex, cui titulus *Philosophumena,* seu *omnium haeresum Refutatio.* In quo inter alia, narrantur gesta duorum Pontificum Zephyrini et Callisti; quorum potissimum ab Auctore exprobratur fides dubia et instabilis adversus ea, quae Jesus in Evangelio dixit Petro: *ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Cum vero sine auctoris nomine et aetate hic Codex scriptus sit, docti nostrae aetatis viri admodum laborarunt, Patrum perquirentes monumenta, si forte vestigia quaedam hujus libri, sive scriptoris reperirent. Attamen perspicue non assecuti, cui inscriberent Opus, in varias abierunt conjecturas.

Quidam Origenem existimarunt auctorem, praesertim cum liber primus in quodam Codice istius praeferat nomen. Alii Tertullianum, alii Cajum, alii quemdam etsi ignotum, priscum tamen putarunt auctorem. Plerique vero, cum ab exordio auctor episcopus et sacerdos magnus nuncupetur, et amplius ut haeresum refutator, et aliorum librorum concinnator innotescat, adscripserunt illum s. Hippolyto episcopo et martyri: ac maxime ex quo istius aetas (ipsi dicunt) historiae congruat haeresum, quas expugnandas suscepit.

Clarissimus vir b. m. Patricius Cruice in Prolegomenis diligenter notavit varias opiniones eruditorum, qui in hunc Librum incubuerunt, non tantum auctorem rimati, sed et quae scripsit sedulo investigantes: adeo ut secundum individuam cujusque fidem, majoris vel minoris momenti fieret Anonymi scopus. Et quidem non defuerunt, qui hunc magna eruditione praeditum agnoscerent valdeque commendarent inter priscos Ecclesiae Patres; cum alii (orthodoxos inquam) in pluribus laudarint, in ceteris refellerint, utpote Pontificatus Romani hostem, et dogmatis catholici expugnatorem.

Cum vero adhuc lis sub judice sit, inspectisque ceterorum opinionibus de auctore, ejusque aetate adhuc incertis, liceat et mihi inter alios meam expromere sententiam. Ac in primis neminem latet, puto, Anonymum nihil novi in hoc excogitasse studio. Vulgata namque ab Ecclesiae exordio sententia invaluit, haereticos graecorum poetarum et philo-

sophorum placitis suos superstruxisse errores. Et jam Apostolus quosdam illius aevi christianos corripiebat, vanis gentium doctrinis dicatos. S. Irenaeus, Clemens alexandrinus, Origenes, s. Hippolytus, Tertullianus idem senserunt, actuque probe demonstrarunt. Auctor vero noster hoc ipsum volens, peculiari cura perscrutari studuit, quae poetae, graecique philosophi docuerunt, et quae haeretici, ut arctam inter ipsos analogiam confirmaret. Nisi quod, ut infra dicetur, tam in hac instituenda concordia, atque in haeresibus refutandis, quam in disquirenda et propugnanda veritate, cum ceteri et quidem sancti doctique viri scopum hunc perbelle attigerint, et de Ecclesia Catholica valde meriti sint, Anonymus ex adverso in utroque intuitu, tum praemissis deficiens, cum aliter a praefatis scriptoribus se gerens, a scopo suo aberravit.

Ac interim haec sunt, quae adversus Anonymum pertractanda suscipio. Primo patefiet, illum nequaquam promissis stetisse in enarrandis et refutandis haeresibus, sicuti in Operis titulo significavit. Secundo, in analogia instituenda inter graecos philosophos et inter haereticos, ut plurimum illusum fuisse, alias philosophorum pravato sensu, alias suis discussionibus minus aeque accommodato. Tertio, quaquaversus circumspectis criminationibus adversus duos Pontifices Zephyrinum et Callistum, istas omnimode falsitate laborare, et ideo inter calumniosa commenta remittendas. Quarto, absurdam tenendam esse illorum opinionem, qui arbitrati sunt, vel

Cajum, vel Hippolytum, vel Tertullianum, aut Origenem, sive quemvis ex veteribus Ecclesiae Patribus hunc concinnasse librum. Quinto, fidei professionem ab Anonymo emissam in novissimo Libro X. vanam probatur gnosticorum sive neoplatonicorum capere doctrinam, ac penitus suis contraire obtestationibus in Libri I. exordio emissis. Sexto demum, simul comprehenso totius doctrinae suae systemate, concludendum esse, Anonymum inter plagiarios. detractores, inscios, nullius fidei, nulliusque auctoritatis compotes, jure inscriptum, stultam, impiamque consummasse operam (1).

Et haec omnia successive, suo loco, et singillatim expediemus, maxime fontes perscrutati, unde Anonymus hausit suo studio utilia : quamvis saepe nec auctores, nec eorumdem libros, nec argumentum indicarit. Quinimmo aliena sua faciens, in illorum sata inconsulto perrexit; et quaecumque illa forent, rapsodïam coacervavit opinionum inter se dissitarum, ac plerumque mutuo se collidentium, ita ut magis ac magis ipsius patefiat ignobilitas.

Deinceps obiter praenotandum est, Libri auctorem, seu redactorem non plures, sed unum haberi, qui variorum scriptorum collegit sive sacros sive profanos diversi generis sensus, modo breviter, nunc latius exponens. Ab initio enim Libri I. ait: « se de graecis acturum, qui philosophiam physicam docue-

(1) Ipse Libri titulus graecus *Philosophumena* peregrina voce expressus, vel aliis huic similibus *dogmata philosophumena : haeresis philosophumenon*, satis mihi hoc videtur indicare.

re. Horum enim maxime dicta furati sunt isti haeresum conditores, ut postea, quum ad invicem inter se comparabimus, ostendemus. » Postea in Libri V. exordio subdit: « Arbitror omnium philosophorum apud graecos et barbaros de Deo et de mundi creatione placita diligentissime exposita esse in quatuor libris superioribus etc. » Novissime in Libro IX. praefatis consectarius concludit, « in novem libris nihil praetermissum fuisse ex iis, quae philosophi et haeretici docuerunt. Quibus subit Liber decimus, ab eo *Sermo veritatis* nuncupatus *adversus haereticorum audaciam*. Quae dicendi formula ex ipsius peculiari usu hïc illic occurrit. Praeterea circa Operis divisionem ab Anonymo exactam, ex titulo et inde ex discussionis methodo constat, in quatuor libris prioribus agi universim de graecorum et barbarorum philosophia, et in reliquis de haereticis.

In Libro I. priscorum placita notat: in cujus fine p. 51: « illorum, ait, qui apud graecos philosophiae incubuerunt, opiniones satis exposuisse mihi videor; a quibus profecti haeretici ea, quae paulo post dicentur, aggredi ausi sunt. Placet autem, prius expositis mysticis, et quaecumque operose de sidebus et spatiis aliqui finxerunt, dicere etc. » Et haec continentur in Libro sequenti, qui vocatur quartus, sed proprie secundus nuncupandus est. Deinceps vero p. 76. ubi legitur *c. II. De mathematicis* sive *astrologis*, Liber III. potius dicendus est. Similiter p. 93. notatur *c. IV. De magicis*, cum aliter Liber IV. inscribendus videtur. Ac ita supplentur duo

Libri secundus et tertius (quorum nulla mentio in codicibus) et quidem jure, veluti praefatus Cruice sentit. In fine namque Libri *quartus* inscripti, p. 136. dicit Anonymus: « Quum autem videamur haec sufficienter exposuisse, quumque omnia terrenae philosophiae dogmata his quatuor libris sint comprehensa, nunc adeamus etc. » Hinc constat quoque, quatuor primos libros merito sub *Philosophumenon* nomine comprehendi: ceteros vero omnium haeresum exhibere confutationem. De quibus melius infra.

Denique nemo nesciat, me breviter ab Anonymo tractata in octo praecedentibus libris expediturum. Quibus appositae discussiones veluti praeludium fient eorum, quae elucubranda erunt in sequentibus libris IX. et X. contra insimulationes ab ipso in Zephyrinum et Callistum Pontifices latas, et aberrationes ejusdem in suae fidei expositione. Item nemo ignoret, me in hoc studio prae oculis habuisse hujus Operis textum graecum cum versione et recensione dicti c. viri, felicis et nunquam satis commendandae memoriae, Patricii Cruice; cujus, sicuti et aliorum optimis pro opportunitate notis usus sum.



## CAPUT I.

***Anonymus in Operis titulo et in Prologo nomen suffuratus s. Irenaei episcopi, proposito mentitur tam in haeresum historia quam in eorumdem confutatione.***

Auctor, titulo praemisso *Philosophumena*, seu κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος *omnium haeresum Confutatio*, ita exorditur: « Nullam fabulam eorum, qui apud graecos celebrati fuerunt praetermittere oportet. Nam et ipsa illorum placita, quae consistere nequeunt, pro credibilibus habenda propter immanem haereticorum insaniam: qui quoniam silent et infanda sua mysteria abscondunt, a multis judicati fuerunt Deum colere. Quorum strictim exposuimus olim opiniones, non eas demonstrantes subtiliter, sed pinguius et crassius redarguentes; quum operae pretium esse nondum putaremus illorum arcana in lucem protrahere eo consilio, ut quum nos per aenigmata exposuissemus placita ipsis, erubescentes ne fortasse etiam ipsorum arcana effati, demonstraremus esse atheos, a contraria rationi sententia profanoque paululum desisterent instituto. Sed quoniam animadverto aequitate et modestia nostra nihil eos commoveri, nec considerare quemadmodum Deus patienter obduret, nefariis per eos laceratus dicteriis, ut aut pudore suffusi animum mutent; aut obstinate persistentes justo subjiciantur judicio, compulsus procedo ad arcana illorum mysteria denudanda; quae, cum magna fidei persuasione, illis qui initiantur tradunt; non ante committentes cuiquam illa, nisi suspenso detentum aliquandiu animo serviliter subegerint, et contumeliosum erga verum Deum reddiderint; et eum viderint prae curiositate vehementi desiderio rei promissae teneri; denique exploratum habentes eum peccati vinculis esse constrictum, in consortium adsciscunt, summam malorum perfectionem tradentes.

« Neque tamen huc deveniunt, priusquam jurisjurandi insuper fide obstrinxerint se prolaturum neutiquam, neque cuilibet communicaturum, nisi eamdem subierint servitu-

tem : quanquam percepta tantummodo doctrina, nihil porro jurejurando opus erat. Qui enim sustinuit discere et suscipere maxima eorum mysteria, ex ipsa re tenebitur satis efficaci constrictus vinculo, tum ratione propriae conscientiae, tum ne commissa prodat aliis. Nam ejusmodi nefas si cuipiam aperiat homini, neque inter homines ille numerabitur: neque lucis adspectu judicabitur dignus, cum nec irrationabilia tam nefarium facinus capiant, prout suis locis dicemus. Quandoquidem vero ipse nos sermo in vastum enarrationis profundum cogit descendere, minime ideo silendum duximus: sed omnium opinionibus, quam fieri potest, accurate enucleateque expositis, nihil reticebimus. At vero etiam licet ipse sermo prolixior futurus sit, non videtur delassatum nos iri. Non enim exiguum vitae hominum relinquemus adminiculum ad effugiendos errores, abditis eorum et silentio damnatis orgiis omnium adspectui prostitutis: quae dispensantes solis mystis conferunt. Nec ea refellet ullus, praeter quam diffusus per Ecclesiam Spiritus Sanctus: quem priores Apostoli adepti, eumdem recta fide praeditis impertivere. Quorum nos successores facti, et ejus doni consortes, summique sacerdotii et doctrinae et Ecclesiae custodes habiti, oculo non connivemus, nec ullam proposito inservientem orationem supprimimus etc. »

S. Irenaeus porro, teste Photio Cod. 128. Opus suum adversus haereses ita inscripsit. *λόγοι πέντε ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, τοῦτο δὲ ἔστι, κατὰ αἱρέσεων*, *Libri quinque confutationis et eversionis falsae cognitionis, hoc est adversus haereses.* (*) Qui titulus idem sonat ac alter Anonymi. Deinde sequitur s. Episcopi Praefatio in qua ait: « Quoniam nonnulli, repudiata veritate, sermones et genealogias vanas inducunt, quae quidem quaestiones potius, ut Apostolus ait, praestant, quam aedificationem Dei, quae in fide est; ac per probabilitatem, et per eam, quae est subdole exercitata verisimilitudo, transducunt sensum eorum,

(*) Ab Eusebio et priscis Patribus et in quibusdam codicibus vulgo inscribuntur *Libri adversus haereses*, vel *Libri contra omnes haereses*, aut *Libri contra omnes haereticos.*

qui sunt inexpertiores; et in captivitate ducunt eos falsantes verba Domini . . . suadenter quidem illiciunt per verborum artem simpliciores. . . . Error autem enim secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis, suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere) veriorem semetipsum praefert, ut decipiat exteriori phantasmate rudiores: quemadmodum a meliore nobis dictum est de hujusmodi. « Quoniam lapidem pretiosum smaragdum, magni pretii apud quosdam, vitreum in ejus contumeliam per artem assimilatum, quoadusque non adest, qui potest probare et artificium explorare, atque artis solertia, id quod versute factum est, deprehendere queat etc. »

Sed melius in fine Libri I. c. XXXI. utriusque patet in sermone consensus: « A talibus matribus, scribit, et patribus et proavis eos, qui a Valentino sint, sicuti ipsae sententiae et regulae ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere et in medium afferre dogmata ipsorum, si qui forte ex iis poenitentiam agentes et convertentes ad unum solum Conditorem et Deum factorem universitatis, salvari possint. Reliqui autem non jam abstrahantur a prava, quasi verisimili suasione eorum, putantes majus et aliquid altius ab iis scituros se mysterium; sed a nobis bene discentes quae ab illis male docentur, derideant quidem doctrinam eorum; illorum autem misereantur, qui adhuc in his tam miserrimis et instabilibus fabulis tantam elationem assumpserunt, ut meliores semetipsos reliquis propter talem agnitionem immo ignorantiam, arbitrentur. Delectatio (alii detectio) eorum est haec, sive adversus eos victoria est sententiae eorum manifestatio.

« Quapropter conati sumus nos universum male compositae vulpeculae hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendam doctrinam eorum, manifestam omnibus factam. Quemadmodum bestiae alicujus in silva absconditae etc. sic et nobis quum in manifestum redegerimus eorum abscondita et apud se tacita mysteria, jam non erat necessarium multis destruere eorum sententiam. Adest enim et tibi et omnibus qui tecum sunt, ad haec quae praedicta

sunt, exerceri et evertere nequam ipsorum doctrinas et inconditas; et apta veritati ostendere dogmata. Quum igitur haec ita se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequente libro. Enarratio enim in longum pergit ut vides: et viatica quoque dabimus ad eversionem ipsorum, occurrentes omnibus sententiis secundum narrationis ordinem; ut simus non tantum ostendentes, sed vulnerantes undique bestiam. »

Ita sane, quae hïc ait s. Irenaeus, si rite simul comparentur, eodem fere tenore citavit Anonymus in Prologo. In ceteris vero usque ad Librum IX. ampliori discussione interpretatus est, quae brevi enarravit s. Martyr. In quo labore maxime ostendere nisus est Anonymus, haereticos doctrinarum, quas statuerant, principium nactos fuisse ex graecorum philosophia et illorum mysteriis. Et ideo quatuor insumpsit libros, peculiaria notans poetarum et philosophorum gentilium dogmata; ac deinceps in ceteris libris ea graecorum dogmata comparat haereticorum placitis, in quae studiose incumbit. Irenaeus vero alacriter illos refutans haereticos, etsi hoc idem putavit de haeresum fonte; attamen quam brevissime in Libro II. c. XIV. n. 2. tractavit, inquiens, graecos poetas et philosophos, Antiphanem, Thaletem, Homerum, Anaximandrum, Anaxagoram, Democritum, Epicurum, Platonem, Empedoclem, Hesiodum, Pythagoram, Aristotelem (quos et memoravit Anonymus) placita sua praestitisse haereticis: « Quae isti congregantes, et quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes, finctum superficium subtili eloquio sibi ipsis praepararunt etc. » Similiter s. Irenaeus in Prologo inquit se ἐφόδια viatica, vel subsidia suppeditasse ad haeresum falsitatem demonstrandam; ac in fine Libri I. haereticorum notatis erroribus, subdit se in sequentibus libris ἐφόδια viatica, seu adminicula suppeditaturum ad errores evertendos, sicuti quam praeclarissime perfecit. Anonymus vero item in Exordio spondet se non parvum hominum vitae subsidium relinquere ad effugiendos errores. Et in fine Libri IX. ait, se omnium haereticorum patefactis erroribus, omnibus non parva ἐφόδια viatica aut subsidia vitae reliquisse.

Sed prae ceteris attendendum est, quod legitur in fine Praefationis ubi s. Irenaeus amicum suum alloquitur: « Verum ea, quae simpliciter et vere et vulgari sermone, benevole tamen animo ad te scripta sunt, tu quoque pari animi benevolentia accipies; eaque ipse utpote nobis eruditior, quasi semina quaedam et initia a nobis accepta apud te amplificabis, atque in mentis tuae latifundio, quae breviter a nobis dicta sunt, uberius efferes; quaeque nos infirmiter narravimus, ea tu iis, quibuscum tibi consuetudo est, non sine robore declarabis. Et quemadmodum nos, flagitante te *πάλαι* jam pridem, quaenam esset illorum sententia, intelligere, studuimus sedulo non modo eam tibi perspicuam reddere, sed ad ipsius falsitatem commonstrandam *ἐφόδια viatica* vel facultates suppeditare: eodem modo tu quoque pro ea gratia tibi a Domino impertita, prompte, obnixoque studio ceteris ministrabis, ut homines non jam amplius ab eorum suadela abstrahantur. »

Anonymus porro cum in suo Prologo plura similia iis a s. Episcopo dictis exposuerit, adjecit se horum haereticorum *πάλαι* olim et stricte declarasse opiniones: « Non eas, inquit, demonstrantes simpliciter, sed crassius redarguentes, quum operae pretium esse nondum putaremus illorum arcana in lucem protrahere etc. » sicuti deinde praestitisse se fatetur. Quapropter cum iste in hoc Opere plura a s. Irenaeo mutuatus sit, et cum ait se ipsum aliquando haereticorum opiniones breviter ac stricte exposuisse ita ut denuo cogeretur in lucem proferre impia illorum studia, videretur Auctor s. Episcopi idem suscepisse consilium, quocum in Prologo amicum suum alloquebatur, dicens se olim simpliciter hanc pertractasse materiam brevique sermone: ac ideo hortatur eum ut studiose incumbat ad has refellendas falsitates, uberioribus et validioribus usus argumentis. Quod quidem perficere studuit Anonymus latius, alienis consultis monumentis, interpretatus quae s. Irenaeus scripsit, pluribusque additis, quae s. Episcopi aetatem superant.

Et cum interim hoc ostentet se sine rubore explere adversus impias haereticorum sententias, ac fateatur plenum laboris esse opus quod aggreditur, multam notitiam et inqui-

sitionem postulans, et cum una obtestetur se velle omnes haereses refutare, neque ullam sine refutatione omittere, ac demum in conclusione asserat, a se audaces haeresum auctores funditus eversos; hinc, undequaque circumspiciens novem ipsius libros, jure putavi Anonymum suo satisfacturum esse proposito: nimirum aptis argumentis e Scriptura, vel ex apostolica traditione, seu ex synodorum definitionibus, vel ex Patrum doctrina aut a ratione petitis, pravas haereticorum sententias expugnaturum.

Ab initio Libri I. dicit se graecorum philosophorum expositurum opiniones, quibus deinde haeretici abusi sunt. In fine vero dicit eosdem in rebus creatis arbitratos inesse numen, sed Deum harum opificem a creaturis omnimode diversum ignorasse. In Libro IV. agit de astrologis, de mathematicis, de divinatione, de magis: quorum placita, inquit, usurpantes haeretici, fallere arbitrantur multos homines, qui astrologicis rebus plurimam operam impendentes, inde conantur confirmare pietatem in Deum, quae quidem longe est ab horum cogitationibus. In principio Libri V. de naassenis n. 6. scribit: « Arbitror omnium philosophorum apud graecos et barbaros de Deo, de mundi creatione placita diligentissime exposita esse in quatuor libris superioribus. . . Jam igitur ad haeresum refutationem procedendum; quapropter exposita sunt omnia, quae de philosophis dicta sunt. » His praemissis, fabulosa enarrat naassenorum commenta de Jesu genealogia; infanda eorum mysteria notat ethnicorum commixta vanitatibus, quin ne verbum quidem interserat ad hujusmodi refellendos errores. Attamen in fine subdit: « Talia igitur sunt, quae effinxerunt naasseni, gnosticos nomine semet vocantes. Sed quoniam error est multiplex et vere multiceps, ut illa quam fama tradit hydra, capitibus ejus uno ictu per refutationem amputatis, veritatis virga usi monstrum tollemus totum. Non enim hanc inter et ceteras haereses magnum interest discrimen, quippe quas spiritus erroris unus et idem continet. Sed quoniam serpentis commutaverunt verba et nomina ita ut multa capita extarent, ne sic quidem refutationem omittemus, quam volunt. » Et hac satisfactus declaratione Anonymus transit ad peratico-

ram haeresim c. 11. Qua exposita, in his dictis desinit: « Sed quoniam peraticam quoque haeresim aperte exposuisse mihi videtur, multisque verbis fecisse conspicuam, quae vulgo latebat; et quae miscuerat omnia omnibus, et venenum ipsa suum absconderat, nunc in animo est ponere refutationi finem: nam satis per doctrinas suas ipsi refutantur. » Hucusque Anonymus multa promisit, nihilque praestitit.

In Libro VI. eamdem obtestationem innovat Auctor, dicens: « Quae illi cogitaverint, qui a serpente principia sua desumpserant ac temporum progressu suas doctrinas in lucem ultro protulerunt, in superiore Libro, qui haeresum refutationis quintus est, exposuimus. Nunc et eorum, qui illos secuti sunt, non dubitabo expromere sententias, neque unam irrefutatam dimittere in animo est etc. » Item in Libro VI. et VII. de Simone, Valentino, Secundo, Ptolomaeo, Heracleone, Marco, Colarbaso, Basilide, Saturnilo, Marcione ceterisque eamdem adversus hos spondet refutationem. Et amplius in Libro VII. c. III. n. 31. disputans cum Marcione, in fine dicit: « Haec sunt igitur Marcionis placita, quibus decepit multos, Empedoclis sermonibus usus, et inventam ab isto philosophiam suae doctrinae accommodans, haeresim impiam constituit: quam satis refutatam esse a nobis arbitramur; nec existimamus praetermisisse nos quidquam doctrinarum, quibus subreptis apud graecos, marcionistae vexant Christi discipulos, quasi talia eos docerent ». Attamen fatendum est Anonymum nullimode contra Marcionem ceterosque praefatos explevisse, quae se exegisse affirmat.

Similiter in Libro VIII. eadem methodo incedens adversus docetas pugnat, Monoimum, Tatianum, quartodecimanos, cataphrygas, encratitas. Et his novissimis tantum testimonium objecit Apostoli ad Timotheum, asserens se non in confutationem retulisse, sed potius in complementum eorum, quae idem Apostolus ex Spiritu Sancto praedixit: *In novissimis temporibus discedent quidam a sana disciplina* etc. Pariter in Libro IX. quo praecipuus tendit Auctoris scopus, consueta obtestatione, et quasi valde elaborasset in confutandis erroribus, scribit: « Magnum igitur adversus omnes

haereses certamen certavimus; nullamque non refutatam reliquimus. Nunc restat, ut maximum certamen ineamus. Oportet et explicare et confutare haereses, quae nostris temporibus innotuerunt: quibuscum indocti et audaces quidam homines disturbare ausi sunt Ecclesiam etc. » Et sane, quos audaces et indoctos dicit haereticos, hi sunt Noetus, et quos somniando sectatores ejus arguit, Zephyrinus et Callistus Pontifices, unde callistianam ortam esse praesumit scholam. Hic, sicuti in praecedentibus, contra Noetum egit Anonymus; istius errores adversus divinam Christi hypostasim notavit; nec tamen refellit. Fatetur interim se pro veritate pugnare: sed ubi sit veritas, vel quale veritatis dogma errori opponendum, silet. Item in Libro IX. n. 31. gloriatur de suo labore in haereticorum exponendis impietatibus; gaudet de utilitate in hoc studio cunctis comparata, cum viderint a se haeresum auctores funditus eversos. Ac demum in Libro X. n. 5. concludit, haeresum labyrinthum non vi dirupisse, sed sola refutatione et veritatis virtute dissolvisse.

Tamen quis credet? praeter omnium expectationem, nullimode sunt ab ipso refutati haeretici. Nec ulla, inquam, a ratione petita argumenta, nec apta Bibliorum testimonia, nec quae apostolica et ecclesiastica traditio docuit, singulis haeresibus opponenda, contulit usquam. Nisi quod bis addiderit, haereticis per seipsos satis refutatis, nulla opus esse refutatione. Quare concludendum jure est, historiam haeresum conscripsisse Anonymum, non vero confutationem: et quod saepissime spopondit, et maxime in inscriptione Operis, defecisse penitus. Nedum autem Anonymus haereses refutavit juxta praemissa, sed neque haereticorum singula recensuit dogmata; quamvis ab initio ac deinde saepe obtestatus sit se facturum: « *Sed omnium*, inquit, *haereticorum opinionibus, quam fieri potest, accurate et enucleate expositis.* » Nec unquam proposito satisfecit; nec multo minus in transcribendis s. Irenaei vel aliorum scriptis studiosus fuit: adeo ut, nisi illorum libri superessent, vix horum caperetur sensus.

Insuper, quod demonstrandum aggredimur, sicuti Anonymus plura inde subtraxit, quae non erant tollenda; ita multa et confusa et falsa adjecit; et insuper in scitis graecorum

exponendis vel applicandis haereticorum doctrinae, ubi istorum concordiam cum aliis reperire putavit, valde illusus est et universim genuinae rerum historiae mentitus.

Artificium vero Anonymi in hoc Opere haud minus animadvertendum est: quippe qui non solum magno verborum apparatu, crebris obtestationibus se ait pugnare pro veritate sed, et quod potissimum est, ut simplicium animos aucupetur, suique sensus fide reputentur digni, inquit, non seipsum refellere prava haereticorum dogmata, sed Spiritum Sanctum per Ecclesiam effusum: quem priores Apostoli adepti, eumdem recta fide praeditis impertivere. « Quorum nos, addit, successores facti, et ejus doni consortes, summique sacerdotii et doctrinae et Ecclesiae custodes habiti, oculo non connivemus, nec ullam proposito inservientem supprimus orationem etc. » In qua professione s. Irenaei sibi adscribit sacrum ministerium et studium in haereticis profligandis. Quem sane s. Epiphanius vocat virum omnino Spiritus Sancti donis instructissimum, ac coelestibus ornamentis, apostolorum successorem, ad certamen perunctum, qui sincerae fidei ac scientiae praesidiis, omnia haereticorum prostravit et evertit mendacia. Haer. XXIV. 8.

Quamvis autem s. Irenaeus in fine Libri I. dicat: « Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendam doctrinam eorum, manifestam omnibus factam: » nihilominus ab initio Libri II. subdit: « In hoc autem libro instruemus, quae nobis apta sunt, et quae permittit tempus; et evertemus per magna capitula omnem ipsorum regulam. Quapropter *quid sit detectio et eversio sententiae ipsorum*, Operis hujus conscriptionem ita titulavimus. » Et hoc amplissime perfecit in sequentibus libris. Ideoque hoc titulo suum Opus adornans s. Irenaeus non mentitus est. Mentitus est autem Anonymus, qui eodem titulo nuncupans libros suos, ac plura ex s. Episcopo ad litteram describens, cuncta tamen penitus praetermisit, quae necessaria erant tum exactae haereticorum dogmatum cognitioni, tum eorumdem refutationi.

## CAPUT II.

*Specimen veterum philosophorum ab Anonymo exhibitum alteri Cedreni in Compendio historiarum comparatum.*

Quae in Libro I. tractat Anonymus de graecorum philosophorum placitis, in pluribus conveniunt cum brevi specimine, quod tradit Cedrenus in *Compendio Historiarum* de eisdem philosophis, adeo ut lateat num Cedrenus ab Anonymo, vel iste ab altero, et an ab eodem fonte uterque hauserit.

Cedrenus interim in Compendio, ubi attigit Alexandri Macedonis aetatem, brevem texit recensionem philosophorum a Pythagora usque ad pyrrhonistas, istorum potissimum expendens opiniones de Deo et de creatione. Et haud aliter egit in I. Libro Auctor *Philosophumenon.* Cedrenus porro tantummodo nominat Pythagoram, Thaletem, Empedoclem, Heraclitum, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, Platonem, Aristotelem, Zenonem, Epicurum et Pyrrhonem. Quorum placitis definitis, subdit eos frustra laborasse in suis studiis, nec ad Deum omnium opificem assecutos esse.

Anonymus autem Cedreni Compendio alios adjecit philosophos, et hoc ordine pergit, Thaletem numerans, Pythagoram, Empedoclem, Heraclitum, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, cui haec subscripsit: « Physica ergo philosophia a Thalete ad Archelaum usque perduravit, qui Socratem habuit auditorem. Complures quidem et alii reperiuntur variarum tum de numine, tum de universi natura opinionum auctores. Quorum si apponere singulas sententias in animum induceremus, comparanda librorum ingens esset sylva etc. » Ex his autem nuncupat Parmenidem, Leucippum, Democritum, Xenophanem, Ecpantum, Hipponem. Postea transit ad Platonem secundum Cedreni seriem, ad Aristotelem, ad Zenonem vel ad stoicos, ad Epicurum, ad Pyrrhonem, additis brachmanibus, druidis et Hesiodo. Et in his explicit Liber I. *Philosophumenon*,

eisdem repetitis, quae a Cedreno in fine ipsius Speculi ita notantur: « Οὗτοι μὲν οὖν πάντες ἐπὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεώς τε, καὶ γενέσεως ταῦτα, καθὼς ἐξεθέμετα, ἐξεῖπον τῇ αὐτῶν δόξῃ. Κάτω δὲ τοῦ θείου πάντες χωρήσαντες, περὶ τῶν γινομένων οὐσίαν ἠσχολήθησαν, τὰ μεγέθη τῆς κτίσεως καταπληγέντες, καὶ αὐτὰ τὸ θεῖον εἶναι νομίσαντες, ἕτερος ἕτερον μέρος τῆς κτίσεως προκρίναντες, τὸν τούτων Θεὸν καὶ δημιουργὸν οὐκ ἐπέγνωσαν. i. e. Hi ergo omnes de universi natura et ortu ea senserunt ac tradiderunt, quae retulimus. Infra vero Dei cognitionem subsistentes, in rerum caducarum natura studium occuparunt cognoscenda, ad magnitudinem rerum creatarum stupentes, eosque pro numine ipso amplexi; alius aliam creaturae partem praeferentes, Deum horum opificem non cognoverunt. »

Et haec quidem prorsus eadem graece a Cedreno et ab Anonymo descripta sunt, adeo ut necessario statuendum sit ea unum ab altero vel ab uno fonte transcripsisse. Deinde subdit Anonymus: « Eorum igitur, qui apud graecos philosophiae incubuerunt, opiniones satis exposuisse mihi videor: a quibus profecti haeretici, ea quae paulo post dicentur, aggredi ausi sunt. » Inanis eorum repetitio (et hoc pro more suo) quae ex Cedreno jam notarat.

Interim, inspecto Cedreni et Anonymi philosophorum specimine, patet Cedrenum in ordine narrationis se continuisse juxta propositum, graecorum philosophorum opiniones de Deo et de creato investigantem et expendentem. Alter vero cum eadem spopondisset ab initio de graecorum studio in Philosophia, ac in fine Libri 1. eadem repetat: attamen in tractandis speciatim singulorum philosophorum placitis, ad alias se vertit regiones extra Graeciae fines, brachmanum in India et druidarum apud celtas scrutatus doctrinas, quibus non erat hic locus. Quinimmo cum Anonymus statuit de brachmanum philosophia tractare non a graecis, sed ab his exordiendum sibi fuisset. Ab Oriente enim philosophia pervenit ad graecos, uti probe advertit Diogenes Laertius in Prologo. De ceteris propositum nostrum magis proficiet in dictis Anonymi et Cedreni exponendis et conferendis singillatim; ac praesertim ubi alter alteri concordat; et ubi variant in philosophorum sententiis enunciandis.

Cedrenus in n. l. collocat Pythagoram; et ait, ipsum scientiam numerorum scripsisse, et opinionis de facultatibus et principiis incorporeis fuisse auctorem, et carmen composuisse de rite Deum colendo, de virtutibus etc. Paulo post subdit: « Οὗτος ὁ Πυθαγόρας μετεμψύχωσιν ἐδογμάτιζεν, ἣν θέλων κυρῶσαι, ἔλεγεν ἑαυτὸν πρὸ τῶν τρωϊκῶν Αἰθαλίδην νεγονέναι, ἐν δὲ τοῖς τρωϊκοῖς Ευφορβον, μετά δε ταῦτα Ερμότιμον σάμιον μεθ' ὃν Πύῤῥον δήλιον καὶ πέμπτον Πυθαγόραν i. e. Iste Pythagoras animas de corporibus in corpora migrare sensit. Quod ut confirmaret se ante bellum trojanum fuisse Aethalidem dixit, in bello trojano Euphorbum, postea Hermotimum samium, ac rursus Pyrrum delium, quintum demum Pythagoram. » Haec eadem notat Anonymus, glossa excepta: « Οὗτος καὶ ψυχὴν ἀθάνατον εἶπε καὶ μετενσωμάτωσιν. i. e. Iste et animam immortalem dixit atque corporum transmigrationem. » In reliquis plane convenit, eadem usurpans graeca vocabula.

Verumtamen mirum est, quod in sequentibus Anonymus, pluries tam hïc tam alibi paucis mutatis, eadem de Pythagora frustra repetat. In hoc enim loco primum ait: « Hic igitur physica cum indagavisset, astronomiam, sed et geometriam, et musicam, et arithmeticam miscuit. Et sic unitatem *monadem* quidem affirmavit esse Deum: ac numeri curiose perdiscens naturam, mundum dixit melos canere, et cum harmonia sive concentu comparatum esse; siderum quoque septem motum in rhythmum et cantum primus adduxit, et machinae hujus universae admiratus administrationem, in primo voluit discipulos silere etc. » Paulo post rursus inquit de Philosophi doctrina: « Ipse supponens numeros quosdam et mensuras, adinvenit naturae faecundam generationem, dicens arithmeticae philosophicae principium per connexionem circumplecti hanc rationem. Numerus extitit primus *Principium,* quod est unum indefinitum, incomprehensum, habens in se omnes, qui multitudine in immensum possunt crescere, numeros. Principium autem numerorum fuit per suppositionem prima *monas* unitas, quae est unitas mascula, patrio more procreans numeros reliquos. Hanc sequitur binarius numerus femina. Hic vero ab arithmeticis

appellatur par et integer. Ordine tertius succedit ternarius virilis; cui etiam imparis nomen arithmeticorum lege fuit impositum. Agmen denique cogit numerus quaternarius, quum muliebris tum et ipse par appellatus eo quod est e statu femineo etc. Tertio item notat, Pythagoram accessisse ad Zaratam chaldaeum, et hunc ei exposuisse: « duas rebus a primordio causas esse, patrem videlicet et matrem: et patrem quidem lucem, matrem vero caliginem, lucis autem esse partes calidum, siccum, leve, velox; caliginis vero frigidum, humidum, grave, tardum: jam totum ex his adeoque ex femineo et masculo constare mundum: mundum autem esse naturam secundum musicam harmoniam; ideo solem facere circuitum certa harmonia limitatum etc. » Quae quidem etiamsi varimode expressa, idem tamen significant, quod bis antea de eodem Pythagora descripsit Anonymus.

In Libro IV. c. V. n. 2. hanc eamdem doctrinam non ex Pythagora sed ab aegyptiis repetit: quos ait docuisse Deum esse *monadem* indivisibilem, quae sese ipsa generat: et ex qua omnia constant. Ipsa enim, inquiunt, non generata generat consequentes numeros, ut sibi ipsi *monas* addita generat dyadem, et similiter super addita generat triadem et tedradem usque ad decadem: quae quidem numerorum principium et finis est etc. » In cap. vero VII. ejusdem Libri de arte arithmetica, Pythagorae philosophiam ita tractat, quasi nullam antea de ea fecisset mentionem; et inquit: « Prima *monas* unitas per substantiam fuit principium numerorum: quae est unitas mascula, patrio more generans numeros omnes reliquos. Hanc sequitur numerus binarius femineus etc. quae reapse sunt eadem, quae scripsit in Libro I. c. II. de eo Philosopho. Item in Libro VI. c. II. n. 21. eadem memorat, de valentinianis disserens.

Porro conferantur, quae uterque scribit de Empedocle. Cedrenus ait: « Tertius philosophus Empedocles praeter multa alia portentosa decreta, hoc etiam sensit, universi principia esse amicitiam atque discordiam: unitatem intellectu percipi: ignem esse Deum: omnia ex igne esse compacta et in eum omnia resolutum iri. Cui fere stoici adstipulantur, conflagrationem expectantes. Idem censuit animam

in omne brutorum genus transire. Ita enim Pythagorae opinionem secutus ait:

Jamque valete, Deus nunc immortalis et expers interitus ego sum; puer et quandoque puella ipse fui: fruticem memini, piscemque marinum Pisae meque fuisse bovem. »

Anonimus vero item scribit: « Empedocles post hos existens etiam de daemonum natura plura dixit, quomodo nempe conversentur administrantes quae super terram sunt, cum sint plurimi. Hic universi principium discordiam et amicitiam dixit, et *monadis* intelligibilem ignem Deum, et ex igne constare omnia et in ignem dissolvi: cui sententiae fere et stoici conveniunt, conflagrationem expectantes. Prae ceteris vero animarum de corporibus in alia corpora transitioni assentitur, ita locutus: Namque fui quondam juvenis et formosa virgo et stirps et volucris, et venalis ab aequore piscis. Idem hic animarum affirmavit omnium in omnia animalia transmutationem. Etenim horum magister Pythagoras dixit seipsum Euphorbum extitisse, qui susceptae in Ilium interfuit expeditioni; recognoscere se clypeum suum testatus est. Et haec quidem Empedocles. »

Utriusque interim Cedreni et Anonymi de Empedocle comparatis dictis, constat ab initio utrumque in sensu convenire. Deinde de universi natura exponentes Philosophi opinionem, eadem graeca verba proferunt. In sequentibus porro variant. Idest Cedrenus ex Empedocle ait animam transmigrare in omnia animantia, ejusque citat carmina integra veluti in praemissis. Anonymus vero dum similia ac Cedrenus refert, aliqua omisit; alia frustra iteravit dum inquit. *Idem hic animarum omnium in cuncta animantia affirmavit transmigrationem,* de qua jam locutus erat.

De Anaximandri philosophia Anonymus c. v. plura scripsit eadem quae Cedrenus, alia glossa adornavit, corruptis vel confusis ipsius dictis. Ab initio in quatuor lineis ambo verbis et sensu plane conveniunt. In sequentibus vero pro more suo Anonymus repetit quae antea cum Cedreno exposuit. Deinde Cedrenus ex Philosopho loquitur de terra undique eamdem exhibente distantiam et de ejus situ in medio; ubi Anonymus quaedam omisit aliaque mutavit: praeser-

tim locutus de astrorum deque lunae expirationibus, unde accidunt eclypses. Historicus scribit expirationes esse quosdam aurae permeatus, unde astra videntur: quibus meatibus obturatis, fieri eclypses. Anonymus vero expirationes dicit esse quasdam aereas, circa quos locos apparent stellae: ubi latet sensus.

Item secundum descriptionis ordinem relate ad astra ex Anaximandri mente Cedrenus pergit locutus de sole de Zodiaco, de pluviis de fulgure ac demum de hominis ortu. Εἶναι δὲ τὸν κύκλον τοῦ ἡλίου ἑπτὰ καὶ εἰκοσιπλασίονα τῆς σελήνης. Καὶ ἀνωτάτω μὲν εἶναι τὸν ἥλιον, κατωτάτω δὲ τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους. Τὰ δὲ ζώδια γίνεσθαι ἐξατμιζόμενα ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ἀνέμους δὲ γίνεσθαι τῶν λεπτοτάτων ἀτμῶν ἐκ τοῦ ἀέρος ἀποκρινομένων, καὶ ὅταν ἀθροισθῶσι κινουμένων, ὑετοὺς δὲ ἐκ τῆς ἀτμίδος τῆς ἐκ τῶν ὑφ' ἥλιον ἀναδιδουμένης. ἀςτραπὰς δὲ, ὅταν ἄνεμος ἐκπίπτων διίστησι τὰς νεφέλας. Τὸν δὲ ἄνθρωπον καταρχὰς ἰχθύϊ παραπλήσιον γένεσθαι. » i. e. Solis circulum ad lunae orbem esse proportione viginti septuplum. In summo esse solem, in imo orbes stellarum fixarum. Zodiaca nasci vaporibus a sole elevatis; ventos, cum tenuissimi vapores ex aere secernuntur, qui collecti commoventur; pluvias ex exalationibus a sole sursum elevatis; fulgura cum ventus erumpens nubes scindit: et hominem ab initio similem piscis natum esse. »

Anonymus vero habet: « Εἶναι δὲ τὸν κύκλον τοῦ ἡλίου ἑπτα καὶ εικοσιπλασίονα τῆς σελήνης, καὶ ἀνωτάτο μὲν εἶναι τὸν ἥλιον, κατωτάτω δὲ τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους. Τὰ δὲ ζῶα γίνεσθαι ἐξατμιξόμενα ὑπὸ τοῦ ἡλίου. Τὸν δὲ ἄνθρωπον ἑτέρῳ ζώῳ γεγονέναι, τουτέςτιν ἰχθύϊ παραπλήσιον κατ' ἀρχάς. Ἀνέμους δὲ γίνεσθαι τῶν λεπτοτάτων ἀτμῶν τοῦ ἀέρος ἀποκρινομένων καὶ ὅταν ἀθροισθῶσι, κινουμένον, ὑετὸν δὲ 'εκ γῆς ἀναδιδομένης ἐκ τῶν (νεφελῶν) ὑφ' ἥλιον. 'αστραπάς δὲ ὅταν ἄνεμος ἐμπίπτων δϋςτᾳ τὰς νεφέλας. i. e. Majorem luna septies et vicies esse solis orbem; et supremum locum occupare solem, infimum vero fixarum stellarum globos. Animalia gigni dum ex sole evaporato; et hominem alteri animali natum esse similem, idest pisci a principio. E tenuissimis et post segregationem a reliquis copiosius ac-

cumulatis, deinde motis aeris vaporibus ventos generari. Item a terra remittente ea, quae ex nubibus infra solem acceperit, pluviam venire: fulgura autem ope venti illabentis in nubes, easque disrumpentis. »

Re autem vera, Anaximander juxta Plutarchi testimonium in Libro V. *De placitis philosophorum,* aliter quam supposuit Anonymus, docuit prima animantia in humore nata, corticibus contexta spinosis, adultiora autem facta ad siccitatem descivisse; ruptoque cortice non multum temporis supervixisse: » Quapropter non a vaporibus solis exalatis oriri animantia putat Anaximander, sed ex humiditate produci, contexta corticibus spinosis, deinde crescere et exsiccari etc. Immerito igitur Anonymus Philosophi opinionem de animantium origine repetit ex solis vaporibus, cum ita non putet Anaximander. Error autem Anonymi repetendus est a vocabulo ζώδια *zodiaca signa coelestia:* quae aliter putans indicari ζῶα *animantia terrena,* insipienter horum originem statuit ex vaporibus a sole elevatis. Anonymus vero adeo illusus est ut huc alteram Philosophi sententiam circa hominis primi ortum ex piscibus, transtulerit, cogitans ibidem agi de animantium creatione: cum Cedrenus secundum expositionis ordinem ad ultimum locum remiserit hanc de hominis initio fabulam, idest postquam de astris, de ventis et de pluvia sermonem habuit. Quibus expositis, non est ambigendum de Anonymi errore in transcribendis et exponendis Anaximandri opinionibus.

De Parmenide et Leucippo Anonymus eadem notat a Diogene Laertio repetita: quae tamen ob brevitatem ac syntaxis defectum ita obscura sunt, ut nisi Diogenis suppleret textus originalis, horum philosophorum lateret sensus. Sino porro loqui de ceteris Democrito, Xenophane, Ecphanto et Hippone, quorum universim eadem ac Diogenes de creatione profert Anonymus breviter ac consueta laborans confusione. Quod de Hippone maxime vidit Bruckerus ex illis verbis: « Animam dixit Hippo modo cerebrum esse, modo aquam. Namque semen id quod nobis apparet esse ex humore, unde ait animam gigni. » Quae in Sectione II. de discipulis Pythagorae §. II. n. 3. ita emendat, inquiens: « Animam

gigni ex humido semine, a cerebro tanquam aqua vel humido stillante. Hunc sensum habere videntur obscura Pseudo Origenis verba; quae sine sensu ita vertit Gronovius: *animam habere modo cerebrum, modo aquam; et adesse semini id quod nobis apparet ex humore, unde ait animam gigni.* Verum autem sensum illum esse, quem expressimus, nemo dubitaverit, qui ad Aristotelis locum attenderit dicentis: Quidam magis etiam importuni animam aquam esse dixerunt, ut Hippon, qui quidem ad hanc sententiam ratione seminis videtur compulsus; quia omne semen humidum est. »

Pergit deinde Anonymus c. XVI. Platonis placita expendens: ubi pariter ab initio eadem fere, quae Cedrenus scribit, notavit. Deinde ex ipso Philosopho Dei definitionem hujusmodi uterque tradit: « *Deus vero, ut antiquus sermo est, principium et finem et medium omnium rerum tenet.* » Cui subdit Cedrenus ex Philosopho disserens de Dei providentia de justitia, de aeternitate materiae, de deorum mortalitate, quos tamen ex divina voluntate immortales fieri docet. Et haec cum notat Historicus perspicue, Anonymus nonnulla adjecit, alia demit, genuinum locutionis ordinem confundens. « Deum, ait, alii unum sine ortu, sine interitu statuisse eum statuunt: sic enim in *Legibus: Deus sane, veluti et sermo antiquus, principium et finem et media rerum omnium habet.* Ita unum ipsum et cuncta permeantem declarat. Alii autem et multos (deos) indefinite cum ait: *Deus deorum, quorum ego opifex et pater.* Alii vero etiam definitos, quando dicit: *Ille igitur magnus in coelo Jupiter volucris currus agitator*, et quum recenset sobolem natorum a coelo et terra. Alii genitos eum statuisse quidem deos; et eo quod geniti essent, prorsus necesse esse ut intereant, sed Dei voluntate manere immortales, et id in iis verbis, quae apponit: *Deus deorum, quorum ego opifex et pater, indissolubilia me volente;* tanquam si velit ea dissolvi, parvo dissolvenda negotio. »

Haec autem ex ipso Cedreno et Platone ita emendanda sunt: « Deus vero ut habet antiquus sermo principium et finem et medium omnium rerum tenens, cuncta permeat. Ostendit autem et alios esse deos indefinitos, cum ait: *Dii deorum, quorum opifex et pater.* Aliquando autem et de-

finite dicens: *Ille quidem magnus in Coelo Jupiter currus volucris agitator:* et cum recenset seriem e coelo et terra prognatorum. Statuens autem unum Deum, introducit etiam deos genitos: et ex quo generentur ipsi, prorsus intereundi necessitatem conferre; sed propter Dei voluntatem denuo immortales esse. » Quae verba, ut dixi satis perspicua apud Cedrenum, Anonymus confudit, ut vix sensum investigare queas; ac potissimum ubi non Platonem introducit disserentem, sed alios ex istius Philosophi opinionibus de diis disputantes; sicuti in sequentibus cum ait Anonymus: *Θεὸς θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργός τε καὶ πατὴρ, ἄλυτα ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος* i. e. *Deus deorum quorum ego et opifex et pater*, *indissolubilia me volente.* Quae rite ita ex Timaei textu emendantur: « *Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατὴρ τὲ ἔργων. ἃ δἰ ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γὲ θέλοντος* i. e. *Dii deorum, quorum ego opifex et pater rerum. Quae a me facta sunt, indissolubilia, me volente, sunt.* » Quod postea adducit ex Platone de daemonum natura, alios statuens malos, alios bonos, sicuti de anima humana, modo incorruptibilem et ingenitam et immortalem, modo genitam, sed Dei voluntate a corruptione immunem, nunc compositam et generatam et corruptibilem ac denuo immortalem, eadem graece ambo scripserunt. Tantummodo Anonymus quaedam de hac anima subjecit, falso commentatus Platonis dicta. Ait enim: « Καὶ *γαρ̀ κρατῆρα αὐτῆς ὑποτίθεται, καὶ σῶμα αὐτὴν ἔχειν αὐγοειδές, τὸ δὲ γενόμενον πᾶν ἀνάγκην ἔχειν φθαρῆναι* i. e. Etenim supponit ipsius (animae) craterem, et corpus eam habere splendidum: quidquid autem genitum est necessario subire corruptionem. »

Et quis haec Platonis verba conferens, non sentiat Anonymi illusionem? cum Philosophus ibidem non de hominis sed de universi loqui, ubi omnia continentur, anima, veluti patentissime definivit? Inquit reapse Plato, Deum animam collocasse in medio universi, ac per totum tetendisse, atque etiam ea circumtexisse extrinsecus corpus ipsius. Ac paulo post idem inducens Deum loquentem ceteris diis de generatione animantium ait: « Haec fatus est (mundi genitor) *καὶ πάλιν ἐπὶ τὸν πρότερον κρατῆρα, ἐν ῷ τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν κεραννὺς ἔμισγες τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο*

μίσγων. Et in eodem rursus cratere, in quo mundi animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit etc. » Demum, quod maximum est, nusquam scripsit Plato animam humanam corpore constare splendido: ast de mundo ita putavit: « Divini quidem, ait, animalis speciem ex igne maxima ex parte componebat (Deus) universum ut splendidissimum esset et pulcherrimum. » Quibus positis concluditur Anonymum de Platonis philosophia locutum, alias juxta morem illius dicta, et alias falsasse sensus.

Cedrenus deinde de stoicis haec habet: « Ενδεκάτη άιρεσις τῶν στωϊκῶν. Καὶ οὗτοι ὑπέθεντο ἀρχὴν μὲν τὸν πάντων Θεὸν, καὶ τὸ καθ' ἑιμαρμένην τὰ πάντα διεβεβαιώσαντο. Τὴν σελήνην λέγουσιν ἀθάνατον εἶναι σῶμα, λέγουσιν δὲ γενέσθαι ἐκ τῆς περιψύξεως τοῦ ἀέρος τοῦ περιέχοντος, διὸ καὶ ψυχὴν ἀυτὴν καλοῦσιν. Ομολογοῦσι καὶ μετενσωμάτωσιν, ὡρισμένων ὀυσῶν τῶν ψυχῶν. i. e.

Undecima secta stoicorum. Isti quoque principium omnium statuerunt Deum, ac contenderunt omnia fato fieri. lunam dicunt esse immortalem, et corpus ejus inquiunt fieri ex aeris circumdantis refrigeratione; et ob hoc ψυχὴν *frigidam* eam vocant. Confitentur autem animarum e corpore ad aliud immigrationem, cum sint numero animae definitae. »

In hoc articulo Anonymus latius transcripsit Cedreni dicta circa stoicos, ita tamen ut istorum opiniones perverterit. Scribit Cedrenus stoicos *lunam facere immortalem, et corpus ejus ajunt fieri ex aeris circumdantis refrigeratione; et ob hoc* ψυχὴν *frigidam eam vocant*. Anonymus vero ait: « Τὴν δὲ ψυχὴν λέγουσι μένειν μετὰ θάνατον, εἶναι δὲ σῶμα καὶ γενέςθαι ἐκ τῆς περιψύξεως τοῦ ἀέρος τοῦ περιέχοντος· διὸ καὶ παλεῖσθαι ψυχὴν i. e. Animam autem dicunt manere post mortem, et esse corpus et gigni ex refrigeratione ambientis aeris, ac ideo vocari ψυχὴν *frigidam*. »

Et quis haec legens non senserit Anonymi errorem, cum animae humanae adscribat, quae lunae propria existimarunt stoici? Et quamvis isti plura dixerint de anima mundi, deque hominum et brutorum animabus; nihilominus eorum nemo putavit animam hominis generari ab aeris refrigera-

tione hanc circumdantis. Quoad autem Cedreni verba de stoicorum placitis circa lunae naturam, Eusebius in Libro XV. *Praepar. Evang.* c. XXV. scribit hos philosophos lunam considerare uti temperamentum ex igne et aere: quam opinionem Empedocles aliique praenotarunt, asserentes lunam ex relicto ab igne aere congelato, sicuti grando congelatur per se, factam lucem a sole recipere, et corpore constare sempiterno, ut et ex Plutarcho ait Aristoteles. Illuditur ergo Anonymus, in exponenda stoicorum doctrina, undique ipsius patefacta inscitia, cum duas substantias lunam et animam humanam inter se distinctas, in unam redegerit; ac ideo animae adscripserit, quae ad lunae naturam spectabant.

Deinde legitur apud Cedrenum: « Tertius decimus Sextus et Pyrrhon. Sextus quidquam cognosci et percipi posse negavit, itaque sustinendam assertionem et resistendum ei: idemque contra omnes artes et scientias disputavit. Pyrrho autem philosophus *ephecticus* appellabatur, quod assensionem tolleret. Disputabat enim contra alium philosophum, qui omnia cognosci ac comprehendi posse contendebat. Sic illi verbis altercantes, alter alterius refellebant opinionem. Est ergo academicorum et pyrrhoniorum philosophorum peculiaris secta, et academici vocabantur, quod in Academia commorabantur. Princeps eorum Pyrrho, a quo pyrrhonii dicti sunt, nihil percipi posse affirmavit: et subit in utramque partem disputare, de neutra quicquam pronunciare: nihil enim vere neque animo, neque sensu percipi, videri tantum hominibus ita habere. »

Anonymus porro aliter a Cedreno hoc caput inscripsit *περὶ Ακαδημαϊκῶν de Academicis* c. XX. et ait: « Alia autem secta philosophorum vocata fuit academica: eo quod in Academia diatribas habebant; quorum auctor Pyrrhon, unde pyrrhonii vocati sunt philosophi, *acatalepsian* idest comprehendendi defectum primus omnium introduxit: ut ita aggrederetur in utramque partem disputare, quin tamen nihil decerneret. Nihil enim esse nec intelligibilium nec sensibilium verum, sed videri hominibus ita esse. Fluidam autem esse substantiam omnem et mutabilem, et nunquam in eodem loco manere. Dicunt ergo academici non oportere de

ulla re ostendere principium; sed simpliciter aggressos relinquere. Alii autem *non magis* addiderunt, asserentes non magis ignem ignem esse quam aliquid aliud. Nec tamen indicarunt quid esset, sed quid tale esse. »

Sicuti in praecedentibus, Anonymus quae a Cedreno dicuntur de Pyrrhonistis in suum librum traduxit, in nonnullis tamen imperite discrepans. Nam apud Cedrenum tertia decima secta sub nomine venit Sexti et Pyrrhonis, subdens deinde pyrrhonistas academicos quoque nuncupari eo quod in Academia disputarint. Anonymus vero hujus sectae titulum *de academicis* inscripsit, quasi hoc nomen tantummodo ad pyrrhonistas spectaret, exclusis ideo prima Platonis Academia, altera Arcesilae, tertia Carneadis etc. Quapropter in titulo scribendum erat *de academicis pyrrhonistis* ad distinctionem aliarum Academiarum. Ac ita sane indicavit Cedrenus, primum Pyrrhonem nuncupans, deinde pyrrhonistas academicos, istos a praefatis segregans juxta cujusque opinionis discrepantiam.

Ceterum utriusque collatis dictis, comperitur Anonymum plura ab initio omisisse una cum titulo, unde subiit argumenti confusio sicuti in reliquis discussionibus. Quae porro ait Pyrrhonistas docere fluidam esse materiam omnem et mutabilem, et numquam eodem manere loco; haec opinio non Pyrrhoni, sed Protagorae inscribitur a Sexto Empirico in Libro I. c. XXXII. *Hypotyposeon Pyrrhoniarum*: cum ideo ostendit Pyrrhonistas non convenire Protagorae. De reliquis confer praefatum Sextum. Sino loqui de Aristotele, de Epicuro et de aliis; quorum dicta in multis eadem graece notantur a praefatis Scriptoribus.

Interim ex his, praeclarissime constat, utrumque Auctorem Anonymum et Cedrenum plura conscripsisse de philosophis, eadem dictione usum, ac saepe periodos et articulos integros exarasse, nulla sermonis et vocabulorum intercedente varietate. Quapropter arbitratus sum, nequaquam Cedrenum ob oculos habuisse Anonymi Librum I. *Philosophumenon*, ut inde exigeret philosophorum graecorum recensionem, sed potius Anonymum ab altero collegisse. Hoc autem in primis probatur ab ejusdem consuetudine non so-

lum ab ipso Cedreno colligendi, quae de philosophis scripsit in Libro I. sed etiam quae a Diogene Laertio, et in sequentibus libris a Sexto Empirico, a s. Irenaeo, a Flavio dicta sunt, quorum sensus ad litteram descripsit; quin tamen (si s. Martyrem excipias) illorum memoret nomen. Proindeque cum ex his testimonia seligat Anonymus, ac istorum sileat nomen, pari jure dicendum videtur de Cedreno, cujus eadem verba descripsit, nec tamen indicavit auctorem, ut sic concludatur Anonymum aetate Cedreno posteriore vixisse.

Secundo, id amplius roboratur ex ipsius variis Anonymi discussionibus, ubi plura ad rei perspicuitatem desiderantur, alia frustra repetuntur, adeo ut non sit praesumendum Cedrenum prae manibus habentem Anonymi libros, emendasse, addidisse, explanasse, quae negligenter alter scripsit. Ast potius suspicari liceat, Anonymum inscium seu paulo accuratum falsasse aut confudisse Cedreni dicta, sicuti in ceteris scriptoribus, de quibus infra. Vix enim putandum est, Cedrenum in philosophorum systematibus expendendis, hujusmodi sibi praeposuisse librum, qui talibus mendis scateret, et ideo iu illorum incubuisse emendationem et sinceri textus restitutionem.

Tertio, constat Anonymum non solum aliquando ad litteram Cedreni textum descripsisse, sed de suo et secundum propriam locutionem nonnulla superaddidisse, quae jam Historicus et ipse quidem Auctor praenotaverant, nec ullum erat opus. Ex. g. in fine Libri I. legitur: « *Hi igitur omnes de natura universi ac generatione haec, uti exposuimus, ex sua opinione dixerunt etc.* Et ita uterque Cedrenus et Anonymus scripserunt. Deinde vero alter subdit: « *Eorum igitur qui apud graecos philosophari aggressi sunt, opiniones satis exposuimus* etc. inanis repetitio superioris sermonis. Quam repetitionem alibi de Parmenide sensit Cruicius c. IX. in verbis: *Ipse autem dixit mundum esse aeternum increatum* etc. asserens idcirco haec verba addita esse ab altera manu; manum dicam ego Anonymi, qui a Cedreno dicta transcripsit et commentatus est.

Neque nobis obstat hypothesis, utrumque Cedrenum et

Anonymum a quodam antiquo scriptore vel ab uno eodemque fonte talia eruisse monumenta; eorumque unumquemque pro studio suo alias eadem transcripsisse, et alias interpretatum, ut sic pergeret opinio de anonymi Libri vetustate. Verum hujusmodi hypothesis refutatur a stili unitate, quae facile comprehenditur in Cedreno; ubi verborum syntaxis, proprietas, et orationis series eaedem apparent tum in hoc philosophorum specimine, tum in praecedentibus et successivis hujus Compendii dictis et praesertim juxta suae aetatis graeci sermonis indolem; nec ideo esse confundendum cum aliis graecis scriptoribus.

Demum si quis potioribus argumentis huic obstiterit opinioni, putans Cedrenum et Anonymum ab uno eodemque fonte antiquo hoc philosophorum specimen eruisse; velitque ideo vetusto aevo, sicuti ipse de se fingit Auctor, remittere *Philosophumenon* Opus: nihilominus nobis satis sit hucusque ostendisse, Scriptorem veterum philosophorum modo pravasse sensum, modo negligenter et obscure eorum exposuisse dogmata: quod nostrae discussionis magnopere interest.



## CAPUT III.

*Brevi disquisitione tractantur, quae Anonymus in Libris II. III. IV.* Philosophumenon *scribit de astrologis, de mathematicis, variisque magiae generibus.*

Anonymus, veluti in fine Libri I. spopondit, de astrologorum et similium vanitate disserere statuens, initium sumit a Libro V. Sexti Empirici *De astrologis* n. 37. et usque ad finem pergit eadem transcribere verbotenus, quae alter sapienter excogitavit adversus hanc sectam: quin tamen notet, se non auctorem sed ejusdem libri transcriptorem fuisse, sibimetipsi alienum inscribentem opus. Et quemadmodum in praefatis, ita in sequentibus pergit non suos sed aliorum exponere tractatus, quibusdam similiter additis, aliis praetermissis, aliis confusis et falsatis.

Et re quidem vera in c. I. *De astrologis* n. 2. Sexti expositioni interserit historiam peratarum, inquiens hos haereticos in suo concinnando systemate, chaldaeorum disciplinis usos fuisse, quorum refellere se profitetur errores: quibus notatis, revertitur ad librum Sexti; ac in fine n. 7. subdit, se pluribus rationibus inductum fuisse ad confutationem chaldaicae disciplinae circa futurorum praevisionem ab astrorum cursu ob multiloquam haereticorum malitiam, qui huic arte communicarunt. Deinde transit, mutuas solis, lunae, aliorum astrorum et terrae describere distantias, ut concludat n. 13. « Haec nonnulli, alius post alium sectati et magna rati et studio digna arbitrati, immensas et infinitas haereses constituerunt: ex quibus unus quidem Colorbasus ipsam pietatem ac religionem numeris ac mensuris aggressus est exponere etc. » Et quis unquam audivit, vel legit ex variis astrorum distantiis, diversisque eorum mensuris vetustos haereticos infinitas et immensas sectas instituisse? Attamen statim subjecit Anonymus, unum inter eos numerari Colorbasum, huic vacantem studio. Si ex graecorum fabulis dicantur valentinianorum aut universim gnosticorum derivasse haereses, non diffitear. Nihilominus, ut ait

Anonymus, ab astrorum orbitis, eorumque distantiae varietate haereticos doctrinae suae composuisse systemata, nondum veterum, qui haec asserant, reperi testimonia. Exstitit quidem Perates, ac deinde Marcus et Colorbasus, teste s. Irenaeo, qui ab astrologia dicuntur a planetarum gyro suos instruxisse errores; nec tamen isti astrorum perimetra nec altitudinem eorum nec distantias considerarunt; sed in numero illorum symbola et magicam virtutem interpretati sunt tantummodo. Si vero a saeculi V. initio usque ad mediam aetatem haeresum historiam percurrerimus, a priscillianistis scilicet incipientes, plurimos sane cabbalistas comperimus judaeos vel christianos judaizantes, valde se hujusmodi illusionibus devovisse. Priscillianus inter primos habetur, qui astrologiae deliriis vacans, arbitrii libertate sublata, humana omnia astrorum tribuebat motibus. Et haec sufficiant adversus ea, quae Anonymus supponit de immensitate haeresum ex astrorum motibus et spatiorum magnitudine excitarum in prisca Ecclesiae aetate.

In altero capite, expositis quae mathematici vel arithmetici haurire praesumunt ex occultis numerorum mysteriis vel ex litteris numericis circa vitae humanae ordinem; qualis sit nempe futura cujusque vita, transit ad caput III. inscriptum *de divinatione ex vultus inspectione*, asserens haereticos de illorum placitis gloriari ad ea perficienda quae aggrediuntur. Inspecta enim vultus forma, divinari putant hominum indolem. Alii autem formam et inde ingenium repetunt a Zodiaci signis, sub quibus nascuntur. In qua descriptione quoad Zodiaci signorum varietatem et illorum actionem tum in extrinsecam hominis formam cum in intrinsecos animi motus varios secundum vultus differentiam, Anonymus maxima laborat confusione, modo contraria locutus iis, quae in cap. I. enarrat ex Sexto Empirico de illis, qui nascuntur sub eisdem signis, nunc adscribens uni signo, quod alii videretur adscribendum, sicuti idem sensit Cruicius: « Haec enim et sequentia, scribit, videtur noster deprompsisse ex diversis libellis. Multa enim quae profert, inter se discrepant, et multa bis leguntur. »

Hinc subit cap. IV. ubi Anonymus expendit magorum

artificia sub daemonum invocatione, variis operationibus exactis ad simplicium illusionem, quas haeresiarchas dicit imitatos esse. Quibus expositis, in sequenti cap. V. recapitulationem contexit philosophorum et theologorum, qui de Deo disputarunt: et ait: « Inter omnes philosophos ac theologos, qui ubique inquisierunt de Deo, non convenit de eo, quid sit, aut qualis. Hi enim ignem esse ajunt, illi aerem, alii aquam, alii terram etc. »

Verumtamen cum in praefatis quatuor capitibus summopere incubuisset, ut vana astrologorum et magorum dogmata patefaceret, recapitulatio non ei conficienda erat philosophorum et theologorum qui de Deo inquisierunt, cum jam in libro I. satis de illis egit et conclusit, eosdem Deum omnium opificem ignorantes, creaturas Creatoris loco existimasse; proindeque in hoc libro III. vel IV. non erat eis locus. Sed juxta praemissa, ubi de astrologis, de mathematicis, de magis disputavit, recapitulatio potiori jure de eorumdem placitis instruenda erat, ceteris praetermissis. Insuper non tantum extra argumentum hanc intulit conclusionem Anonymus; ast adversus locutionis quoque leges se gessit, recapitulationem (ubi brevi sermone praefata repetuntur) hoc caput nuncupans, cum aliter hic persarum, chaldaeorum, et aegyptiorum opiniones de Dei essentia exposuerit, de quibus in praemissis ne verbum quidem edisserit: nec ideo in hoc loco disputandum erat.

Praeterea in hoc cap. n. I. et 2. duo notanda sunt. Primum, quod ait, philosophos veram Deitatis naturam nescientes, vel ignem, vel aerem, seu aquam, sive terram existimasse; *nec tamen τὸ σύμπαν αὐτὸ εἶναι τὸν θεὸν ἀπεφήναντο universum istud esse Deum declararunt*: ac ita locutus quasi cum panteistis de Deo sentiret ille, quos refutare aggressus est. Nec item paulo post fideliter loquitur Auctor, inquiens absolute, aegyptios omnium antiquissimos ἐξ ἐπιπνοίας θειοτάτης *divino spiritu afflatos* docuisse Deum esse monadem indivisibilem etc. ex sententia propria asseverans, neque ex aliorum opinione, aegyptios divinitus inspiratos de Deo locutos esse. Et quidem saepius Auctor noster, quod in novissimis magis patefiet, dum aliorum citat documenta illo-

rum personam gerens, fingit, vel ignorat, num bene vel male ipsi senserint, eorum sensus, quomodocumque sint, probans.

Deinde in cap. VI. eamdem tractat de astrologia quaestionem juxta veterum opiniones et maxime Arati. Ita tamen hic disputat, quasi primum hanc modo iniret quaestionem; cum antea late disputarit de hujus scientiae vanitate, variis expositis astrologorum illusionibus. Ab initio libri IV. (II). c. I. n. 2. ait, se adversus eos pugnare, ostendens *astrologiam nihil esse*. Similiter in cc. II. et III. dicit insanire eos, qui astrorum nominibus speciem et naturam hominum comparant divinandi causa futuram illorum conditionem. Postea in cc. IV. et V. interjecta quaestione de magia varimode excussa, ac recapitulatione de persarum, chaldaeorum, et aegyptiorum theologia, rursus idem suscipit in c. VI. argumentum de divinatione per astra, ostendens haereticos decipi, et alios decipere ob has vanas observationes, *cum nihil haec significent sidera.*

Insuper non in hoc tantum culpandus est Anonymus, sed etiam in eo, quod quatuor libris *Philosophumenon* titulo nuncupatis, extra satum digressus immiscuit haereticorum dogmata, ubi non erat locus, et amplius Arato poetae inscribere visus ab aliis excogitata. A Libri I. initio ait: « nullam fabulam eorum, qui apud graecos celebrati fuere, praetermittere oportet. » Et Librum V. exordiens subdit: « Arbitror omnium philosophorum apud graecos et barbaros de Deo et de mundi creatione placita diligentissime exposita esse in quatuor libris superioribus etc. » Ac profecto hoc Anonymi munus erat, a quo digredi non licebat, servato demonstrationis ordine.

Attamen in Libro IV. c. VI. n. 3. introducit haereticos una cum Arato disquirentes astrorum mysteria secundum Scripturas: « Nescire autem, scribit Anonymus, se fatetur Aratus, qualis sit iste labor, et quid sit miraculum istud (draconis) quod in coelo volvitur. At haeretici, qui ex astrorum studio voluerunt sua dogmata constituere; et his inquirendis plurimam dederunt operam, ajunt constellationem illam *in genibus* nomine esse Adam, secundum mandatum Dei, ut dixit Moyses: *observantem caput draconis, et draconem*

*calcem ejus.* Sic enim ait Aratus: *dextri pedis vestigium habens tortuosi draconis.* » Item paulo post: « Ursas autem, ait, hebdomadas esse duas, ex septem astris constantes et duplicis creationis imagines. Priorem enim creationem ait esse secundum Adam aerumnis afflictum, qui *in genibus* conspicitur; posteriorem esse secundum Christum, per quem vitam novam accipimus: quae quidem est Anguitenens, qui obsistit belluae, et prohibet, quominus ad coronam homini praeparatam adveniat. Helica autem, ait, est magna Ursa magnae creationis symbolum . . . . *Helica* autem vox idem significare videtur ac *versio* et *revolutio.* Parva autem est altera Ursa, quae videtur esse tanquam effigies posterioris creationis ad imaginem Dei formatae. Pauci enim sunt, ait, qui per angustam viam gradiuntur etc. » Simul commixtis Arati dictis gnosticorum opinionibus, et hïc consertis, quae nullimode huic Libro IV. sed V. jure inserenda erant. Item sentiendum est de eo, quod paulo post in c. VII. ejusdem Libri IV. *De arte arithmetica,* ubi Anonymus Simonem magum et Valentinum introducit docentes secundum Pythagorae philosophiam, vanis illorum de Deo theoriis huc revocatis extra discussionis ordinem; siculi e converso in Libro V. c. II. n. 13. peratarum errores confutans, de astrologia denuo loquitur; cum jam in Libro IV. juxta propositum varimode disputavit.

Quoad autem caput VII. inscriptum *De arte arithmetica,* si conferatur alteri cap. II. *de mathematicis* in eumdem incidunt scopum: nisi quod in hoc agitur speciatim de numeris cabbalisticis ad rerum occultarum cognitionem; in altero de numeris secundum Pythagoram ad investigandum rerum principia. Cui haec praemittit Anonymus: « Quum autem fere omnis haeresis per artem arithmeticam invenerit mensuras hebdomadum, et quasdam Aeonum emanationes, aliis aliter illam divellentibus artem, et nomina sola mutantibus, iisque magister sit Pythagoras, qui primus graecis ex Aegypto tales numeros protulit; ne haec quidem sunt praetermittenda. » Paulo post loquitur de Hebdomade: « quae est, ait, *numerus, unitas, dynamis, cubus, dynamodynamis, dynamocubus, cubocubus.* Hanc Hebdomadem Simon et Valenti-

nus mutatis nominibus in magnum miraculum conflarunt, et suis dogmatibus fundamentum posuerunt. Hanc suam Hebdomadem Simon his constituit nominibus: *Mens*, *Conceptio*, *Nomen*, *Vox*, *Ratiocinatio*, *Cogitatio*, *et ille qui stat*, *stetit et stabit*. His autem nominibus Valentinus appellat Hebdomadem: *Mens*, *Veritas*, *Verbum*, *Vita*, *Homo*, *Ecclesia*, *et Pater connumeratus*. Similiter atque illi, qui arithmeticae philosophiae studuerunt: quam quidem ut ignotam, vulgo sunt mirati et prosecuti, haereses et ipsi invenerunt et constituerunt. » Et ita Anonymo placuit in hoc loco de Simone et Valentino disputare. Attamen in Libro VI. c. I. n. 20. docens a Simone ad Valentinum transiisse mendacem doctrinam, inquit non septem sed sex principia, quae sunt sex Aeones, ab iis statuta fuisse, idest *Intelligentiam et Veritatem*, *Sermonem et Vitam*, *Hominem et Ecclesiam*.

Similiter nescio quid sibi velit Anonymus ab initio hujus capitis docens omnem fere haeresim per artem arithmeticam excogitasse hebdomadum mensuras et Aeonum generationes. Fortasse Auctor voluit in hebdomadis nomine mystice significari septem Aeones vel coelos ( de quibus infra ) secundum hebdomadis septem dies; attamen aliter exponenda res erat. Ceterum cum ait omnes fere haereticos hebdomadum mensuras excogitasse in suis concinnandis erroribus, vix convenio , praesertim si agatur de primaeva Ecclesiae aetate. Testibus namque s. Irenaeo, Tertulliano ac deinde s. Epiphanio, valentiniani solum, ceteris exclusis, arguuntur ab eisdem hujus mystici computi inventores. Inquit s. Irenaeus in Libro I. c. V. n. 2. « Itaque Patrem eum ac Deum eorum, quae extra pleroma sunt, extitisse dicunt . . . . Septem enim coelos ab eo conditos fuisse, supra quos eum esse ajunt; et ob id Hebdomadem eum appellant . . . . Septem porro hos coelos spirituales esse ajunt; angelosque ipsos statuunt. » Et ita conficit Anonymus libros IV. *Philosophumenon*, idest quae a priscis philosophis de Deo et de creatione inventa sunt, exponens, nonnullis consertis de Simone et de Valentino haereticis, et de cabbalistis; quae in sequentes libros transferenda erant.

## CAPUT IV.

*Libri V. qui est primus refutationis haeresum, disquisitio instituitur in iis, quae scribit Anonymus de haereticis naassenis, peratis, sethianis et Justini.*

Ab hujus Libri initio dicit Auctor, se eousque philosophorum apud graecos et barbaros diligenter exposuisse dogmata; proindeque sibi esse ineundum certamen adversus haereses a graeca philosophia originem ducentes, exordiendo a naassenis, qui Serpentem erroris sui celebrarunt caput. Hos porro haereticos in primo loco collocat, quorum successores vocat Simonem ejusque discipulos. Ait enim in titulo 6. Libri VI. se antea de haereticis, qui a Serpente principia deduxerunt, disceptasse: « Nunc et eos qui eorum sententias secuti sunt non praeteribo. » Verumtamen non naassitae vel ophitae primi habentur in historia haeresum, quae ab Ecclesiae christianae ortu invaluerunt. Ast Simon magus a s. Irenaeo et cunctis scriptoribus pater nuncupatur omnium haereticorum: a quo omnes initia sumentes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam: quippe iste primus adversarius restitit apostolicae doctrinae. Naasseni vero vel sethiani postea insurrexerunt, ejusdem Simonis discipuli, vel potius gnosticorum sectae consortes. Ideoque si Philastrius ait, naassenos vel ophitas, ex iis scilicet qui in deserto adorarunt Serpentem, ante Christi adventum extitisse, non nego; quorum tamen narrantur ab Anonymo stulta et impia dogmata, non nisi post Simonem insurrexerunt: nec ideo primi jure dicuntur. Et ita putant s. Irenaeus, Tertullianus et s. Epiphanius. Item Anonymus post naassitas collocat peratas. Et ex adverso Origenes in Libro IV. contra Celsum n. 28. scribit ophianos gloriari et magnopere jactitare Euphratem quemdam, a quo doctrinam impiam acceperunt. Ab Euphrate vero peratae vel peratici dicti sunt, ut ajunt Clemens alexandrinus, et Theodoretus.

Interim de naassenis sive ophitis disserens Anonymus, maxime variat ab Origene (unde perspicue constat hunc

non esse Operis auctorem ) qui in citato libro VI. c. 28. scribit: « At scire debuit, qui stant a partibus Serpentis, quasi boni consilii auctor hominibus fuerit, atque hac in re titanum et gigantum fabulas longe superant, et idcirco ophiani dicti sunt, eos tantum abesse ut christiani sint, ut Jesum non minus Celso calumnientur: nec in eorum sodalitium quemquam admitti antequam Jesum execratus fuerit. » Ex adverso Anonymus de eisdem inquit: « Hi omnium rerum principium hominem colunt et Filium hominis. Est autem hic homo masculus et femina, et apud eos vocatur Adamas... Haec omnia rationalia et animalia et terrena devenerunt et cesserunt simul in unum hominem Jesum, qui ex Maria natus est. »

Descendens autem Anonymus ad naassitarum nefanda et turpia mysteria, longam conficit disquisitionem, et non solum in hoc capite sed etiam in sequentibus. Nihilominus in fine Libri VIII. exacta de encratitis quaestione, subdit: Quod si aliae nominentur haereses, scilicet cajanorum et ophitarum, et noachitarum, aliorumque similium, non necesse esse arbitrati sumus quae ab iis dicta vel facta sunt, exponere; ne se existiment aliquid esse, vel discussione dignos. » Et quid haec sibi velint? et cur ita scripsit Anonymus? Fortasse ignoravit vocabulum hebraicum *nachas serpens* unde naassitae, idem esse ac graecum ὄφις *ofis serpens* unde ὀφῖται *ophitae*, de quo nemo dubitat? Profecto ceteri haeresum historici sub his nominibus unum et eumdem errorem comprehenderunt: nec duos hujus erroris magistros fuisse hucusque agnovimus; uti videre est apud s. Irenaeum, Tertullianum, et s. Epiphanium. Constat itaque Anonymum talia asserentem, aut nescivisse, ophitas eosdem haberi ac naassenos; vel ipsum in hoc conflando Opere, a diversis auctoribus diversa ad litteram transcribentem, oblitum esse, quae antea de his haereticis sub alio nomine expenderat.

Deinceps notandum est quod de eisdem scribit Anonymus in Libro X. c. I. n. 9. « Sed quum nobis ita placeat, incipiamus a sacris ritibus eorum, qui Serpentem colunt. Naasseni hominem dicunt esse universorum principium, et eumdem filium hominis; quem et tripliciter dividunt etc. »

Verum ubi orationis ordo in his verbis? Antea dicit se sacros naassenorum ritus expositurum, deinde illorum dogmata. Attamen praetermissis ritibus, statim illorum doctrinam expendit. Aliud quidem est sectae theoriam censere, et aliud ritus ejusdem externos. S. Epiphanius utrumque notavit de eisdem in Haeresi 37. n. 5. « Igitur propter hanc, ait, ab illo concessam scientiam venerari se Serpentem fatentur, eique panem insuper objiciunt. Verum quippe Serpentem in cista nutriunt, quem mysteriorum tempore stipatis ad ejus cavernam in mensa panibus, invitant . . . Hanc quidem adorant miseri et vocant Eucharistiam etc. » Et hoc idem ab Anonymo explendum erat. Quod tamen nec hic nec postea, nec unquam exegit; sed ejus loco de universi principio eorum doctrinam exponit. Nec item cunctos eorum errores notat nec confutat, asserentium ex. g. Christum non in substantia carnis fuisse: nec salutem carnis sperandam omnino esse: quod tamen ab initio se facturum dixerat.

Item nescio cur Auctor in c. II. hujus Libri V. n. 12. ait: « Est etiam et alia haeresis quaedam peratica; cujus in Christum convicium multos per annos latuit. Hujus placet nunc secreta mysteria in lucem proferre. » Peratarum enim error, mutatis tantummodo nominibus, idem erat ac ophitarum et sethianorum, universae Ecclesiae a secundo Christi saeculo notissimus; cujus praesertim meminere Clemens alexandrinus et Origenes in Libro VI. contra Celsum, cui ideo exprobrat quod ab his mutuatus sit blasphemias adversus Jesum.

Neque iterum Anonymo conveniam, dum absolute ait n. 13. peratarum sermones non Christi esse sed astrologorum. Ex ipsa enim discussione patet, hos haereticos pro suis placitis saepe citare Scripturas, saepissime cabbalistarum more explanatas. Ex. g. n. 12. de homine qui appellatus est Christus inquiunt: « Et hoc esse quod dictum est: Totam plenitudinem in ipso corporaliter inhabitare voluit, et in ipso tota divinitas est sic divisae triadis. » Ideo saltem dicendum sibi fuisset peratas Christi sermonibus abusos, ad astrologiam retulisse.

Quoad vero istorum dogmata, haec specialia notat: « Hi

dictitant mundum esse unum in tres partes divisum. Cujus tripartitae divisionis principium, eorum sententia, est magnus quidam fons, quem ratio in segmenta infinita dissecare potest. Primum segmentum, quod, auctoribus iis, praecellit, trias est: cujus pars prima perfectum bonum ac paterna magnitudo vocatur. Secunda est velut innumera quaedam potentiarum multitudo, quarum aliae ex aliis genitae sunt. Tertia ea est, quae formam habet. Et prima quidem est illud, quod est bonum; secunda autem quod est generatum ex se et bonum: tertia quod generatum est: unde affirmant tres deos, tria verba, tres mentes, tres homines. Nam unicuique mundi partium, divisione perfecta, dant et deos et verba, et mentes et homines et cetera. » Haec eadem tradit quoque Theodoretus.

In fine vero hujus capitis, diverse de eisdem scribit: « Ut autem breviter universam doctrinam eorum explicemus, haec addere operae pretium erit. Universum secundum eos constat Patre et Filio et Materia: quorum trium unum, et quod infinitas in se potestates continet. Sedet igitur medius inter Materiam et Patrem Filius, Verbum, Serpens: qui inter Patrem immotum, et motam materiam semper se movet. Interdum ad Patrem convertitur, et recipit in suam personam potestates; deinde vero, receptis in se potestatibus, convertitur ad Materiam; quae quidem, quum sine qualitate ulla et sine forma ulla sit, ideas effingit a Filio receptas, qui eas a Patre acceptas expressit etc. »

Ex qua locutione constat Anonymum diversa de peratis documenta legisse et transcripsisse, adeo ut ab initio aliam de illis prodat ab ea, quam in conclusione praesefert hujus haereseos definitionem, in medio insuper consertis de Serpente phrygum mysteriis.

Demum nemo ignoret cuncta, quae in hoc libro de naassenis, de peratis, de sethianis et de Justino tractat ac varimode exponit Anonymus, comprehendi in gnosticorum doctrina, quod nomen tanquam sapientes sibi adscripserunt primaevi haeretici, ex hebraeorum cabbala et graecorum fabulis impias doctrinas turpissimis actibus sociatas commentati. Sed non solum hic liber sed etiam sequentes abundant similibus illusionibus.

Ex adverso tamen notandum est, quod in Libro VII. c. VIII. n. 36. ait: « Γνωστικῶν δὲ διάφοροι γνῶμαι, ὧν ὀυκ ἄξιον καταριθμεῖν τὰς φλιάρους δόξας ἐκρίναμεν, ὄυσας πολλῆς ἀλογίας τε καὶ βλασφημίας γεμοῦσας i. e. Gnosticorum variae sunt doctrinae, quorum non judicavi enumerare sententias nugaces et absurdas et blasphemiis refertas: prae quibus quidem philosophorum graecorum discipuli de Deo disserentes dignius se se habuerunt. Magnae vero malorum conspirationis auctor fuit Nicolaus unus e septem diaconis etc. » Et revera iste gnosticorum magister dicitur, unde postea ceteri successores ita vocati sunt.

Ideo mirum est, quum dicit Auctor se nolle absurdas nugaces, cum multae sint, numerare gnosticorum sententias, quando maximam sui Operis partem insumpsit in exponendis multiplicibus et diversis gnosticismi doctrinis. Ad dignoscendam porro in hoc Anonymi illusionis et contradictionis causam, adstat nobis Liber I. s. Irenaei c. XXVIII. et XXIX. ubi ostendens a Simone haereses, unam ab altera discrepantes propagatas, inquit: « Et quid enim? Non est numerum eorum dicere, qui secundum alterum et alterum modum exciderunt a veritate. Super his autem, ex his, qui praedicti sunt simoniani, multitudo gnosticorum Barbelo exsurrexit, et velut e terra fungi manifestati sunt; quorum principales apud eos sententias enarramus. » Haec s. Episcopi verba breviter citans Anonymus suaque faciens, tum pervertit sensum; cum contra a se praemissa retulit. Aliud enim est numerum censere haereticorum, et aliud diversas illorum exprimere sententias. Ceteroquin si s. Irenaeo licuit hic sermo, quippe pauca de gnosticorum sectis disserit et eorum doctrinis: nequaquam vero Anonymo licuit, qui ad satietatem usque de illis disputavit.

## CAPUT V.

*Expenduntur quae in Libro VI. Anonymus notare et refutare se dicit, haereticorum dogmata.*

Anonymus huic Libro praemittit Simonem magum, cujus doctrinam ita varimode exponit, ut videatur a diversis fontibus hausisse sua dictata. Juxta s. Irenaeum et Tertullianum simonianae doctrinae summa talis erat: « Hic igitur, ait s. Irenaeus in Libro I. c. XXIII. a multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter judaeos quidem quasi Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus Sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam Virtutem, hoc est eum, qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se quodcumque eum vocant homines. Simon autem samaritanus, ex quo universae haereses substiterunt, habet ejusmodi sectae materiam. Hic Helenam quamdam ipse a Tyro civitate Phoenicis quaestuariam quum redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis suae conceptionem matrem omnium, per quam initio mentem concepit angelos facere et archangelos. Hanc enim *Ennoiam* Conceptionem exsilientem ex eo, cognoscentem quae vult Pater ejus, digredi ad inferiora, et generare angelos et potestates, a quibus et mundum hunc factum dixit . . . . Quum enim male moderarentur angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem ait se venisse rerum, et descendisse transfiguratum et assimilatum Virtutibus et Potestatibus et Angelis, ut et in hominibus homo appareret ipse, quum non esset homo, et passum autem in Judaea putatum, quum non esset passus etc. » Haec eadem brevi sermone dicit Tertullianus. Idem porro Anonymus notavit in n. 19. 20. nisi quod perspicue patet transtulisse ex Libro I. c. XXIII. s. Irenaei, quamvis minus diligenter descriptum sicuti in ceteris.

Si vero hucusque inter se conveniant Irenaeus, Tertullianus et Anonymus; is tamen ultimus ab initio n. 6. usque

ad n. 19. aliter docentem inducit Simonem de se, de Deo, et de creaturis: *mundum* nempe *genitum ab ingenito igne factum:* item *Deum creasse hominem pulverem e terra assumentem: seque Deum efficientem Simonem creasse coelum et terram.* Insuper plura introducit de Aeonibus magis Valentino et qui ab eo orti sunt, gnosticis propria, nec ideo a praefatis scriptoribus eidem Simoni adscripta. Quibus addendum est, ut optime vidit Cruicius, Anonymum hanc Simonis sectam florentem animadvertisse; cum Origenes (in cujus aetate se se scripsisse dicit Auctor) in Libro VI. contra Celsum n. 11. et alibi affirmat nusquam gentium vel saltem paucissimos reperiri simonianos.

Postea Anonymus c. II. n. 21. 22. valentinianae haereseos originem quaerens, a Pythagora ait et a Platone ac istos ab aegyptiis sapientiam accepisse. Ac propterea citat quae Plato in Timaeo scribit de Solone in Aegyptum profecto illius gentis scientiam perdiscendi causa: « Horum ergo principiorum fons, qui quidem in Platonis Timaeo invenitur, est aegyptiorum sapientia. Inde enim Solon cuncta de mundi ortu et excidio principia retulit; et antiquo quodam et prophetico sermone, ut Plato ait, graecos adhuc pueros, nec ullius hactenus theologicae scientiae gnaros edocuit. » Verumtamen aliter iste narrat hanc in Aegyptum Solonis profectionem, suumque cum sacerdotibus illius regionis sermonem. Cum his namque Solone de graecorum antiquitate contendente, hoc ait Plato ab ipsis obtinuisse responsum: « *O Solon, Solon, graeci semper pueri estis: nullus autem graecus senex est.* Percontante ergo Solone, quare hoc dicis? respondisse (sacerdotem): *juvenes estis animis cuncti. Nullam enim in eis habetis ex antiqua auditione vetustam opinionem, nec ullam scientiam tempore canam, etc.* »

Ex quibus verbis eruitur, Solonem cum sacerdote aegyptio disputasse num vetustior foret graecorum disciplina aegyptiorum institutionibus: non vero utrum ignari necne essent graeci. Aegyptii namque ob vetustissimos suos libros graecis se eminere putabant: « Senes, ut arbitror, (subdit Clemens alexandrinus in fine Libri I. *Stromaton*) dicens, qui antiquiora, hoc est, nostra noverant; ut rursus juvenes, qui

recentiora et quae exercebantur a graecis, quae heri et nuper facta fuerant, ut vetera et antiqua referebant. » Proindeque Solon non docuit graecos de Deo scientiam quasi pueros ( ut vult Anonymus ), quam ab aegyptiis acquisierat; sed ab eisdem accepit graecorum sapientiam relate ad antiquissimam aegyptiorum disciplinam, recentiorem existimari, ac ideo in hac graecos haberi pueros et aegyptios senes. Falsum igitur est, quod dicit Anonymus, Solonem ab Aegypto acceptam scientiam, graecos adhuc pueros et Theologiae ignaros edocuisse.

Insuper peregrina est alia Anonymi locutio asserentis Solonem antiquo quodam et prophetico sermone, teste Platone, graecos imbuisse pueros divina scientia. Nullibi ita scribit Plato. Tantummodo similia notavit Clemens alexandrinus in Libro I. *Stromaton* n. XV. ex ejusdem Philosophi Dialogo *De anima* Libro X. *De republica* inserto et ex Timaeo, quae tamen cônfuse recensuit Anonymus et extra ipsius Clementis sensum. Clemens itaque scribit: « In Dialogo autem de anima rursus videtur Plato agnoscere prophetiam, introducens prophetam Lachesis orationem enunciantem, et apud eas, quae sortiuntur, animas praedicentem. Et in Timaeo sapientissimum Solonem introducit discentem a barbaro. Ita autem se habet dictio: *o Solon, Solon, vos graeci semper estis pueri* etc. ut supra.

Vide ergo tum relate ad Platonis testimonium, cum relate ad sensum, discrepantiam inter Clementem et Anonymum: ac una inspicito istius confusionem et errorem in hac citanda pericope. Plato et Clemens inquiunt: *vos graeci ἀεὶ semper pueri estis*. Anonymus dicit *graecos νέους novos pueros*. Clemens in duas partes dividens sermonem, in prima inquit, Platonem agnoscere prophetiam quoad animarum sortem: in altera aegyptiorum super graecos praestantiam in rerum cognitione ostendit. Quae imperite Anonymus commiscuit et interpretatus est.

Pergens autem Anonymus in conferendis Valentini placitis cum Pythagorae et Platonis philosophia n. 25. scribit: « Asserit autem Pythagoras sidera esse solis fracturas et viventium animas ex astris deferri. Has autem mortales esse

dicit, quamdiu sunt in corpore, at quasi in sepulcro conditas: resurgere autem et immortales esse, ubi corporis vinculis absolvimur. Quare Plato, quum a quodam interrogaretur quid sit philosophia? Animae, inquit, ex corpore migratio. Pythagoras igitur et talium doctrinarum factus discipulus eas expressit in aenigmatibus. Ἐκ τῆς ἰδίης *ex tuo dominio*, ait, *si migraveris*, *noli reverti*. *Si reverteris*, *Furiae*, *quae justitiae sunt auxiliatrices*, *te persequentur;* dominium corpus vocat; Furias autem malos affectus. Si ergo, ait, migraveris, idest si corpore egressus fueris, noli illud desiderare. Etenim si rursus appetiveris; iterum te pravi affectus in corpus includent. Hi enim putant ex corporibus animas in alia corpora migrare, ut ipse Empedocles pythagorizans dicit: Necesse est, inquit, voluptuarias animas, ut Plato ait, nisi, dum in corpore versantur, sapientiam adament, per omnia animalia et germinantia transire, et iterum in humanum corpus regredi. Si autem sapientiam adamaverint, necesse erit pari modo eas ad affinis sideris naturam ter extolli: si vero eam adamare desierint, rursus ad eadem descendere. Anima igitur, ait, potest aliquando mortalis fieri, quum Furiis subjicitur, idest suis pravis affectibus: immortalis autem, si Furias effugerit, idest pravos affectus. »

In praemissis nemo est, qui non sentiat, Anonymum speciales et cujusque proprias Pythagorae, Empedoclis, et Platonis confudisse opiniones, ac pro more suo varimode exposuisse. Et primo illuditur Anonymus cum ex Pythagora dicit, animas mortales esse quamdiu in corpore degunt, resurgere vero et immortales fieri cum a corporis vinculis absolvantur per mortem. Nusquam legitur hoc de Pythagora. Sed aliter omnes fatentur talem *metempsychosim* et *metansomatosim* probare Philosophum, qua animae a corpore ad aliud perpetuo transeunt. Tertullianus enim in Libro *De anima* n. 28. ait « Si vero Samius Sophista Platoni auctor est animarum de recidivatu revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione etc. » Quomodo ergo Pythagoras ex Anonymi sententia inquit animas in corpore mortales esse, resurgere autem et immortales esse cum a corporibus absolvantur, cum numquam sine corpore existant ex ipsius Pythagorae opinione?

Praeterea citata verba ab Anonymo Pythagorae inscripta, non referuntur ad hunc Philosophum sed potius ad Platonem; cujus quoque sensum pervertit Auctor, sicuti in sequentibus apparet. Posteaquam enim ipse scripsit, animas resurgere immortales a corpore absolutas, subdit: « Quare Plato, quum a quodam interrogaretur quid sit philosophia? *Animae*, inquit, *ex corpore migratio.* » Et haec vere docet Plato in Phaedone, praeter tamen ipsius Anonymi et Pythagorae mentem. Ibidem sane sub duplici ratione considerat Plato animam a corpore divisam, proprie et metaphorice. Proprie ait solvi animam a corpore per mortem; metaphorice vere, quando a sensibus corporeis abstrahitur, quin tamen reapse a corpore separetur: in qua separatione vel emigratione Plato constituit philosophiam: « Extremum illud vero, ait, et incommodum est, siquid nobis otium ab illo (corpore) suppetierit et ad alicujus rei considerationem animos nostros convertimus, dum in ipsarum rerum consideratione continuo intercurrit, turbas et tumultum excitat, animumque percellit, ut quidem ipsius causa veritatem minime percipere possit. Atqui revera nobis demonstratum est, si pure et candide aliquid sumus percepturi, ab ipso nimirum corpore esse abscedendum. » Et hinc subdit philosopho necesse esse dum in hac vita degit, ut animam a corpore sejungat et separet et quasi moriatur. Et hoc est quod Plato scribit de philosophia ab hominibus recte exculta, cum mentem suam maxime puram sibi praeparent et a corporis affectionibus immunem.

Cum ergo ita se habeat illorum verborum sensus, primum non Pythagorae inscribenda ea erant ab Anonymo, sed Platoni. Secundo ab ipso Anonymo haud inde inferenda erāt animorum transmigratio in aliena corpora. Non enim hic Philosophus nisi metaphorice tantummodo loquitur de animae mortalitate, separatione, resurrectione et immortalitate; nec ideo locutio metaphorica confundenda cum propria et reali transmigratione animae in aliena corpora secundum placita Pythagorae, Empedoclis et Platonis ipsius. Item cum ex his philosophis ait voluptuarias animas, nisi, dum in corpore versantur, sapientiam adament, per omnia animalia et

germinantia transire et iterum in humanum corpus regredi, amplius confunditur et illuditur Anonymus putans Platonem cum Pythagora docuisse animarum transmigrationem non solum in animantium corpora sed etiam in plantas: quam opinionem Empedocles admisit, alii respuerunt.

Sed et insuper obstupescendum quum in hac discussione Anonymus inquit Pythagoram et cum eo Platonem hujusmodi doctrinas expressisse per aenigmata: « *Ex tuo dominio,* ait Pythagoras, *si migraveris, noli reverti. Si reverteris, Furiae, quae justitiae sunt auxiliatrices, te persequentur:* dominium corpus appellat; furias autem malos affectus. Si ergo, ait, migraveris, idest ex corpore egressus fueris, noli illud desiderare. Etenim si rursus appetiveris, iterum te pravi affectus in corpus includent. » Et hinc concludit Anonymus hos philosophos et Empedoclem docere a corporibus animas transire ad alia. Et quid isto absurdius? Allatum porro testimonium desumptum est ex Plutarchi Libro *De exilio*, ubi Pythagorae et Heracliti sensus citat sed aliter captos ab Anonymo. Plutarchus n. 11. ait: « Ἐκ τῆς ἰδίης ex proprietate sive tua sede, si migraveris, noli reverti. Cui viro ἰδίαν propriam (urbem) fortuna adimit, ei concedit habitare quam delegerit. Pulchrum enim illud pythagoricum praeceptum: delige vitae rationem optimam et tibi jucundissimam: patriam enim tibi tempus faciet. » Paulo post: « At qui foris discurrentes, vitaeque majorem partem in diversoriis publicis et teloniis consumentes, beatos praedicant, similes sunt eorum, qui planetas inerrantibus stellis meliori putant esse conditione. Et tamen unusquisque planetarum suo in orbe tanquam insula quadam, ita circumvertitur, ut suum servet ordinem. *Sol enim,* inquit Heraclitus, *nunquam suos fines transgredietur. Si peccaverit, Furiae justitiae adjutrices invenient eum.* Verum haec, amice, dicimus illis, quibus, cum insulam commigratum est, commercia cum aliis praecidit. »

Plutarchus in hoc loco, uti patet, homines hortatur ut, si forte patria exulaverint, aliam sibi quaerant et ibi degant. Deinde illis exprobrat; qui huc illuc discurrentes, sibi suadent meliorem ducere vitam; et hoc firmat Pythagorae et

Heracliti auctoritate. Et cum talis sit Plutarchi et utriusque philosophi sensus; quare Anonymus alio transfert illorum mentem, putans ibi aenigmatice repraesentari doctrinam de animae transmigratione proprie et improprie sumpta? De reliquis, pro Anonymi scopo hujusmodi discussio circa *metempsycosim* relate ad Valentini haeresim ethnicae philosophiae comparatam, qualis sit orationis nexus et quid conferat demonstrationi, nondum inveni. Enim vero Valentinus in suis institutionibus insaniens plura docuit de Aeonibus, eorum conjugiis et emanationibus, adversus Christi incarnationem et carnis resurrectionem etc.: attamen de animae statu, sive de *metempsychosi* secundum Pythagorae et Platonis sententiam nulla mentio extat apud s. Irenaeum, et Tertullianum.

Item singulare est quod de Valentini concordia cum Pythagora tradit Anonymus in n. 27: « Quoniam autem ea dicere suscepimus, quae Pythagoras obscure per symbolica discipulos docebat, oportet etiam de ceteris mentionem facere; propterea quod haeresum architecti tali quadam ratione conati sunt per symbolica loqui, non autem propriis usi, sed iis, quae a pythagoricis sermonibus acceperant. Suos igitur discipulos docet Pythagoras dicens: Saccum vinci; ut ii qui jam jam iter facturi sunt, in saccum sua vestimenta illigant ad viae apparatum: eodem modo discipulos suos paratos esse vult: quasi mors improvisa singulis momentis eos correptura sit, nihil desiderantes eorum, quae per disciplinam cognosci possunt. Quapropter illucescente die, docebat pythagoreos se invicem hortari ut vincirent saccum, idest ut parati ad mortem forent. Ignem gladio ne moveas, dicens: iracundum virum ne lacessas. Igni enim iracundus homo similis est: gladius autem est sermo. Verriculum noli conculcare: idest parvam rem ne contemnas. Palmam domi noli serere; jurgia in domo ne foveas. Rixae enim et dissensionis palma imago est. E sella noli comedere; sordidam artem noli exercere, ne corruptibili inservias corpori; sed potius sermonibus vitam sustentes. Tibi enim licebit et corpus alere, et animam meliorem reddere. Ex integro pane nihil dentibus adimas. Tua bona ne comminue,

e fructu sume: sed pecuniae caput serva quasi integrum panem. Ne fabis vescere: magistratum urbis ne assume. Fabis enim in eo tempore utebantur, ut sortirentur magistratus. Haec igitur et alia hujusmodi pythagorici dicunt: quos imitati haeretici quibusdam videntur sublimia dicere. »

Et quis unquam audivit talia Valentinianos docentes juxta Pythagorae dictata, ut vult Anonymus? Audiatur interim quae de valentinianorum vita et moribus tradunt s. Irenaeus, Tertullianus, et s. Epiphanius n. 21. « Quocirca, iste ait, qui inter illos perfectissimi censentur, illicita omnia, legibusque vetita licenter perpetrant .... Alii dum in voluptatibus corporis ac libidinibus assidue volutantur, carnalia se carnalibus, ac spiritalibus spiritalia reddere profitentur. Quamobrem nonnulli clam stupra cum mulierculis disciplinae hujus suae alumnis exercent ... Sunt et qui pudore omni posito, quascumque mulieres adamarint, palam a viris abductas pro legitimis uxoribus habent... Dici non potest quam impia et detestanda alia flagitia committant quae dum faciunt, nos scilicet, qui prae timore Dei ne cogitatione vel sermone quidem scelus ullum admittere studemus, tanquam idiotas et imperitos derident; se vero mirifice praedicant ac perfectos homines electamque stirpem nominant. etc. »

Videat ergo Anonymus, collatis Valentini et Pythagorae statutis, quanta sit inter hos concordia, adeo ut hac in parte quoque valentiniani Pythagorae haeredes fuisse dicantur. Nonne potius ex Epicuri quam ex Pythagorae schola emanasse Valentini haeresim dicendum foret? Sane praefatus Tertullianus n. VII. hunc refutans, ait Valentini *Bython* in altissima quiete versari sicuti Epicuri Deus. » Utinam has et hujus generis alias sententias sapientissime expositas accepissent valentiniani, pythagoricos imitati in iis, quae tantus Magister discipulos suos docuit. Frustra ideo clamitat Anonymus Pythagorae cum Valentino concordiam.

Deinceps in hac collatione aliud speciosum nobis objicitur, quod scribit Anonymus de fabis ex Pythagorae *aphorismis*, ubi pro more suo ipsius dicta depravat. Graeca Anonymi verba ita se habent: Κυάμους μὴ ἔσθιε. Ἀρχὴν

πόλεος μὴ ἀποδέχου. Κυάμοις γὰρ ἐκληροῦντο τὰς ἀρχὰς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον: i. e. fabas ne manduces: magistratum urbis ne assumas. Fabis enim eo tempore sortiebantur magistratus. » Hanc eamdem sententiam ex Pythagora Plutarchus *De liberis educandis* ita expressit: « Κυάμων ἀπέχεσθαι, ὅτι οὐ δεῖ πολιτεύεσθαι. Κυαμευταὶ γὰρ ἦσαν ἔμπροσθεν αἱ ψηφοφορίαι, δι' ὧν πέρας ἐπετίθεσαν ταῖς ἀρχαῖς i. e. fabis abstine: non enim oportet rempublicam administrare. Nam olim magistratus per suffragia fabis lata creabantur. »

Sive ex Plutarcho, ut videtur, sive aliunde hunc Pythagorae *aphorismum* collegerit Anonymus, constat tamen ipsum duos Philosophi *aphorismos* confudisse; unum scilicet *a fabis abstineto*, alterum *fabas ne manducato*, qui sensu variant. *A fabis abstineto*, idest in electione magistratus suffragio tuo ne convenias: *fabas ne manducato*, ad evitandos scilicet libidinis aestus. Plinius in Libro XVIII. *Historiae naturalis* c. XII. « Quin et prisco usu, ait, fabacia suae religionis diis in sacro est: praevalens pulmentari cibo, et hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere, ob haec pythagorica sententia damnata. Ut alii tradidere, quoniam defunctorum animae in ea sint. » Hinc cernito, Anonymum unum cum altero commiscuisse *aphorismo*, et Philosophi pravasse dicta, inepta locutum.

Nec porro praeterire licet quomodo deinde Anonymus n. 29. Valentini haeresim Pythagorae philosophiae conferens, dissidium notet inter valentinianos circa rerum omnium causam: quam alii unam, alteri duplicem statuunt: « Nos autem, inquit, pythagoricum principium custodientes, quod est unum sine conjugio, sine sexu, sibique sufficiens, memorantes quae ipsi docent, dicemus: Nihil omnino erat ait Valentinus etc. » In qua locutione cum se se judicem constituat Anonymus, ac Monadem Pythagorae acceptet, altera praetermissa valentinianorum opinione, Philosophi fautorem se exhibet, orthodoxa neglecta doctrina, et congrua hujus erroris refutatione. Sed iste dicendi mos non est infrequens in Anonymo, qui opiniones philosophorum expendens, quandoque illius morem gerit, cujus scripta discutit. Insuper in hac quoque de valentinianis discussione Auctor ad litteram

transcribens s. Irenaei dicta, nonnulla omisit, alia confudit ita ut nisi extaret textus genuinus s. Martyris, frustra quaereretur sensus Haeretici. Conferantur nn. 30. 31. 32. hujus Libri VI. cum Libro I. s. Irenaei c. I. nn. 1. 2. 3.

Porro circa Valentini scholam revocandum est quod ab exordio promisit Anonymus se velle omnium haereticorum dogmata, arcana illorum mysteria, turpia et nefanda pandere facinora, quibus initiati obstringuntur: « Non enim, ait, exiguum vitae hominum relinquemus adminiculum ad effugiendos errores, abditis eorum et silentio damnatis orgiis omnium adspectui prostitutis, quae dispensantes solis conferunt illis, qui initiantur. » Et in his potissimum corripiendi sunt valentiniani; quorum turpitudines praeter vanissima illorum commenta produnt s. Irenaeus et Tertullianus. Primus in Libro I. c. VI. scribit: « Quapropter et intimorate omnia, quae vetantur, hi, qui sunt ipsorum perfecti, operantur; de quibus Scripturae confirmant, quoniam *qui faciunt ea, regnum Dei non haereditabunt.* » Eaque sunt nuper memorata, quae Tertullianus comparat mysteriis eleusiniis. Nihilominus Auctor noster cum longam intexit quaestionem, studiose conferens Valentini doctrinam de Aeonibus de eorum numero et proprietatibus, Pythagorae et Platonis philosophiae; cetera vero suo scopo necessaria circa pravos illorum haereticorum mores et nefanda conventicula penitus omisit, programmatis sui oblitus. Denique nec probandum quod Anonymus in n. 3. absolute ait, doctrinam Valentini non ex Scripturis sanctis sed ex platonicis et pythagoricis placitis conflatam esse. Ab utroque enim fonte, idest e Scripturis sacris et Philosophia compegit Valentinus fabulosa commenta de Aeonibus, uti cuique ea legenti praesto manifestissime est.

Hinc transit Anonymus, ac duos nominat ex eadem Valentini schola Secundum et Epiphanem: ubi ad litteram describit, quae narrat s. Irenaeus, in Libro I. c. XI. n. 2. nec tamen istius nomen citat, quibusdam vero praetermissis, maxime s. Martyris dictis adversus tantam haereticorum audaciam. Item de Ptolomaeo ex s. Martyre repetit Anonymus donec pertingit ad Marcum: de quo in eodem Libro VI. c.

V. ita scribit: « Alius quidam eorum Marcus magicae artis peritus, tum magicis praestigiis tum daemonum auxilio multos seduxit. Is dicebat sese vim maximam ab iis locis, qui nec oculis cerni nec ullo nomine exprimi possunt, consecutum. Saepius poculum assumens, et quasi vellet consecrare, invocationis verba in longius protendens, efficiebat ut mixtura purpurea appareret et aliquando rubicunda: quibus artificiis delusi crederent spectatores gratiam quamdam descendere, et vim sanguineam communicare potioni. Tunc scelestus ille multos fallebat, sed jam non amplius poterit, utpote convictus etc. »

Ex quo sermone sicuti ex praemissis s. Irenaei dictis ab eo verbotenus citatis, constat illum s. Martyris nomen et aetatem sibi adscripsisse, pluribus tamen juxta morem mutatis, ac neglectis tum in illorum cum in ipsius Marci refutatione: et praesertim de Marco, quem asserit a se convictum, cum nunquam confutarit.



## CAPUT VI.

*Anonymi dicta censentur de haereticis, quorum errores in libris VII. et VIII. expositi et refutati ab eo dicuntur.*

Auctor in c. I. n. 19. hujus Libri disserens de doctrina Basilidis ejusque analogia cum Aristotele, in cunctis discedit a testimonio s. Irenaei, Tertulliani, et s. Epiphanii. Horum enim primus Irenaeus in Libro I. c. XXIV. n. 3. ait: « Basilides autem, ut altius aliquid et verosimilius invenisse videatur, in immensum extendit sententiam doctrinae suae, ostendens *nun* primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum *logon*, deinde a *logo Phronesim*, a *Phronesi* autem *Sophiam* et *Dynamin*, a *Dynami* autem et *Sophia* Virtutes et Principes, et Angelos; quos et primos vocat et ab iis primum coelum factum. Dehinc ab horum derivatione, alios autem factos, aliud coelum simile priori fecisse; et simili modo ex eorum derivatione quum alii facti essent antitypi eis, qui super eos essent, aliud tertium deformasse coelum; et a tertio deorsum descendentium quartum, et deinceps secundum eum modum alteros et alteros Principes et Angelos factos esse dicunt et coelos 365. Quapropter et tot dies habere annum secundum numerum coelorum . . . .

« Principem eorum ait, qui judaeorum putatur Deus esse. At quoniam hic suis hominibus, idest judaeis voluit subjicere ceteras gentes, reliquos omnes Principes contra stetisse ei et contra egisse. Quapropter et reliquae resiluerunt gentes ejus genti. » Deinde docet innatum Patrem misisse *Nun* suum, qui est Christus, et apparuisse in terris specie tenus hominem, nec ideo passum esse; sed Simonem quemdam Cyrenaeum portasse crucem ejus, ac pro eo cruci infixum. Animas autem solummodo salvari, et corpora minime resurrectura. Utuntur autem et hi magia et imaginibus et incantationibus etc. Et haec universim continentur in haeresi Basilidis secundum praefatos scriptores.

Anonymus porro quamvis longissima discussione hujus Haeretici enarrat dogmata; tamen in multis discordat, vel

negans vel addens ab Irenaeo et Tertulliano asserta seu omissa. De Deo enim non ente, de *Filietate* Υἱότης Deo non enti consubstantiali, de *Filietate* in tribus partibus divisa de Spiritu Sancto, quo *Filietas* induitur, de *Methorio* sive *Confinio*, de *Magno Archonte*, de *Ogdoade*, de *Ebdomade*, de *Evangelio*, de *Naphtha*, ac de aliis hujus generis fabulis, quas inquit Anonymus commentatum esse Basilidem, mentionem neglexerunt praedicti Patres sicuti et s. Epiphanius, quamvis serius de iisdem disseruerit. Quapropter videtur non esse Basilidi adscribenda haec doctrina; sed potius Valentino et successivae aetatis aliis sub communi *gnosticorum* nomine comprehensis haereticis primi et secundi saeculi, confusis cujusque sectae erroribus; quod maxime Anonymo accidit.

Item cum spondet Anonymus enarrare et refutare singulas haereticorum opiniones, de basilidianis locutus nec refutat nec haeretica istorum dogmata adversus resurrectionem notat, nec actuum humanorum indifferentiam: nec magias et invocationes, quibus utuntur, notat juxta veterum Patrum testimonium. Tantummodo in medio discussionis n. 26. secundum exposita ab Irenaeo, pericopem hanc ita includit: « Quum igitur omnia in Hebdomade illuminata fuissent, et nuntiatum eos fuisset Evangelium *(creaturae enim sunt secundum ipsa intervalla, ut isti haeretici docent, infinitae et Principalitates et Virtutes et Potestates, de quibus longissimus apud eos et multus est sermo, in quo trecentos et sexaginta quinque coelos esse affirmant, et magnum illorum Principem Abrasax, quod nomen istud numerum 365 contineat, ac si nominis numerus contineret omnia, et propterea annus totidem diebus constaret)* sed quum haec omnia, ait Basilides, ita facta fuissent, scilicet illuminatio Hebdomadis et Evangelii manifestatio, necesse erat postremo ut deformes nostrae sedes illuminarentur etc. » Ut luculenter apparet, verba parenthesi inclusa nec praecedentibus nec sequentibus conveniunt; proindeque Auctoris inscitiam arguunt; qui fortasse sentiens hanc de haeresi Basilidis descriptionem variare ab Irenaei et Tertulliani sententia, haec intrusit verba extra tamen argumenti ordinem.

Peculiarem porro afficit stuporem in hac quaestione A-

ristotelis doctrinae comparatio cum haeresi Basilidis, in quam maxime incumbit Anonymus, ab initio asserens hujus Haeretici dogmata non Christi sed Aristotelis esse stagiritae. Propterea plura collegit ab ejusdem libris ac praesertim a *Categoriis;* quibus expositis, concludit: « Quod si (n. 19) igitur Basilidem inveniamus non tantum sensu sed ipsis verbis et nominibus transtulisse Aristotelis dogmata in evangelicum hunc librum, quid deerit, nisi ut aliena suo Auctori reddentes ? etc. » Ac interim Dei definitionem profert, ita putans, secundum Aristotelem, et inquit: « Definitionem vero Dei, quam dat Aritoteles non arduum est cognoscere; arduum est eam intelligere: *Conceptio enim est*, ait, *conceptionis; quod est prorsus et omnino ὀυκ ὄν non ens.* Paulo post n. 21. subdit: » *Deus non ens efficit mundum ex iis quae non sunt ponens* etc. Quam definitionem Anonymus inscribit quoque Basilidi, ut inter utrumque doctrinae unitas statuatur. Verumtamen nec primus nec alter hujusmodi de Deo definitionis hucusque auctores agnoscuntur.

Et quoad Aristotelem, probe dicit Anonymus sibi arduum videri intelligere Dei definitionem secundum Aristotelem. Nam ipse incumbens ad ejus intelligentiam, illusus est Philosophi pervertens sensum. Ex quotquot nunc perstantibus ipsius libris nullibi reperitur Aristotelem Deum definiisse *ὀύκ ὄν non ens;* nec multo minus probatur, cum ait, *Deum Conceptionem Conceptionis esse*, indicare voluisse *Deum non entem.* Ex adverso saepius Deum *ens* definivit Philosophus; ex. g. in Libro XII. *Metaphysicorum* c. VII. « Dicimus, scribit, itaque Deum sempiternum et optimum vivens: quare vita et aevum continuum et aeternum Deo inest. Hoc enim est Deus. » Item docet alibi Deum unicum esse, perpetuum, perfectissimum, simplicissimum, primam causam efficientem, totius bonitatis fontem, et pulcritudinis, unicum universi principem etc. Unde ergo habuit Anonymus hanc Dei definitionem ? Fortasse parum consultus Aristoteli inscripsit, quae in Libro I. *Metaphysicorum* c. IV. exprobrat Leucippo et Democrito, qui mundi elementa posuerunt *plenum et vacuum* sive *τὸ ὄν, καὶ τὸ μὴ ὄν ens et non ens.*

Similiter quod Anonymus supponit de Basilidis concor-

dia cum Aristotele circa Deum *non ens*, quam maxime fallitur. Haereticus enim nusquam vocavit Deum τὸ μὴ ὂν *non ens*, sed dixit ἀγέννητον *ingenitum*, ideo indicare volens ipsum ex se existentem, sine principio et ab aeterno fuisse; et hinc subdit νοῦς *mens*, quam docet ad ingenito Patre genitam, quae est Christus, veluti testis est s. Irenaeus in Libro I. c. XXIV. n. 3. Fortasse, quemadmodum de Aristotele, illusione captus est Anonymus, vocabulum ἀγέννητον interpretatus τὸ μὴ ὂν *non ens*: a quo tamen sensu prorsus abfuit Haereticus. Quomodocumque sit concluditur falsum, quod Anonymus Aristoteli et Basilidi adscribit circa Deum *non ens*. Eorum enim nemo hanc de Deo definitionem excogitavit nec comprobavit unquam quinimmo refutavit amplissime.

Pari jure absonum reputatur quod profert Anonymus de doctrinae analogia inter Basilidem de Verbi generatione a Patre, ab Aristotelis deducta philosophia circa *entelechiam* sive animae actionem in corpus. Scribit Anonymus in n. 24. « Haec est secundum Aristotelem physici corporis organis instructi *entelechia* anima in corpore agens, sine qua corpus nihil efficere potest majus aliquid et manifestius et potentius et sapientius corpore. Sic quae Philosophus prior docuit de anima et de corpore, eadem Basilides de magno Archonte et de Filio ejus protulit. Filium enim Archon, secundum Basilidem, genuit: animam autem opus et effectum Aristoteles ait esse physici corporis organis instructi *entelechiam*. Quemadmodum igitur *entelechia* regit corpus; eodem modo Filius regit, secundum Basilidem, ineffabilium ineffabiliorem Deum etc. »

Quanta vero vanitate polleat hoc Anonymi argumentum ad instituendam paritatem inter Aristotelis et Basilidis doctrinam, ipse judicet, qui in his quaestionibus non de quavis, sed circa eamdem rem investigat analogiam, ut statui possit unum eadem professum esse ac alterum qui primus citatur ejusdem dogmatis magister. Et hinc si Anonymus de Deo Patre ingenito ac de Mente seu Filio genito secundum Basilidis sententiam disputans, eumdem comperisset in Aristotele de Deo Patre et Filio ejus sermonem eumdemque sensum; tunc jure praesumendum esset Basilidem a Philo-

sopho suae haereseos deduxisse initium. Alioquin de hac re nulla inter utrumque cedit relatio. Alia enim est quaestio Aristotelis de Deo, et alia est quaestio de anima. Aliud est *entelechia* sive perfectio corporis organici, vel substantia, quae vitam rationalem et sensitivam in corpore organico producere apta est; et aliud est Deus prima causa efficiens, aeternus, immobilis, universi princeps. Nonne vanum est putare, Basilidem docuisse Filii seu Mentis generationem ab Archonte Patre ex quo Aristoteles antea statuit *entelechiam* regere et perficere corpus? Attamen Anonymo licuit hanc commentari analogiam, ut patefaceret Aristotelis doctrinam de anima talem tenendam esse ac Basilidis opinionem de Deo Archonte et de Filio ejus.

Ceterum nescio quos Aristotelis libros consuluerit Anonymus; unde *eosdem sensus*, *eademque verba et nomina* dicit translulisse Basilidem in sua concinnanda haeresi. Nemo ex Patribus hoc notavit; et ex superstitibus Philosophi libris ne vestigium quidem decernitur sensuum nec multo minus verborum et nominum, quibus constat haeresis basilidiana. Siquid autem Basilides ex graeca philosophia subripuit, idest opinionem de metempsychosi, ut ait Origenes, id non ab Aristotele sed a Pythagora repetendum erat. Nihilominus Auctor noster pro more suo nec hunc Basilidis errorem notavit, nec istius nec aliorum sincerum fontem scrutatus est.

Similiter Aristotelis studiosis remitto Anonymi dicta in n. 15. 16. etc. circa definitionem et partitionem *substantiae* juxta Philosophi mentem expressam; et quanto jure universim Basilidis errores repetendi sint ab illius doctrina. Tantummodo hoc notandum duco. Postquam enim ab initio valde contendit Auctor n. 14. pro concordia haereseos basilidianae cum Aristotelis philosophia, asserens illius haeretici sophismata fuisse ab eo Philosopho deprompta, et paulo post n. 20. rursus subdit Basilidis et Isidori discipulos a Peripato furatos esse, quae isti docebant; tamen concludit n. 27: « Hae sunt fabulae, quas Basilides, postquam in Aegypto manserat, commentus est: et apud aegyptios hanc summam sapientiam edoctus, fructus tales protulit. » Hinc inferas, quae inferenda sunt.

Deinde Anonymus proposito suo instans circa haereticorum doctrinam philosophorum superstructam institutionibus, haec de Marcione in Libro VII. c. III. scribit: « Marcion ponticus multos illis (saturniliis) vesanior, opiniones plurimorum mittens, et in majorem impudentiam irruens, duo principia universi supposuit, unum bonum esse dicens, alterum autem malum. Ipse quoque ratus se aliquid novi introducere, scholam formavit plenam amentiae et cynici cultus, ut qui lascivus erat. Et ipse arbitratus est homines ignoraturos illum non extare Christi discipulum sed Empedoclis, qui ipsius temporibus multo erat antiquior. Haec statuens docuit duo esse principia universi, Discordiam et Amicitiam. Quid enim dicit Empedocles de mundi productione? Etsi jam ea supra exposuimus, non praetermittemus nunc, ut possimus eadem conferre cum haeresi istius furis doctrinarum. Empedocles ait esse sex omnia elementa, ex quibus mundus constitutus est et existit: duo quidem materialia, terram et aquam: duo instrumenta, quibus materialia elementa ordinantur et moventur, ignem et aerem; duo autem, quae instrumentis elaborant materiam, eamque condunt, Discordiam et Amicitiam: quae omnia expressit his verbis etc. »

Num vero punctum tulerit Anonymus in hac collatione, sedulo exponantur, quae uterque Empedocles et Marcio secundum veterum Patrum testimonia de Deo ejusque essentia docuerint; et speciatim in ordine creationis, ut inde pateat quanta sit in illorum systemate analogia. Et interim scito Anonymum in Libro I. c. III. Empedoclem citare docentem, principium universi esse Discordiam et Amicitiam. Deinde in hoc loco duo principia statuit universi, Discordiam nempe et Amicitiam. Clemens alexandrinus *Admonitione ad gentes*, inquit Empedoclem multitudinem deorum admisisse; et praeter quatuor elementa (ignem, terram, aquam et aerem) Νεῖκος καὶ Φιλίαν Contentionem et Amicitiam enumerat. Marcion vero ex Tertulliano *De praescriptione adversus haereticos* n. 51. « ex occasione qua dictum sit: *omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos,* haeresim Cerdonis approbans conatus est, eadem dicere, quae ille superior haereticus ante dixerat, duos introducens Deos, unum bonum

et alterum saevum : bonum superiorem ; saevum hunc mundi creatorem. »

Insuper nemo ignoret, Tertullianum (qui juxta nonnullos putatur *Philosophumenon* auctor) nullibi indicasse Marcionem ex Empedoclis schola hausisse tam impiam de Deo doctrinam. Et id jure videtur. Alter enim ab altero, Marcionem dico et Empedoclem, pro scopo suo abscedit. Empedocles, ut taceam de pluribus diis, ex his quatuor majores fingit, terram, aquam, ignem et aerem; ac insuper duo Discordiam et Amicitiam addit materiae structores et ordinatores. Discordia separat, et amicitia jungit mundi partes. Discordia causa est omnis mundi constitutionis ut per omne aevum permaneat. Amicitia vero efficit, ut cuncta genita educantur a mundo et convertantur; et denuo in unum restituantur. Et haec secundum Anonymum docet Empedocles. Ex adverso autem docebat Marcion, bonum Deum scilicet, supremum, incomprehensibilem, invisibilem, nihil eorum, quae in mundo sunt, condidisse. Alterum vero Deum malum aspectabilem esse dixit et creatorem, occasione suscepta ex Evangelii dictis de bona arbore, quae malos fructus facere non potest; et vicissim de mala arbore, quae bonos facere nequit fructus : adeo ut ambo necessario in perpetua separatione sint, unusquisque in essentia propria et potestate, ut unus Deus dicatur bonus, et alter malus; bonus supremus et invisibilis, seu arbor bona bonos proferens fructus : malus visibilis et creator mundi, aut arbor mala malos fructus germinans. In qua definitione tollitur Marcionis doctrinae analogia cum Empedoclis systemate. Nam iste inquit ab Amicitia et Discordia oriri et ordinari mundi constitutionem: Marcion vero tenet a Discordia tantummodo, sive a principio malo processisse universi creationem ejusque structuram.

Quare sequitur Anonymum gratis increpare Marcioni; cum hunc inducit docentem mundi Demiurgum esse malum; ac bonum esse Deum dirimentem opera mali Demiurgi, et omnia constituentem in unitate. Quod nullimode docuit nec voluit Marcion, perpetuam statuens inimicitiam nullatenus dirimendam inter Deum quem bonum dicit, et inter Deum;

quem malum appellat. Non dicit Empedocles Discordiam et Concordiam creasse terram, aquam, ignem et aerem; sed ex conflictu qualitatum illorum elementorum ortas esse Concordiam et Discordiam, in symmetriam tamen convertendas uti animadvertit Empedocles et cum eo Plato in Timaeo, et Aristoteles in Libro *De mundo*.

Et quidem mirum in Auctore est tantum studium in aequiparanda Marcionis haeresi Empedoclis philosophiae ita ut audacter inclamarit, Marcionem (n. 30.) non a Paulo Apostolo nec ab Evangelio Marci dicta sua protulisse in hac istituenda opinione de bono et malo principio: « Nihil enim, ait Anonymus, horum in Evangelio secundum Marcum scriptum est. Sed Empedocles Metonis agrigentinus (haec annuntiavit) quem Marcion suffuratus, opinatus est, usque nunc celari totam hanc haeresim ab eo constitutam esse, dum ex Sicilia in evangelicos sermones Philosophi placita transferret, ipsius verbis usus. » Attamen, dixi, non nisi Anonymus haec consideravit in Marcione; cum ceteri Ecclesiae scriptores nequaquam talem animadverterint analogiam; nec insuper Tertullianus idem, cui inscribitur Liber: et qui libros quinque edidit in hujus Haeretici confutationem, summo ipsius studio eleboratam. Qui tantae Marcionis vanitatis fontem quaerens, ex Scripturis maxime, quarum sensum iste corrupit, deduxisse reperit, Empedoclis exclusa philosophia.

Ac profecto Presbyter afer in Libro IV. n. VI. scribit: « Certe enim totum (Evangelium) quod elaboravit Marcion, etiam *antitheses* praestruendo, in hoc cogit, ut veteris et novi Testamenti diversitatem constituat, proinde Christum suum a Creatore separaturus, ut Dei alterius, ut alienum Legis et prophetarum. Certe propterea contraria quaeque sententiae suae erasit conspirantia cum Creatore, quasi ab assertoribus ejus intexta, competentia autem sententiae suae reservavit. »

Quamvis autem Tertullianus ex prisca graecorum philosophia revocare studuerit haereticorum placita, attamen Marcionem inquit non ex Empedocle suffuratum esse errorem suum, sed ex stoicis: « Inde Marcionis Deus, scribit,

melius de tranquillitate, a stoicis venerat. » Quae verba Pamelius interpretatus subdit Marcionem ab Ecclesiae communione ejectum ob stupratam virginem, commentum esse duos deos, alterum bonum et sapientem Deum tranquillum, quietum, sedatum, qui nemini per indicibilem naturae suae bonitatem nocere neque velit, neque possit. Is est Christi Pater. Alterum vero Deum finxit esse malum, qui mundum creavit et omnium est auctor malorum, quae fiunt et perpetrantur in mundo. Praeterea Tertullianus in praefatis libris adversus eumdem, addit ipsum epicureis similia et genethliacis docere, quae nil commune habent cum Empedoclis philosophia.

Insuper nec latuit Tertullianum, Empedoclis Inimicitiam et Amicitiam circa universas creaturas versari: quippe e contrariis constent ac mutuo contendant; et hinc ab eo non ut causae sed effectus considerantur. Nec item ignoravit, Empedoclem refutare et condemnare Marcionem potius quam dicatur, Marcio ab eo suae haereseos initium deduxisse. Totum Marcionis studium consistit in dividendo et scindendo Deum, ut de uno duos faciat deos. In hoc totis viribus incumbit, ut Deum bonum separet a Deo malo. Ex adverso Empedoclis systema consistit, veluti dixi, ut mundi elementa, quae ex natura sua sunt sibi contraria, in harmoniam et concordiam revocet, ut sint unum. Et si quodammodo liceret Empedoclis sententiam ad Christi doctrinam symbolice referre, ab illius verbis Marcionis dogma refellitur. Christus enim omnia quae, sunt in coelo et in terra pacificavit, ut ait Apostolus, inimicitiam sustollens inter Deum et creaturas ob originis culpam.

Non est deinde praetereundum, quod Anonymus Marcionis haeresim revocare studens ad Empedoclis scholam, addit de cujusdam marcionitae, nomine Prepon, Libro: ubi duobus Marcionis principiis tertium veluti medium adjecit idest *Justitiam*: « Ait enim Empedocles (scribit Anonymus n. 31.) mundum unum esse a Discordia mala gubernatum, et alterum spiritualem ab Amicitia ordinatum: et medium esse adversantium principiorum *Justum verbum*: quo regente, junguntur, quae divisa sunt a Discordia, et secundum Ami-

ciliam adaptantur unitati. Hoc idem *Justum verbum* Amicitiae commilitonem Empedocles Musam invocans precatur, ut sibimetipsi auxilium ferat, hunc in modum dicens:

Si uni mortalium favens, coelestis Musa,
(Gaudes) meditationes nostras prospicere,
Ευχομένῳ νῦν αὖτε παρίστασο, καλλιόπεια,
ἀμφὶ θεῶν μακάρων ἀγαθὸν λόγον ἐμφαίνοντι.
Precanti nunc rursus adesto, Calliope,
Mihi de diis beatis *bonum verbum* manifestanti. »

Quomodo vero ab hac Empedoclis invocatione erga coelestem musam et speciatim ex dictis *verbum bonum*, eruendum sit, ut vult Anonymus, tertium principium, sive *Justitia*, quod medium reperit Prepon inter malum et bonum Deum a Marcione constitutum, arduum satis mihi est divinari. Sane mirum et tantumdem absonum est quod Anonymus ab his versibus, eruit. Poeta Calliopem precatur ut sibi adsit, qui de diis beatis *bonum verbum* sive bene locuturus est. Quod aliter Auctor noster, vocabulum commune transferens ad Verbi divini personam, vocat *Justum verbum* Justitiae commilitonem. Ita enim accepto carmine, sensus confunditur, et scopus fallitur Empedoclis. Praeterea, quod magis mirum est, postquam hanc ignobilem statuere collationem nisus est Anonymus ex Philosophi dictis, ne sensit quidem in tertio Preponis principio comprehendi non Deum bonum sed Deum justum, idest medium inter bonum et malum, ut apte notavit Tertullianus. Proindeque et hinc quoque cernitur frustra laborasse Anonymum in graecorum poetarum quaerenda, ubi non est, concordia cum haereticis.

Insuper illud mirum in Anonymo, qui graece scribens, ac citans Librum Marcionis, cui titulus est ἀντιθέσεις *antitheses* ita vulgo inscriptus, cunctisque scriptoribus sub hoc vocabulo notus, et maxime Tertulliano in Libro IV. c. VI. adversus eumdem, nihilominus ejus loco scripsit ἀντιπαραθέσεις *antiparatheses*, ex novitate nominis putans aliquid novi introducere in suum Librum.

Item non est praetereundum, quod Auctor in hoc Libro expendit de Marcione; et quod de eodem innovat in Libro X. c. XI. In Libro enim VII. dicit Marcionem duo principia

universi supponere unum bonum, malum alterum. Et ob hoc probare conatur hanc doctrinam Marcionem ab Empedoclis duobus principiis Amicitia et Inimicitia deduxisse. Attamen postquam de hac re summopere laboravit: in Libro X. inquit Marcionem non duo principia sed tria admisisse Bonum, Justum et Materiam. His positis, suis sane manibus, quam Empedoclis antea instituit Anonymus cum Marcione concordiam, penitus deinde in hoc loco diruit.

Demum neminem latet, puto, Marcionem plures, quam notavit Anonymus, prupugnasse errores. Testibus Tertulliano et Epiphanio, ab initio duo principia vel duos deos unum bonum, saevum alterum admisit Marcio. Deinde docuit Christum solummodo in phantasmate et non in substantia carnis venisse: non vero carnis sed animae docuit resurrectionem; ter licere baptismo elui in remissionem peccatorum. Legem et prophetas abjecit; solum Lucae Evangelium nec totum recepit. Jejunium in sabbato sancivit; ac animarum quoque in alia corpora transmigrare putavit. Et haec impia dogmata a praefatis Patribus notantur et expugnantur. Anonymus vero, uno notato et irrefutato de duobus principiis errore, ceteros penitus indicare multoque magis confutare praetermisit. Nihilominus in fine asserere audet: « Hanc impiam haeresim satis refutatam a nobis esse arbitramur: neque existimamus praetermisisse nos quidquam doctrinarum, quibus subreptis apud graecos, marcionistae vexant Christi discipulos.

De Apelle porro Marcionis discipulo in c. X. scribit Anonymus: « Apelles autem ex istis ortus sic loquitur: esse quemdam Deum bonum, ut Marcion opinatus est; illum vero omnium creatorem, esse justum, qui quidem, quae facta sunt, creavit; et tertium, qui ad Moysen locutus est, illumque esse igneum; esse autem et quartum alium malorum auctorem. Hos angelos vocat etc. » Item in Libro X. c. XII. quatuor esse deos docere Apellem repetit, unum bonum, alium creatorem, alium pravum, quorum tres angelos vocat. » Nemo tamen veterum, nec Tertullianus, nec Eusebius, nec s. Epiphanius hanc apposuerunt distinctionem, nec numerum, uti putavit Anonymus. Hi ex Apellis mente

praeter Deum bonum, alterum tantum esse Deum dixerunt, Deum nempe mundi creatorem, Deum igneum, mali praesidem, ac dominum, et hunc etiam vocari angelum; proindeque non quatuor, ut supponit Anonymus, sed duos, quorum secundum ajunt variis titulis nuncupasse Apellem, idest igneum, creatorem, dominum et mali praesidem.

Deinde prosecutus Auctor in c. IV. Carpocratis haeresim notat, cujus maximam partem literaliter transcripsit ex s. Irenaei Libro I. c. XXV. et in aliis ejusdem prodit sensum, haud tamen, sicuti in ceteris, sollicitus de confutatione Haeretici. Item in c. V. de Cerintho verba eadem exposuit s. Martyris ex c. XXVI. Libri I. Nec aliter de ebionaeis, ubi quaedam s. Irenaei verbotenus exprimit, aliorum sensum proferens. Deinde breviter Theodoti byzantini et Theodoti nummularii indicato impio dogmate, de Nicolao gnosticorum magistro eadem sed conciso sermone dicit, quae s. Irenaeus, sicuti de Cerdone, Marcione et Luciano: quae ita se habent; « Quidam autem Cerdon originem similiter ducens ab istis et a Simone, dicit illum Deum a Moyse et a prophetis nuntiatum, non esse Patrem Jesu Christi: illum enim cognosci, hunc autem esse ignotum; et alterum quidem justum, alterum autem esse bonum. Cujus doctrinam confirmavit Marcion, aggressus Opus, cui titulus est Ἀντιπαραθέσεις *Contradictiones*, et impia omnia, quae illi in mentem venerunt contra omnium rerum Creatorem deblaterans. Similiter egit et Lucianus ejus discipulus. »

S. Irenaeus porro in Libro I. c. XXVII. Cerdon, ait, quidam ab iis, qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, quum venisset Romam sub Hygino, qui octavum locum episcopatus per successionem ab Apostolis habuit, docuit eum, qui a Lege et prophetis annuntiatus sit Deus, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Hunc enim agnosci, illum autem ignorari, et alterum quidem justum, alterum autem bonum esse. Marcion autem ei succedens adampliavit doctrinam impudorate blasphemans eum, qui a Lege et prophetis annuntiatus est Deus etc. » Et ibi singulos indicat s. Irenaeus Marcionis errores nuper a me memoratos: quos Anonymus omisit nec refutavit; sicuti Hygini Papae

nomen transegit, quippe, ut infra dicetur, Romanorum Pontificum memoria parum grata sonuit in auribus suis.

In idem vero studium progressis, citati Libri VII. objiciuntur nobis capita VII. et VIII. ubi de duobus Theodotis haereticis haec notat : « Theodotus quidam erat byzantinus, qui introduxit haeresim novam. Docens de principio omnium rerum ex parte similia iis, quae in vera Ecclesia docentur, a Deo omnia fatebatur creata fuisse. Christum autem suum e gnosticorum et Cerinthi et Ebionis doctrinis mutuatus, dicit hoc modo apparuisse : et Jesum esse hominem ex Virgine natum, secundum voluntatem Patris vixisse cum ceteris hominibus, et fuisse maxime religiosum; postremo, quum baptizaretur in Jordane, in se recepisse Christum sub figura columbae superne advenientem. Quapropter non prius virtutes in illo operam suam impendisse, quam visus fuerit descendens super illum Spiritus, declarans esse Christum. Deum autem neque tunc isti ipsum factum esse volunt in adventu Spiritus : alii autem post resurrectionem ex mortuis. Diversis autem exortis inter eos quaestionibus, ausus est quidam, et ipse Theodotus nomine, arte trapezita, dicere, virtutem quamdam maximam esse Melchisedech, et hunc Christo esse majorem. Cujus ad imaginem factum Christum fuisse contendunt. Et ipsi pariter in sententiam euntes praefatorum theodotianorum addunt hominem esse Jesum, et secundum eamdem doctrinam Christum super eum descendisse. »

Cum autem haec ait Anonymus, similitudinem statuens inter Cerinthum et Ebionem cum utroque Theodoto, nequaquam sensit se partim decipi. Non enim isti secum convenerunt in omnibus. Cerinthus sane, teste s. Epiphanio Haer. 28. n. 1. docuit : « postquam ille Jesus ex Josephi et Mariae semine natus adolevit, in hunc a summo illo Deo delapsum esse Christum, hoc est Spiritum Sanctum columbae specie ad Jordanem, ac tum ei incognitum Patrem et per illum posteris patefecisse. Et ob id, mox ut in ipsum coelestis illa se se virtus infudit, portenta et miracula patrasse etc. » Uterque vero Theodotus absolute et semper ulla absque temporis distinctione divinitati Christi mentiti sunt, ad-

serentes Jesum esse purum hominem. Eusebius, ut infra dicetur, hoc testatur. Et Tertullianus ante eum in Libro *De praescriptionibus* n. 53. scribit: « Theodotus doctrinam introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: ex Spiritu Sancto quidem natum ex Virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla alia prae ceteris, nisi sola justitiae auctoritate. Alter post hunc Theodotus haereticus erupit; qui et ipse introduxit alteram sectam; et ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu Sancto ex Virgine Maria conceptum pariter et natum, sed hunc inferiorem esse Melchisedecho etc. »

Hoc autem sibi vult; Cerinthus et Ebion Deum Christum fatebantur, postquam super eum descendit Spiritus Sanctus in Jordane. Ambo vero Theodoti, quavis Jesu aetate, ipsius divinitati mentiti sunt. Ex qua opinionis varietate Anonymus perperam scripsit hos haereticos ab Ebione et Cerintho eamdem in omnibus accepisse doctrinam: quod sane antiquorum nemo praesumpsit. Insuper confusa et incongrua locutio apparet, ubi ait: « Isti autem neque Deum factum esse volunt Jesum in adventu Spiritus; alii autem post ipsius resurrectionem. » Quae verba, etsi Cerintho et Ebioni conveniant, nequaquam vero Theodotis, ita emendanda forent: Deum autem isti volunt factum esse in descensu Spiritus Sancti, alii vero post ejus a mortuis resurrectionem. Ceterum si, ut ait Anonymus, Theodotus novam introduxit haeresim; quare deinde dicit probatque ipsum Cerintho et Ebioni convenire, eamdem professum doctrinam.

Ac interim explet Librum VII. hac obtestatione: « Sed quoniam censuimus nihil sine refutatione a nobis praetermittendum ex his, quae docuerunt haeretici, videamus nunc quae excogitaverunt docetae. » Quorum dein in Libro VIII. c. I. notans errores, his adscribit valentinianorum dogmata circa Aeones, quae minus considerantur a s. Irenaeo, Clemente alexandrino, et Theodoreto. Hi enim errasse praecipue dicunt docetas asserentes non substantialiter factam esse Christi incarnationem, sed putative: « Vani enim sunt, inquit s. Irenaeus in Libro V. c. I. qui putative dicunt, Christum apparuisse . . . . Vani igitur, qui a Valentino sunt,

hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis et reprobent plasmationem Dei. » Cujus s. Episcopi cum ob oculos libros, ubi sapientissime disputavit, quippe magni momenti res, realem, nec phantasticam docens Christi incarnationem in divinae Redemptionis complementum, haberet Anonymus, hos neglexit, in futilibus eorum aberrationibus enarrandis frustra laborans. Si enim proposito satisfecisset, reapse dimicans in docetas, tunc jure conclusisset: *et demonstravimus ex hac ipsa materia, trabem in oculo eorum inesse, ut videre possint, si forte possunt, et certe non ceteros obcoecare.* Verum secus agens Auctor, lectores in coecitate firmavit.

Eodem porro tenore Anonymus c. II. incedens Monoimi discutit haeresim, de qua Theodoretus in Libro I. *Fabularum haereticorum* ait, illum ex arithmetica scientia suam effinxisse doctrinam, quam ille ampliori tractatu exponit. Postea haec narrat de Tatiano: « Tatianus discipulus Justini martyris non eadem professus est, quae magister docuit: sed nova quaedam aggressus, ait Aeones quosdam invisibiles esse: fabulasque similes eis, quae a Valentino narratae sunt, commentus est. Connubium esse corruptionem similiter ac Marcion, dicit. Adamum autem affirmat numquam salvum fore, quod primus non obediendi exemplum dederit. » Haec fere eadem scripserat s. Irenaeus in c. XXVIII. Libri I. nisi quod Anonymus Tatiani haeresim distinxit ab *encratitis* sive *continentibus*, de quibus paulo post loquitur in c. VII. « Alii, ait, qui sibi nomen indiderunt *encratitae,* de Deo et de Christo, quae tradita sunt ab Ecclesia, una cum ea confitentur. » Quare Cruicius scribit: « Haec noster rursus videtur aliunde mutuatus, male consarcinasse. Ex Tatiano enim, de quo supra brevissimam mentionem egit, encratitae prognati erant, ut docent Irenaeus, Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, plerique alii. Unus Epiphanius seorsim a Tatiano de encratitis disserit, et hos ait omnia ab ipso accepta sectatos, sed et in deteriora esse prolapsos. » Cur porro dicat Anonymus encratitas cum Ecclesia convenire in iis, quae docent de Deo et de Christo, nescio. Nam Epiphanius Haeresi 46. n. 1. secus scribit: « Principia etiam illi plura constituunt, et inter ea diabolum referunt; quem Dei operibus ad-

versari, nec illi esse subditum volunt. Sed praecipua quadam potestate praeditum agere quae libuerit, non malitia depravatum. Cum Ecclesia enim minime conveniunt; sed a veritatis doctrina longius aberrant. » Unus negat, alter affirmat.

Deinde in c. VI. phryges perstringens, quod Montanum uti prophetam et Priscillam et Maximillam pseudoprophetissas honorassent, inquit: « Phryges istorum libros infinitos legentes errant; nec ea, quae isti garriverunt, ratione dijudicant; nec eos curant, qui dijudicare possunt: sed inconsulte coeca fide ad eos efferuntur, et plus seipsos didicisse ajunt ab istis quam ex Lege et prophetis et Evangeliis. Apostolis autem et omnibus spiritualibus donis haec muliebria deliramenta praeponunt, ita ut quidam eorum audeant dicere, in istis aliquid majus quam in Christo fuisse. » *Et paucis interjectis concludit*: Quae de istis dicta sunt, nobis sufficere videntur; quum breviter omnibus demonstraverimus, nugaces esse multos eorum libros, et infirma eorum ratiocinia, et minimi pretii: quibusque studere non oportet, qui sana mente pollent. »

Nemo non miretur, puto, quod talia asserens Anonymus cum vix phrygum errores indicaverit, nullamque interposuerit refutationem, attamen concludat, se breviter cunctis demonstrasse, nugaces esse illorum libros, et infirma illorum ratiocinia. Praeterea istorum haereticorum citat Auctor infinitos libros, quorum nulla mentio apud s. Epiphanium et maxime Eusebium. Is in Libro V. *Histor. Eccles.* c. XVIII. celebrat valde Apollonium hujus haereseos eximium refutatorem inanes illorum nebulonum convellentem prophetias; quas, cum plures fuerint, Anonymus in libros infinitos convertisse videtur. Et cur tandem Auctor instat, ne sanae mentis viri cataphrygum legant libros, cum illud, in quo errarunt, non ostenderit: aliosque celaverit veritatem, ne erroribus manciparentur?

Demum conficit Librum VIII. his verbis: « Quod si aliae nominentur haereses, scilicet cajanorum et ophitarum et noachitarum aliorumque similium, haud necesse existimavi, quae ab ipsis dicta sunt vel facta exponere, ne se reputent aliqua discussione dignos. » De quo valde miramur, cum in

praefatis libris amplissime prava cajanorum et ophitarum sub naassenorum et valentinianorum enarraverit dogmata. Sed et illud novum, quod noachitas haereticos memoret, quos nemo hucusque historicorum inter haereticos meminerit, nec peculiares istorum notet errores. Ac novissime ludit, quum hic obtestetur se horum haereticorum nolle dicta vel facta exponere; cum usque modo omnium, quos in octo libris citavit haereticos, nullius unquam facta, nec singillatim errores descripserit, nec multo minus refutarit. Et si his pepercit, praetermittens censuram; quare ceterorum, quorum se velle statuerat numerare et expugnare errores, numerationem neglexit et refutationem? Quapropter lectoris judicium appellabo, num in aedificationem vel potius in illusionem hoc Opus hucusque ab Anonymo scriptum sit. Sed ad reliqua transeamus.



## CAPUT VII.

*Brevi praemissa discussione de Noeti haeresi Heracliti philosophiae comparata, Zephyrini et Callisti Pontificum vita et doctrina exponuntur juxta Anonymi testimonium.*

Si hucusque summatim expedita sunt, quae Anonymus scripsit in praecedentibus libris: non ita tamen agendum est in Libro IX. ubi peculiari studio calamum obstringit adversus duos Pontifices et martyres Zephyrinum et Callistum, quorum varimode fidem et actus iniquissime vellicat. Quapropter contra istius improbitatem plusquam in praefatis, nobis summopere dimicandum est.

Ac interim juxta discussionis ordinem Auctor ita exorditur Librum: « *Quae fuerit Noeti maledica dementia, et quomodo obscuri Heracliti placitis adhaeserit non Christi dogmatibus: et quomodo Callistus, commixta Cleomenis (discipuli Noeti) haeresi et Theodoti, aliam recentiorem haeresim constituerit.* » Paulo post n. 8. addit: « Quoniam autem stirpis istius haereticorum genealogiam monstravimus, superest ut pravam eorum placitorum institutionem exponamus, Heracliti *tenebrosi* primum placitis explicatis; atque dein necesse est ostendamus partes ad Heraclitum referendas, quae quidem, qui nunc huic haeresi praesunt, nesciunt fortasse *Tenebrosi* illius esse, putant autem esse Christi etc. »

Universim hucusque patefecimus Anonymum quandoque deceptum in philosophorum dictis applicandis haereticorum erroribus. Pari ratione in hoc loco non videbor illusus, ostendens frustra asseri Noetum ab Heracliti schola suos eruisse errores, sicuti tantumdem absurdum haberi duos Pontifices Zephyrinum et Callistum ejusdem Noeti admisisse haeresim. Noetus enim, sicuti ex ss. Hippolyti et Epiphanii testimonio comprehenditur, quamvis a fide orthodoxa aberret docens *Patrem passum esse non Filium*: sive asserens, *se unum Deum venerari, unum novisse, nec praeter ipsum alterum natum, passum, et mortuum*: tamen hanc impiam doctrinam, ut praefati viri asserunt, firmare se ajebat a divinis

Scripturis, ad quas confugit, non vero super Heracliti opinionem: « Hinc Noetiani (inquit s. Epiphanius Haeresi 57. n. 2.) veluti ab eo (Noeto) avulsi ac propagati, atque universi ejus asseclae idem dogma profitentur, et fanaticam illam doctrinam ejusmodi verbis affirmare conantur, quibus Moysem Deus affatus est: *Ego sum Deus Patrum vestrorum: ego primus et ego novissimus. Non erunt tibi dii alieni* etc. Ex quibus ita colligebant: Nos ipsum novimus solum. Quare si veniens Christus natus est, idem ipse Pater est, et Filius, idem denique Deus est, qui et semper fuit, et in praesentia venit, ut Scriptura declarat: *hic Deus tuus; non reputabitur alius ad ipsum . . . Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus.* Ex his, inquiunt, animadvertere potes quemadmodum Scriptura nos sapienter informet, ne alium atque alium Deum arbitremur: cum illum Deum esse solum asserit, qui venerit, quique postea sit visus. Alia praeterea e sacris Scripturis auctoritate contendunt: *Quoniam in te Deus est; et non est Deus praeter te* etc. Vides, opinor, subdunt, in Scripturis unum indicari Deum, ac manifeste praedicari. Adeoque in confesso est, unum illum esse ac semper existere. Ideoque non plures deos affirmamus, sed unum dumtaxat Deum, qui et pati nihil possit, et idem Filii Pater sit ac Filius; qui ideo passus sit ut nos sua perpessione servaret, nec alium ab eo pronunciare possumus. »

Hinc cernito Noeti studium pro sua firmanda haeresi, divinis tantum Litteris inniti, prave tamen ab ipso detortis; ab ipsis Scripturis, inquam, veteris novique Testamenti, ubi Deus recte definitur, ejus divina essentia probe comprehenditur ejusque attributa amplissime explanantur seorsim a graeca philosophia. Cujus discipuli, etsi plura dixerint doctrinae verae affinia vel ex veteri traditione, seu ex rationis et ingenii cultura; nihilominus extra divinam revelationem positi, unus ab altero discissi in incertum quotidie processerunt; nec Deum sicuti est, potuerunt invenire. Ex quibus Heraclitus speciatim in hac incertitudine versatus est, adeo ut, quid reapse docuit, ignorantes interpretes, σκοτεινὸν *tenebrosum* illum appellarint: « Sudantes philosophi vix eum intelligunt, inquit s. Hieronymus adversus Jovinianum n. 1. Attamen

quod nec Plato, nec alii graeci philosophi sudantes comprehenderunt in Heracliti systemate, Anonymus praeclare intellexit, ut inde statueret Noeti dogmata de Deo et de Trinitate eadem haberi, quae Heraclitus antea admiserat.

Modo itaque conferantur istius Philosophi sensus de Deo, veluti eos recensuit Anonymus n. 10. « Dicit autem Heraclitus mundi et omnium, quae in mundo sunt judicium per ignem fieri: quod his exprimit verbis: *Universa fulmen gubernat*, idest corrigit; nempe fulmen vocans ignem aeternum. Adjicit autem ignem sapere et universi orbis ordinem constituisse. » Clemens autem alexandrinus melius Heracliti sententiam explanavit, inquiens in *Admonitione adversus gentes*, Heraclitum *ignem habere ut Deum, quem tanquam ortus rerum principium colunt*. Et ob hoc Tertullianus adversus Marcionem Libro I. « indignas, ait, substantias Deum pronunciaverunt, ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa coelestia etc. » Plutarchus apud Eusebium Libro XIV. 14. *Praepar. Evang.* Heraclitus, inquit, et Hippasus omnia ex igne oriri, et in ignem omnia desinere asserunt: « Ignis igitur et principium est, quod ex eo prodeant omnia, et finis, quod in eumdem omnia dissolvantur. » Ideoque cum substantiam ignis Heraclitus Deum pronunciavit, non ita sane putavit Noetus; qui non ignem, non fulmen, nec mundum creatum docuit esse Deum: sed ex adverso Dei creaturas, opus Dei, mundum et omnia, quae in eo sunt, consideravit, causam ab effectu apte distinguens: causam nempe dicens Deum, essentiam per se existentem, et creatorem omnium; universum vero vocans suae omnipotentiae effectum; veluti ex Apostolo ipse Noetus n. 2. ait: *qui est super omnia Deus benedictus in secula*.

Anonymus Heraclitum loquentem inducit: « Audiamus, ait, eum dicentem Patrem creatarum rerum omnium creatum et increatum, conditoremque esse et creaturam. *Bellum omnium quidem Pater est, omnium autem rex: hos sane deos ostendit, alios homines; hos servos fecit, illos autem liberos.* Haec tenebrosi Philosophi locutio illusit Anonymo, ut hinc erueret, Noetum eadem sentire ac Heraclitus. Tamen Noe-

tus orthodoxis opposuit divinae Scripturae verba: *Ego sum Deus Patrum vestrorum : ego primus et novissimus : non erunt tibi dii alieni.* Quare labitur collatio, quam inter Noetum et Heraclitum fingit Anonymus: quorum sensus adeo inter se variant sicuti causa differt ab effectu.

Item Heraclitus huc illuc discurrens in suo philosophiae systemate creatorem cum creatura confundit: *Homines dii, dii homines.* Ac teste ipso Clemente in Libro V. *Stromaton*, ait: « mundum eumdem universorum neque deorum ullus fecit, nec hominum: sed fuit semper et est, et erit ignis semper vivens, mensuras accendens, et extinguens mensuras. » Noetus vero Trinitatis Mysterium negavit, veritus ne inde deorum inferretur multitudo, ut idem dixit Epiphanius n. IV. « Tu vero, mi homo, quid tandem affers? An illud vereris, ne deorum illi multitudinem invehant, qui sacrosanctae Triadi verum sincerumque cultum adhibent; quique veritatis et unius Catholicae Ecclesiae sunt filii? Vehementer erras. » Hinc Pamelius in notis Tertulliani *De praescriptionibus* Haer. n. 44. de deo igneo ex Heraclito inquit: « Utrum autem etiam haereticorum aliqui eo dementiae venerint ut ignem dicerent Deum, hactenus reperire non licuit. » Tamen, inquam ego, nequaquam Noetum sed potius Apellem Heracliti sectatorem dicere potuisset Anonymus: quum angelum superioris Dei mundi creatorem *igneum* nuncupasset vel *angelum igneum*, sicuti de eo idem scribit Tertullianus.

Et hoc est Anonymi studium circa Heracliti opiniones de Deo, quas etsi penitus contrarias Noeti doctrinae, Auctor nihilominus ad suum scopum trahere conatur, ut concludat tum falsam ipsius doctrinam, cum (quo potissimum miratur) Callisti Papae scholam aliam omnino haberi ab ea, quam Christus Jesus instituit. In hoc sane intendit Anonymi perfidia. Ad hoc vertitur vanus ipsius labor circa Noetum, et pravissimum et vanissimum ejusdem studium putantis ex hac Heracliti et Noeti refutatione confutare simul praesumptam callistianam haeresim. Quam in sequente cap. II. ita exponit:

1.« Hanc haeresim fulciebat Callistus, vir in omni scelere exercitatissimus, versutissimus ad mendacium, qui episcopa-

lem sedem ambiebat. Zephyrinum autem, stultum illitteratumque, regularumque Ecclesiae rudem, quem donis ducens et pro illis vetita ab eo postulans ad illud egit, quod ipse volebat. Quippe venalem et pecuniae avidum permovebat ut dissidia inter fratres semper foveret, dum ipse inde sibi ambarum partium gratiam subdolis sermonibus conciliabat. Jam iis qui vera sentiebant, singulis dicebat se consona fidei credere et illis fucum faciebat, ac rursus iis similiter qui Sabellii placita tenebant; et eum ipsum decipiebat quem ad recta convertere potuerat. Admonitus enim a me non repugnabat; sed, ubi solus cum Callisto versabatur, excitabatur ab eo ut ad Cleomenis placita relaberetur, dicente se fidei similia credere. Istius autem nequitiam tunc non intelligebat, quam postea novit, ut mox exponam. Zephyrinum ipsum stimulans, adducebat ut coram omnibus diceret: Ego novi Deum unum Jesum Christum et praeter illum neminem alium genitum atque passibilem. Quum autem aliquando adjiceret: Non Pater, sed Filius mortuus est, infinita in populo dissidia continuabat. Quas ubi sententias cognovimus, refutavimus et adversati sumus, pro vero decertantes, nedum assentiremus. Qui furore insaniens, quia simulatae ejus virtuti omnes, exceptis nobis, adhaerebant, nos διθέους nominabat, evomens violenter conditum intus venenum. Hujus autem vitam, quum nostri coaevus exstiterit, optimum videtur exponere, ut ejus vivendi genere cognito, mentis sanae hominibus jamjam appareat, quam molitus sit haeresim. Praefecto Romae Fusciano fidem confessus est; at istud fuit martyrii genus.

2. « Servus erat Callistus cujusdam Carpophori christiani, uniusque de domo Caesaris. Illi Carpophorus, utpote christiano, summam pecuniae haud parvam credidit promittenti ex mensaria negotiatione illi lucrum reddere. Acceptam mensam Callistus in eo loco posuit, quem vocant *Piscinam publicam;* lapso aliquo tempore, visoque nomine Carpophori, magna pecunia deposita illi credita est a viduis et fidelibus. Qui quum profligasset omnia, in angustiis erat. Talia ab isto patrata non defuit qui Carpophoro nuntiaret; ille autem ab eo rationem sese exacturum dixit. Quod quum Callistus in-

tellexisset, suspicans sibi grande periculum ab hero fore, fugam ad mare molitus est; quum autem in Portu ostiensi navim invenisset jamjam solvendam, conscendit eam, quocumque vela navis faceret, ipse navigaturus. Sed ne sic quidem latere potuit: non defuit enim qui Carpophoro actam rem denuntiaret. Ille profectus ad maritimum littus, secundum ea quae ipsi delata fuerant, statuit ipse eamdem navim conscendere, quae adhuc stabat in medio portu. Quum autem navarchus moram traheret, Callistus de nave herum eminus prospiciens, sentiensque se jamjam comprehensum iri, servandae vitae in supremo illo discrimine parum curiosus, dejecit semetipsum in mare. At nautae in scaphas desilientes invitum illum retraxere, dum ii qui in littore stabant, magnos clamores ederent, ipse hero suo traditus est: a quo Romam reductus ad molam damnatus est. Elapso aliquo temporis spatio, fratres convenientes, ut fieri solet, Carpophorum exoraverunt ut poena servum suum exsolveret, dicentes confiteri eum a quibusdam sibi pecuniae summam commissam fuisse. Carpophorus, quum pius esset, peculiarem fortunam parum curare se affirmavit, creditas autem pecunias plurimum. Multi enim apud illum conquerebantur dicentes se per nomen ejus allectos, Callisto credidisse ea quae crediderant. Victus tandem precibus jussit servum dimitti.

3. » At ille, quum nil haberet unde solveret, neque fugere iterum posset ob custodiam, rationem moriendi commentus est. Die igitur Sabbati, simulans se exire ad debitores, cucurrit ad synagogam judaeorum ubi congregati erant, et adstans coepit turbare illos. Qui ab eo turbati, contumeliis et plagis confectum ad Fuscianum praefectum urbis traxere. Hanc autem accusationem intentaverunt: Romani concessere nobis patrias leges publice legere: iste autem adveniens, impedire vult, perturbationem injicit, jactans se esse christianum. Dum autem Fuscianus in tribunali sederet atque ob expromptas a judaeis in Callistum accusationes irasceretur, fuit qui rei Carpophoro nuntium daret. Hic igitur properans ad tribunal praefecti clamabat: Obsecro te, domine Fusciane, isti ne crede: non enim christianus est; oc-

casionem autem mortis aucupatur, quia magnas meas pecuniae summas profligavit, ut ego ostendam. Rati autem judaei effugium illud esse a Carpophoro allatum, ut servum suum morti eriperet, multo etiam majori fervore praefectum obsecrabant. Ille ab eis commotus, verberibus Callistum caedi jussit, tradiditque ad Sardiniae metalla mittendum.

4. « Tempore autem elapso, quum in insula martyres alii essent, Marcia Commodi pellex, Dei amans, quum statuisset aliquid boni facere, arcessitum beatum Victorem, Ecclesiae id temporis episcopum, interrogavit quinam essent in Sardinia martyres. Cunctorum ille quum proferret nomina, siluit tamen Callisti nomen, cujus ausa noverat. Marcia autem, gratia a Commodo impetrata, liberatrices litteras seniori cuidam eunucho, Hyacintho nomine, credidit. Quibus acceptis, in Sardiniam navigavit, traditisque litteris ei qui id temporis provinciam administrabat, cunctos martyres, excepto Callisto, poena exsolvit. Callistus autem ad genua ejus procumbens et lacrymas fundens, exoravit ut et ipse libertate donaretur. Cujus precibus motus a provinciae rectore Hyacinthus veniam rogat, dicens a se Marciam educatam esse, neque rem ei periculosam fore. Ille consiliis parens Callistum cum ceteris dimisit. Quo Romam regresso, eventum Victor aegerrime tulit; at, quum misericors esset, conticuit. Attamen, ut probra multorum effugeret (non multum enim praeterfluerat tempus ex quo facinora Callistus patraverat), semperque conquerenti Carpophoro satisfaceret, jussit ut Antium peteret, certa ad victum pecuniae summa in menses singulos adscripta. Post autem Victoris mortem Zephyrinus Callistum sibi socium elegit ad res cleri gubernandas, et proprio sui ipsius damno hoc honore eum affecit; Antio remeare jussit et ad coemeterii custodiam apposuit. Callistus quum semper Zephyrino adesset, eique, ut jam ante dixi, subdole serviret, ita eum ad nihilum redegit, ut ea quae dicebat non jam ponderaret senex neque consilia perspiceret Callisti, omnia ad oblectationem ipsius annuentis. Itaque post mortem Zephyrini, ratus sibi id contigisse quod aucupatus fuerat, Sabellium utpote a vera fide abhorrentem extrusit, revera formidans me, et sperans ita accusationem

apud ecclesias sese abstergere posse quasi non aliena sentiret.

5. « Fraudulentus homo iste erat scelerumque omnium artifex, et facto tempore plurimos decepit. Quum autem inclusum in corde virus gerens, nihil recte sentiens, et vera dicere reveritus, coram omnibus contumeliose nobis dixisset, δίθεοι estis, atque etiam quum indesinenter Sabellius eum insequeretur tanquam priscam fidem violavisset, hanc haeresim novam excudit: Verbum scilicet esse ipsum Filium, eumdemque Patrem nuncupatum, unum autem esse Spiritum indivisum; non aliud Patrem esse, aliud Filium, sed unum idemque esse; omnia Spiritu divino in coelo et in terris abundare, Spiritumque illum in utero Virginis incarnatum non alium esse ac Patrem, sed unum et idem esse. Illud enim significare quod dictum est: Nonne credis quia sum in Patre et Pater in me est? Visibilem enim partem, quae homo est, hanc esse Filium; inclusum autem in Filio Spiritum Patrem esse: Non enim, ait, dicam duos esse deos, Patrem et Filium, sed unum dicam. In Filio enim moratus Pater, susceptam a se carnem divinam effecit unamque, ita ut Pater Filiusque vocaretur unus Deus, qui, quum una persona sit, duplex esse non potest; et eo sensu dicitur Pater esse passus una cum Filio. Asseverare enim non audet passum esse Patrem cum Filio, unamque esse personam, eo modo sperans blasphemias in Patrem effugere; demens ille et sceleris artifex, blasphemias supra et infra dispergens, dummodo non videatur contra veritatem loqui, minime eum pudet in errores Sabellii modo, modo Theodoti incidere.

6. « Quum talia deceptor ausus esset, scholam instituit adversus Ecclesiam, ut ita doceret. Hominumque pravis cupiditatibus indulgere primus molitus est, dicens a se peccata omnibus remitti. Quicumque enim christianus dictus, ab alio fuerat seductus, et scelus aliquod commiserat, non reddebat rationem de peccato, modo ad scholam Callisti confugisset. Cujus definitione gaudentes multi, conscientia cruciati, iidemque ab haeresibus repudiati, imo nonnulli Ecclesia a nobis facto judicio ejecti, accedentes discipulis ejus, scholam illius compleverunt. Inter credenda iste constituit non depo-

nendum episcopum esse quum peccaverit, vel si capitale flagitium admiserit. Vigente eo, episcopi sacerdotesque et diaconi, post duas tresve nuptias, inter clericos locum obtinere coeperunt. Quin etiam, si quis ex clericis uxorem duceret, in ordine manere eum jubebat, quasi flagitii nihil admisisset. Quo referendum ajebat Apostoli verbum: Tu quis es qui judices servum alienum? Atque etiam lolii parabolam: *Sinite zizania crescere cum tritico*, quod est, sinite peccatores in Ecclesia manere. Dicebat etiam Ecclesiae instar arcam Noe fuisse, qua canes, lupi, corvi, aliaque omnia pura et impura animantia comprehendebantur; oportere autem item esse de Ecclesia. Quaecumque demum valebat ad hoc docendum congerere, eo modo interpretabatur. Auditoresque placitis illius allecti, etiam nunc illa tenent, semetipsos illudentes aliosque plurimos quorum turbae ad ejus scholam certatim currunt. Itaque crescunt et numero gloriantur voluptatibus aucto, quibus Christus interdixerat.

7. « Hunc contemnentes neminem a peccato prohibent, dicentes posse seipsos peccata remittere bene credentibus. Quin etiam feminis concessit, siquae innuptae erant, et flore juvenis ardescebant ipsarum loco indigni et dignitate quam pessumdare nolebant, idcirco, inquam, concessit licitum esse ut nubèrent uni illi, quem maritum optaverint, seu mancipium esset, seu liber, et eumdem pro vero marito habere, cui vel invita lege nupserint. Exinde coeperunt mulieres fideles nuncupatae uti medicamentis partum impedientibus et fasciis ut conceptum foetum ejicerent; quum nollent vel ex servo, vel ex humilis loci viro, ob suos propinquos et immensas fortunas, genitum fructum parturire. Videtis in quantam impietatem vir iste nequam processerit, moechiam una cum caede edocens! Post tales ausus, semetipsos impudentes catholicam Ecclesiam nuncupare aggrediuntur, et nonnulli credentes recte facere illos subsequuntur. Eo quoque pontifice, sunt primum ausi secundo baptismate baptizare. Talia peregit admirabilis iste Callistus, cujus perstat schola, mores magistri servans et tradita omnia, neque discernens quibuscum sit communicandum, at cunctis temere offerens communionem. Ab isto quoque cognomen sectatores mutuati sunt,

et de primo talium facinorum auctore Callisto, callistiani vocati sunt. »

Et haec sunt, quae Anonymus scripsit de duorum Pontificum Zephyrini et Callisti doctrina et moribus. Haec sunt, quae primum, post sexdecim saecula et amplius, vulgi dicteriis tradita sunt in fidelium scandalum, et in ignominiam duorum virorum, quos inter sanctos martyres perpetuo honoravit et honorat Ecclesia Christi. Et haec ideo sunt, quae pro viribus nostris in sequentibus capitulis singillatim expedienda et refutanda sunt.

CAPUT VIII.

*phyrini et Callisti Pontificum fidei integritas de SSmae Trinitatis Mysterio adversus Anonymum propugnatur.*

ıum plura sint, ut vidimus, insimulationum capita ab Anomo contexta in ambos Pontifices, sive horum dogmata simores considerentur, ab eo incipiemus, ubi praecipue llisti fides de Triadis Mysterio catholicae doctrinae dicitur versari, quippe Heracliti philosophiae, et Theodoti, Noeet Sabellii erroribus superstructa.

Sic autem Anonymus inter alia docentem inducit Pontiem: *Verbum esse ipsum Filium, eumdemque Patrem nunpatum; unum autem esse Spiritum indivisum: non aliud ıtrem esse, aliud Filium, sed unum idemque esse, omnia iritu divino in coelo et in terra abundare; Spiritumque iln in utero Virginis incarnatum non alium esse ac Patrem, l unum et idem esse. Illud enim significare quod dictum est: nne credis, quia sum in Patre et Pater in me est? Visibin enim partem, quae homo est, hanc esse Filium: inclusum tem in Filio Spiritum Patrem esse. Non enim ait, dicam os esse Deos Patrem et Filium, sed unum dicam. In Filio im moratus Pater, susceptam a se carnem, divinam effecit unam; ita ut Pater et Filius vocaretur unus Deus: qui m una persona sit, duplex esse non potest; et eo sensu ditur Pater esse passus cum Filio.* »

Deinde in Libro X. c. XVIII. rursus Anonymus ejusdem ıllisti exposuit professionem, quam dicit mutuatum fuisse Noeti doctrina: « *Dixit igitur Noetus, unum esse Deum et ıtrem universorum, illum omnia fecisse, et absconditum isse iis, qui sunt, quum vellet: et eumdem, quum vellet, apıruisse: et esse invisibilem quando non conspicitur: visibin vero quando conspicitur: et ingenitum quando non giıitur homo, et genitum quando ex Virgine nascitur; et imıssibilem et immortalem quando nec patitur nec moritur. uum autem passiones adsint, pati et mori ait. Eumdem Paem et Filium propriis temporibus vocatum fuisse existimat opter ea, quae ei acciderunt.*

Non est dubium quin in hac confessione Callisto adscripta, etsi diverse in utroque loco exposita, dogmatis manifestetur impietas ob exclusionem trium personarum et uniuscujusque proprietatum a divina natura et essentia: et maxime cum dicitur Filius non antea hoc nomen assecutus esse nisi in tempore, non ab aeterno, sed tunc solum quando homo apparuit in mundo et visus et passus est, ita ut aliquando esset Pater, aliquando Filius: Pater ab aeterno, et Filius ab incarnationis tempore, exclusa scilicet aeterna Filii generatione.

Attamen vaga accusatoris ponderata locutione, quacum errorem exprimit Pontificis, ejusque arguit inconstantiam, nec amplius ei suam objecit Anonymus fidei confessionem in haereseos refutationem, revocanda huc sunt, quae in praemissis libris notavit de philosophis et de haereticis: ubi nec graecorum convenienter exposuit systemata, nec multo minus aliorum explicite enarravit errores, et ubi ne doctrinam quidem orthodoxam eis opposuit in eorumdem damnationem: quod magis in novissimis patefiet. Ideoque si in praefatis discussionibus tam negligenter cuncta tractavit Auctor; quid putandum erit de his quae in hoc Libro scribit de Zephyrini et Callisti doctrina erga divinae Trinitatis Mysterium?

His positis, in duorum Pontificum vindicias contra Anonymi insimulationem praemittenda est de hoc Mysterio catholica fides. Quae etsi ex parte utriusque Pontificis explicita desideretur, ab eis scripto tradita: implicite tamen seu oblique eadem patefiet per illam communem fidei tesseram ab evangelicae praedicationis initio probatam: eaque simplici verborum formula expressam, quam Jesus obtulit Apostolis, dicens: *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* In hac enim Ecclesia conclusit, exposuitque fidelibus credendum Deum unum in tribus personis distinctum, unam scilicet Dei essentiam et naturam, ac tres hypostases vel personas Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ab invicem distinctas, suisque praeditas peculiaribus operationibus: adeo ut Pater non sit Filius nec Spiritus Sanctus, ita nec Filius sit Pater et Spiritus Sanctus; nec item Spiritus Sanctus sit Pater et Filius.

Hanc porro teneri ubique fidei professionem, Ecclesia Romana praeeunte, acceptam, probatam ac immutabiliter servatam circa Zephyrini et Callisti aetatem testantur scriptores. S. Irenaeus in Libro 1. *adversus Haereses* c. X. n. 1. « Ecclesia enim, dicit, per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et in unum Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostra salute, et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei etc. »

S. Hippolytus contra haeresim Noeti n. 8. scribit: « Necesse est ergo, ut quamvis nolit confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia subjecit Pater praeter se, et Spiritum Sanctum, et hos esse vere tres. Quod si vult, quomodo unus Deus demonstretur, sciet unam esse virtutem sive potentiam hujus. » Et in n. 14. concludens adversus eumdem haereticum Catholicae Ecclesiae fidem de hoc Mysterio, ex verbis: *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,* scribit: « Si ergo Verbum erat apud Deum, et Deus erat, quid ergo? Dicet ne aliquis dicere Joannem duos Deos. Duos quidem Deos non dicam, sed unum, personas vero duas: oeconomiam tertiam, gratiam dico Spiritus Sancti. Pater quidem unus, personae vero duae, quia et Filius: tertia autem Spiritus Sanctus. Pater mandat, Verbum perficit, Filius autem ostenditur, per quem Pater creditur. Oeconomia consensionis redigitur ad unum Deum. Unus est enim Deus: qui mandat, Pater; qui obedit, Filius: qui docet scientiam, Spiritus Sanctus etc. » In qua formula Dei unitas in essentia, et Trinitas in personis indicatur perspicue et sine confusione adversus ea, quae Anonymus putavit inscribere duobus Pontificibus Zephyrino et Callisto.

Tertullianus porro ceteris excellit in hac pertractanda quaestione, fundamentum collocans argumentationis super apostolicam doctrinam ac praesertim super confessionem Ecclesiae Romanae. Bis enim de hoc disputat, in Libro *De praescriptionibus adversus haereticos,* et in altero *Adversus Pra-*

*xeam*. In utroque validum stat propugnaculum adversus Anonymi obtrectationes in Zephyrinum et Callistum jactas. In primo vanas convellens haereticorum opiniones, eisdem objicit ecclesiarum apostolicarum traditionem. Et per hanc in n. 13. inquit « Regula est autem fidei, ut jam hinc quid credamus, profiteamur, illa scilicet, qua creditur, unum omnino esse Deum, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxit per Verbum suum etc. Deinde n. 36. « Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesidentur: apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxime est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes tessalonicenses. Si potes in Asiam tendere habes Ephesum. Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est, statu felix Ecclesia: cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit creatorem universitatis et Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem. Legem et Prophetas cum evangeliis et apostolicis litteris miscet; et inde potat fidem eam: aqua signat: Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit; martyrio exhortatur; et ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Haec est institutio, non dico jam, quae futuras haereses praenuntiabat, sed de qua haereses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factae sunt adversus illam etc. »

Ex hoc Tertulliani testimonio de Deo Patre, deque Filio ejus Christo Jesu, et de Spiritu Sancto, tribus personis distinctis secundum cujusquè operationes, in unitate substantiae comprehensis, quam fidem, praeter ceteras, Ecclesiam Romanam profiteri ipse ait Scriptor, cum Pontificatum gereret Zephyrinus, quomodo putandum erit cum Anonymo,

hunc Pontificem aliter ab hac fide credidisse ac docuisse; asserentem nempe: *Ego novi unum Deum Jesum Christum, et praeter illum neminem alium genitum atque passibilem?* ubi nec Pater nominatur, nec Filius, nec Spiritus Sanctus?

Praeterea proposito nostro magis facit ipsius Tertulliani Liber *De Trinitate* contra Praxeam circa vel paulo post Callisti aetatem editus: in cujus initio Haereticus *unicum Dominum vindicat omnipotentem mundi conditorem, ut et de unico haeresim faciat. Ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum.* Quam haeresim expugnans Tertullianus, praeclare ei objicit antiquam Ecclesiae fidem de Trinitate ab Apostolis praedicatam et integre eo usque custoditam, inquiens. « Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probavit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni. Quo peraeque adversus cunctas haereses jam hinc praejudicatum sit, id verum esse quodcumque primum, id esse adulterum quodcumque posterius. Sed salva ista praescriptione etc. » eadem statuens, quae superius de hoc Mysterio docuit.

Porro Tertulliani orthodoxae doctrinae adversus Praxeam ejusque sectae viros accedit quoque Origenes, qui saepe sive ante sive post Callisti aetatem hanc haeresim, quam a valentinianis ortam dixit, refutavit, initium sumens a traditione apostolica, per quam perpetuo tenuit, docuit, honoravit unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate, nec confundens personas Patris, et Filii et Spiritus Sancti, nec substantiam separans. Et praesertim ejus conferunt verba in Matthaeum Tomo XVII. n. 14: *quoniam sicut prophetam eum habebant:* « Hoc autem dico de his, qui vere pro eo (Jesu) sunt. Qui autem mendaciter sapiunt, non sunt pro eo, qui glorificare se putant eum: quales sunt haeretici, qui confundunt Patris et Filii hypostasim, unum dicentes esse Patrem et Filium, cogitatione sola et nominibus solis dividentes eos, quos existimant unum etc. Item in Joannem Tomo X. n. 21. ex Jesu dictis: *destruite templum hoc, et in tribus diebus erigam illud:* « Qui existimant ex his ostendi numero non differ-

re Filium a Patre, sed utrumque non solum substantia, sed etiam subjecto unum, secundum quasdam intelligentias, non secundum hypostasim diversos dici Patrem et Filium; illis respondere debemus, in primis quidem ea verba, quae praecipue adstruant alium esse Filium a Patre, et quod necessario Filius sit Patris Filius, et Pater Filii sit Pater; tum vero non absurdum esse, eum, qui fateatur se nihil posse facere, nisi quod viderit Patrem facientem, quique dicat *quidquid autem Pater facit, similiter etiam Filius facit*, corpus, quod mortuum erat, excitasse, Patre hoc illi donante etc. »

Hinc colligito ambos testes Tertullianum et Origenem unum ex Africa et alterum ab Asia, quamvis inter se dissitos, unam tamen fidei regulam circa divinae Trinitatis Mysterium profiteri secundum apostolicam et ecclesiasticam traditionem. Ubi speciatim conveniunt docentes: Tertullianus nempe, *unicum Deum, sub hac tamen dispensatione ut unici Dei sit et Filius et Sermo ipsius ex eo procedentes, per quem omnia facta sunt. Hunc missum a Patre in Virginem* etc. Alter vero Origenes, sub eadem oeconomia docet, *alium esse Filium a Patre: et quod necessario Filius sit Patris Filius, et Pater Filii sit Pater.* In qua doctrina, apostolorum fidem ambo Origenes et Tertullianus secuti, Ecclesiam Romanam prae ceteris hujus traditionis custodem et veritatis magistram reveriti sunt, unus ab Aegypto ideo huc veniens sub Zephyrino Papa, et alter asserens ecclesiam africanam eamdem tunc ac Romanam profiteri fidem adversus Praxeam haereseos patripassianorum defensorem.

Hac igitur praemissa fidei professione ante et post Callisti aetatem undique orbis christiani accepta et probata, quomodo praesumendum est, hoc mediante aevo, Callistum in Ecclesia Romana aliter sensisse ac docuisse, statuentem Verbum esse ipsum Filium et eumdem Patrem nuncupari, ulla absque hypostasis distinctione, immo unam statuentem esse personam Patris et Filii? cum ex adverso ipse Tertullianus ab hac Ecclesia repetens doctrinam, per eam haereticas convellit novitates, et hunc ipsum Praxeae et suae scholae errorem, de quo Anonymus arguit Zephyrinum et

Callistum? Et quare Clerus Urbis scribens ad Clerum carthaginensem triginta fere annos post Callistum, *fortem in fide* vocat Ecclesiam Romanam? (*).

Demum omnium, quas praemisi fidei formulas etsi verbis differentes in unum tamen coalescentes circa divinae Trinitatis dogma ineunte seculo III, tanquam corona admodum coruscat Rufini aquilejensis *Expositio in Symbolum apostolicum*. In qua peculiari studio singulas ejus partes explicat, quasdam notans additiones secundum ecclesiarum varietatem, non emendata communi fidei regula, sed, quae breviter dicta erant, expositis adversus haereticos. Et ubi speciatim contra vanam Anonymi praesumptionem notatur Ecclesiae Romanae Symbolum ab ipsius primordiis integre servatum ulla absque additione sive explanatione usque ad ipsius Rufini aetatem, aliter ab eo, quod ob quasdam causas factum fuit in ecclesiis orientalibus.

Ita namque scribit n. 2. « *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Verum priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto; quod in diversis ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen urbis Romae hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea esse arbitror, quod neque haeresis ulla illic sumpsit exordium; et mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, idest fidelium populo audienti Symbolum reddere: et utique adjectionem unius saltem sermonis, eorum qui praecesserunt in fide non admittit auditus. In ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos haereticos addita quaedam videntur, per quae novellae doctrinae sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in aquilejensi ecclesia per lavacri gratiam suscepimus. »

Deinde, paucis interjectis, sequitur n. 3. « *Credo*, inquit, *in Deum Patrem omnipotentem*. Orientis ecclesiae fere omnes ita tradunt: *credo in unum Deum Patrem omnipotentem*. Et rursus in sequenti sermone, ubi nos dicimus: *et in Jesum*

(*) Confer Epistolam VIII. in Scriptis s. Cypriani, Amstelodami an. 1700.

*Christum unicum Filium ejus Dominum nostrum*, ita illi tradunt: *et in unum dominum nostrum Jesum Christum unicum Filium ejus* .... Quod autem diximus Orientis ecclesias tradere *unum Deum Patrem omnipotentem et unum Dominum*, hoc modo intelligendum est, *unum* non numero dici, sed universitate .... His additur *invisibilem et impassibilem*: sciendum quod duo isti sermones in Ecclesiae Romanae Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos haereseos causa Sabellii, illius profecto, quae a nostris *Patripassiana* appellatur; idest quae Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit, et visibilem factum, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur haec addidisse majores, et *invisibilem Patrem atque impassibilem* dixisse. »

Cum ergo Ruffinus ex apostolica traditione hanc repetat fidei regulam, ac simul quoad divinae Trinitatis Mysterium, variis comparatis ecclesiarum formulis, quasdam notet additiones successive Symbolo insertas, excepta Ecclesiae Romanae regula, quam ab initio statutam ac immutabiliter in suo tenore custoditam ait, ea propter quod nulla in hac Ecclesia nec orta sit nec invaluerit haeresis de hoc Mysterio, omnino labitur, quod improbe praesumit Anonymus de Zephyrino ac praesertim de Callisto, novae haereseos in Urbe auctoribus, avita corrupta fidei regula. Non enim sane tam alacriter firmiterque Ruffinus hujus Ecclesiae privilegium celebrasset, siqua haeresis oborta fuisset. Vel quod maximum esset, si duo Pontifices Petri successores in fide defecissent, dogmate haeretico intruso adversus apostolicam doctrinam, dicentes *Filium eumdem esse ac Patrem*, *et hunc Patrem passum esse cum Filio* ac celeras hujusmodi impietates; cum aliter inquit Ruffinus in Symbolo orientalis Ecclesiae adjecta fuisse, ob Sabellii haeresim, duo vocabula *invisibilis* et *impassibilis*, quae desiderantur in Ecclesiae Romanae Symbolo. Sabellius enim in Oriente docebat, *Patrem ipsum ex Virgine natum*, *et visibilem factum vel passum esse in carne.* Ecclesia vero occidentalis hujus erroris nescia, ea verba omisit. Fatebatur enim: « *Quantum spectat ad illam immortalis Deitatis substantiam, quae una ei eademque cum*

*Patre est, ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus visibilis aut passibilis creditur. Secundum vero dignationem carnis assumptae Filius et visus et passus in carne est.* »
Si ergo in Ecclesia Romana nullum opus erat additione vocum *impassibilis* et *invisibilis* cum causa deerat; sive quod in ea incorrupta manserit fides apostolica; quare Anonymus temere asserit ex Noeti, Theodoti, et Sabellii erroribus imbuta Callisti doctrina, novam Romae ab isto institutam fuisse haeresim, diuque perdurasse?

Ac interim concludam, haec lectoribus objiciens de hujus haereseos existentia. Haeresis callistiana, teste *Philosophumenon* Auctore, universim nota, Theodoti licet Noeti, et Sabellii commixta erroribus, tamen per se distincta, ab initio Pontificatus Zephyrini exorta, et usque ad Callisti obitum et ultra perseverans, cunctis alioquin priscis Ecclesiae scriptoribus sive orthodoxis aut heterodoxis ignota usque ad inventionem Libri anonymi, quinimmo allatis obstantibus testimoniis, quid sibi vult?



## CAPUT IX.

*Theodotianae et noetianae haereseos frustra criminari conatur Anonymus ss. Pontifices Zephyrinum et Callistum.*

Hucusque adversus Anonymum Ecclesiae Romanae universim patefecimus sinceram fidem, praesertim inspecto Trinitatis dogmate, incessanter in ea custoditam, nec ullis unquam haereseos infectam fuisse notis. Modo superest ut singula capita diluantur, in quibus duo Pontifices ab ea fide dicuntur defecisse.

Anonymus, ut ex praefatis colligitur, impietatis arguit duos Pontifices, quod simul conjunctis Theodoti, Noeti, et Sabellii erroribus novam in Ecclesiam introduxerint haeresim. Et primum quoad Theodotum, istius summa doctrinae haec erat: *nudum hominem esse Christum, et ex humano semine genitum.* Quanta porro falsitate haec polleat incusatio, quisque viderit, Eusebii comparans testimonium in Libro V. *Historiae Eccles.* c. XXVII. ubi ait hanc haeresim tunc in mundo irrupisse, Pontificatum Romanum gerentibus Victore atque Zephyrino. Quorum gesta ita describit Historicus, ut non tantum pateat falsitas assertionis Anonymi circa Zephyrini consensum cum Theodoti impietate; sed et amplius apertissime constet, tunc plures extitisse improbos viros hujusmodi, Zephyrini quidem obtrectatores, aliam tamen et contrariam huic Pontifici adscribentes doctrinam ab ea, quam iste Anonymus gratis pariter eidem inscripsit: quod sane mirum est; et hinc inferendum revera falsa esse, quae de Zephyrino ab eo narrantur.

Auctor enim (ab Eusebio citatus) in Libro adversus Artemonis haeresim pro Christi divinitate pugnans, ostendit Ecclesiam ab initio et deinceps usque ad Victorem Papam ubique et perpetuo, Christum Dei Verbum, vere Deum esse concentu quodam concelebrasse: ac ideo gratis objectari eidem Victori, sicuti suis praedecessoribus, impium dogma, quocum asseritur, Jesum Christum solum fuisse hominem: sicuti tantumdem falso adstrui Zephyrinum Victori succes-

sorem primum introduxisse dogma de Christi divinitate, corrupta ac pravata veteri Ecclesiae disciplina. Inquit enim: « Cùm igitur ex tot annorum spatio doctrina ecclesiastica vere annunciata fuerit; quomodo fieri potest, ut illi Patres qui ad Victoris usque vitam produxerunt, ita, ut isti asserunt, praedicarint? Aut quomodo non eos pudet, haec Victori tam falso objectare; praesertim cum explorate cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum coriarium (qui primus Christum solum hominem dicebat) ducem et quasi parentem hujus impiae et execrandae a fide defectionis, Christum Deum perneganlis, christiana communione interdixisse? Quod si Victor eadem cum illis sentire visus esset, sicuti detestabilis istorum calumnia docet, quo pacto, aut qua ratione adductus, Theodotum hujus erroris inventorem, ab Ecclesia ejicere in animum induxit? Verum de Victore hactenus: qui cum decem annis Ecclesiae ministerio praefuisset, in ejus locum, circiter nonum annum imperii Severi, Zephyrinus successit. Scriptor ille de quo supra dixi, qui librum supradictum contra erroris supra demonstrati auctorem composuit, aliam etiam rem Zephyrini tempore gestam narrat hoc pacto.

« Facinus, inquit, apud nos admissum, fidelibus in Domino, quo illos erudiam, commemorabo. Quod credo, si Sodomis forte gestum fuisset, etiam illos ad scelera sua poenitentiae lacrymis mature eluenda admonuisset. Erat quidam Natalius confessor, non jam pridem, sed nostris jam pene temporibus. Iste ab Asclepiodoto et altero Theodoto trapezita (hi quidem ambo Theodoti coriarii, qui primus propter istam novam prudentiam, immo vero amentiam, ex christianorum communione a Victore, ut dixi, qui tunc erat Pontifex, excludebatur, discipuli erant) fraude et dolo deceptus fuit: et ab illis duobus, quos supra posui, salario quodam et mercede persuasus, ut illius erroris episcopus crearetur; ea lege nimirum, ut centum quinquaginta denariós menstruos isti ei persolverent. Qui quidem cum se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam a Domino ad se dimissas, saepe numero admonitus fuit. Deus enim misericors, et Dominus noster Jesus Christus martyrem et testem suarum

afflictionum extra Ecclesiam misere disperire noluit. Ceterum quoniam erat primae apud illos sedis episcopalis appetitione tanquam hamo inescatus, et turpi quaestu, qui multis affert perniciem, irretitus, et propterea lentius tardiusque Dei visionibus animum attendit, tandem per integram noctem a sanctis angelis flagris et verberibus usque adeo acerbe et graviter caesus fuit, ut cum primo mane surgeret, cilicio et sacco indutus, cinere aspersus, cum magno moerore et lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abjiceret: et non modo ad cleri, sed ad laicorum etiam genua advolveretur, ita uti Christi misericordis ecclesia illum magnopere commiserata, lamentis una se dederet. Attamen ille, licet multis precibus usus fuisset, et plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tandem in communionem Ecclesiae receptus fuit. »

Ex hac Natalii explicita confessione, ad Zephyrini, cleri et laicorum pedes exacta, impiam detestati doctrinam Theodoti adversus Christum Domini, donec vix tandem in communionem receptus est, numquid eruendum erit Pontificem illusum a Callisto, ejusdem haeretici communicasse erroribus et sensisse quae Theodotus docuit, cum secus ex limpido coaevorum testimonio Zephyrinus Papa correptus fuerit ab Artemonis discipulis, quasi veterem et apostolicam doctrinam pravasset, primus docens Jesum Deum et hominem fuisse? Et sane mirum. Juxta Eusebium, Zephyrinum Artemonis discipuli damnarunt, quod novam introduxerit doctrinam, Christi divinitatem propugnans. Anonymus ex adverso ait Papam primum a Callisto deceptum huic dogmati mentitum esse, similia Theodoti professum, purum hominem asseverantis Christum.

Praeterea quoad hoc Eusebii documentum, cum Zephyrinus regeret Ecclesiam, prodest quod Anonymus dicit de hoc Pontifice, vocans eum stolidum, venalem, pecuniae cupidum, instabilem, haereseos Theodoti studiosum, a Callisto ductum quo ipse volebat. Nonne isti characteres, mutatis nominibus, apprime accommodantur iis, quos Eusebius hac ipsa aetate tribuit Natalio: qui a Theodoto et sociis ejus haereticis dolo captus et pecunia, morem illorum gerens,

ideo centum et quinquaginta denariis menstruis acceptis, apud illos in sede episcopali Romae constitutus est? Et quid hoc credere vetat de Anonymo, qui pro more suo, ut ulterius magis patefiet, totius pervertit historiae veritatem?

Et re quidem vera, fuerunt tunc duo Theodoti, unus trapezita, coriarius alter (ex authenticis scriptis narrat Eusebius) jam a Victore Papa excommunicati, ac deinde Artemonitae, excluso Zephyrino, qui primitiva fidei regula rejecta, impiam doctrinam Romam inferre conati sunt. Extitit Natalius quidam, non vero Zephyrinus, qui dolo ab haereticis et ambitione captus, Romae hujus sectae episcopus creatur, donec mirabiliter noctu ab angelis graviter caesus, primo mane surgens ad Zephyrini, orthodoxi et non haeretici, pedibus advolutus, peccatum suum confessus est, hunc precatus ut denuo in Ecclesiam reciperetur.

Anonymus deinde pergens duos Pontifices insimulaturus Zephyrinum et Callistum, hos arguit Noeti haereseos defensores. Primum ait n. 3. ex Theodoti et Noeti erroribus novam constitutam esse sectam sub Callisti patrocinio. Deinde notat n. 7. *per horum successionem* Noeti scilicet, Epigonis et Cleomenis *scholam Romae perstitisse, immo fultam esse et auctam, quum faverent illis Zephyrinus et Callistus.* Et paulo post subdit: « Hanc haeresim fulciebat Callistus, qui Zephyrinum tunc Pontificem permovebat, ut idem sentiret ac diceret: *Ego novi Deum unum Jesum Christum, et praeter illum neminem alium genitum atque passibilem* etc. » Item introducitur Callistus dicens: *Visibilem enim partem*, *quae homo est, hanc esse Filium; inclusum autem in Filio Spiritum, Patrem esse.* Et haec sunt, de quibus redarguuntur duo Pontifices: in quorum defensionem sufficerent accusatoris confusio et contradictio.

In primis circa hujus haereseos initium notandum est duos haberi auctores, etsi ob quasdam circumstantias inter se varios, in essentia vero concordes, qui vulgo sub *Patripassiani* nomine venerunt, tres hypostases in Deo negantes distinctas, docentes ideo eumdem esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, et hinc in carne natum, passum et mortuum asserentes Patrem. Tertullianus hujus erroris magi-

strum nominat Praxeam adversus quem scripsit librum; ejusque statuit aetatem saltem Zephyrino aequalem: « Unicum Dominum (de eo dicit n. 1.) vindicat omnipotentem, mundi conditorem, ut et de unico faciat haeresim. Ipsum dicit Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum. » Et paulo post ait Praxeam fugasse Paracletum et Patrem crucifixisse. S. Epiphanius vero non Praxeam vocat hujus erroris auctorem, sed Noetum: quem docentem inducit n. 1. Haer. 57. eumdem esse Patrem et Filium. *Unum Deum veneror, unum novi; nec praeter ipsum alteram natum passum, mortuum*. Qui ideo arrogantia elatus, sese esse Moysem dixit et fratrem suum Aaronem.

Ita haeresi exposita, de qua accusantur ab Anonymo Zephyrinus et Callistus, prius nobis objicitur, non solum silentium historicorum, et eorum speciatim, qui sub horum Pontificatu vixerunt, adeo ut nemo, praeter Anonymum reperiatur, qui talem commentus sit calumniam adversus praefatos sanctos viros; sed et luculentius constat, eosdem tanti erroris immunes, hunc fideliter, alacriterque expugnasse ac condemnasse, integra servata apostolica et ecclesiastica traditione de Triadis divinae Mysterio. Tertullianus tunc vivens et quidem erga Episcopum Romanum minus studiosus, tamen hunc refellens errorem, priscam ab Ecclesia Romana acceptam fidei confessionem Praxeae obtulit, inquiens n. 2: « Nos vero et semper et nunc magis ut instructiores per Paracletum deductorem scilicet omnis veritatis, unicum quidem Deum credimus sub hac tantum dispensatione, quam *oeconomiam* dicimus, ut unici Dei sit et Filius Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt: et sine quo factum est nihil. . . . . . Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas etc.

Quanto vero jure haec doceat et obtestetur Tertullianus extra Ecclesiam mandans cum aliis haereticis Praxeam et socios suos, ostendit decretum Zephyrini Papae, in quo anathematizatus est Haereticus: « Ita, ait, duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit; prophetiam expulit et hae-

resim intulit: Paracletum fugavit et Patrem crucifixit. Fructicaverant avenae praxeanae: hic quoque superseminatae, dormientibus multis in simplicitate doctrinae; traductae dehinc per quem Deus voluit, etiam evulsae videbantur etc. » In his verbis *traductae* idest damnatae *avenae praxeanae per quem Deus voluit*, non nisi de persona Zephyrini intelligendum id est, qui hanc haeresim extra Ecclesiam traduxit. Cujus quamvis in hoc loco omittatur nomen, attamen inspecta aetate haud alium praeter hunc Pontificem conjicere par est. S. Optatus milevitanus manifestius hoc dicit in Libro I. adversus Parmenianum, scribens, Praxeam et ceteros temporibus suis a Zephyrino Urbico et Tertulliano carthaginensi usque ad cataphrygas superatos esse. « Quapropter si reapse Zephyrinus una cum Callisto hanc novam scholam ex Theodoti et Noeti sive Praxeae erroribus conflatam Romae instituisset, Tertullianus in Libro adversus hunc, sive potius *De Praescriptione adversus haereticos* ( ubi ii singillatim nominantur et refutantur, in quibus Theodotus et Praxea ) non destitisset hanc numerare haeresim, quam Romae constitutam esse dicit Anonymus sub duorum Pontificum patrocinio: ac amplius non asseruisset tunc fuisse a Zephyrino excommunicatum Praxeam, cum Papa huic haeresi communicasset. Unde manifeste apparet Anonymi illusio.

Post haec, patefacta Anonymi illusione asserentis Zephyrinum Praxeae sive *patripassianorum* haeresi convenisse, mirandum de cetero est, quod ille, omisso Praxeae nomine, in ejus locum introduxerit Noetum, istiusque discipulos Epigonum et Cleomenem. Quem ultimum Romae scholam fundasse dicit c. 1. n. 7. circa Zephyrini Pontificatum; cui deinde ipsum Papam adhaesisse praesumit cum suo successore Callisto.

Jam praemisimus frustra hujus haereseos culpari ambos Pontifices. Nunc vero aliis de causis Anonymi error revelatur; ex aetate nimirum Noeti: de quo ita s. Epiphanius Haeres. 57. n. 1. « Post hunc ( Bardesanem ) inquit, alius quidem haereticus Noetus nomine prodiit non multis ab hinc annis, *ἀλλ' ὡς πρὸ χρόνου τῶν τούτων ἑκατὸν τριάκοντα πλείω ἢ 'ἐλάσσω*, sed ante hos fere centum et triginta, in Asia o-

riundus, urbe Epheso. Qui alieno spiritu ductus, voluit per seipsum ea dicere ac docere, quae nec prophetae, nec apostoli, nec Ecclesia ab initio tenuit ac ne cogitavit quidem. » In his dictis ea admodum consideranda sunt, quae de Noeti aetate obsignavit s. Doctor, asserens hujus haeresim centum et triginta annis suae Historiae praecessisse. S. Epiphanius porro, uti testatur in Epistola sua ad Acacium et Paulum, hoc *Adversus haereses* adornavit Opus anno 375. Ideoque huic computo subtractis annis 130. supersunt anni 245. quo tempore exorta est Noeti haeresis. Proindeque falsum omnino adstruitur, quum scribit Anonymus Noetum errores suos ante, sive mediante Zephyrini Pontificatu sevisse, suisque erroribus convenisse s. Pontificem. Zephyrinus enim (ut putat Anonymus) Epigonum et Cleomenem Noeti discipulos audivit, et sub ipso Pontifice *Noeti schola aucta est et suffulta.* Et qua ratione hoc obtinuit, cum discipuli Noeti docere inceperint post annum 245. et Zephyrinus obierat an. 217? Item quomodo *Callistus commixta Cleomenis (discipuli Noeti) haeresi et Theodoti, aliam recentiorem haeresim constituit,* cum Callistus morte praeventus fuit sub an. 222. et Noeti nomen in Ecclesia circa annum tantummodo 245. notum fuerit?

Praeterea non est in hoc loco omittendum, quod de Noeto et Callisto scripsit Theodoretus in Libro III. n. 3. *Haereticarum fabularum.* « Noetus, ait, genere fuit smyrnaeus. Haeresim renovavit, quam Epigonus quidam nomine in lucem primum edidit. Cleomenes vero susceptam confirmavit. Haereseos autem ista sunt capita. Unum dicunt Deum et Patrem esse, universorum creatorem, non apparentem illum quando vult; et apparentem cum voluerit. Invisibilemque eumdem esse et conspicuum, genitum et ingenitum; ingenitum vero quando ex Virgine nasci voluit, impassibilem et immortalem, rursumque patibilem et mortalem. Impassibilis enim cum esset, crucis passionem sua sponte sustinuit. Hunc et Filium appellant et Patrem, prout usus exegerit, et hoc illud nomen sortientem. Noeti appellati sunt, qui hujusmodi haeresim adamarunt. Hanc post Noetum propugnavit Callistus: qui et ipse impietati dogmatis additamenta quaedam adjecit. »

Hoc studiose expensum Theodoreti testimonium maximam videtur praestare analogiam dictis Anonymi in Libro X. c. XVIII. praesertim ubi notantur duo Noeti socii, quorum nominis nulla fit ab aliis historicis mentio: quare ambigitur num Theodoretus ab Anonymo, vel potius Anonymus ab eo talia descripserit. Nostra modo valde interest, postrema animadvertere verba de Callisti persona: *Hanc haeresim post Noetum propugnavit Callistus: qui et ipse impietati dogmatis additamenta quaedam adjecit.* Quae Anonymus ita citavit: « *Hanc haeresim confirmavit Callistus, cujus vitam bona fide* (sic) *exposuimus*: *qui quidem et ipse haeresim generavit.* Et hinc adversarii existimarunt convelli fidem Callisti Papae, ac una firmari, quae Anonymus scripsit de hujus Pontificis erroribus.

Nihilominus hoc gratis asseritur. Si Noeti haeresis mundo innotuit post Ch. annum 245; et si post Noetum Callistus hanc propugnavit haeresim, aliis adjectis erroribus: quo jure istius Callisti personam cum alia confundere liceat Pontificis, ita ut is Callistus dicatur haereticus, cum obierit sub an. 222. et alter citatus a Theodoreto vixerit post Noetum, idest post an. 245? Frustra ergo laborant adversarii refugium quaerentes a Theodoreto pro Anonymi narratione de Callisto Papa, cum istius aetas valde distet ab altero noetianae haereseos defensore. Et cujus privata conditio, nullo in Ecclesia gradu distincta, indicatur tam a Theodoreto quam in Concilio Romano, de quo infra.

Ac interim de eo quod ait Anonymus Callistum ex Noeti et Theodoti commixtis opinionibus aliam recentiorem haeresim constituisse, et ad explananda Theodoreti verba de hoc Callisto haeretico, benevertit decretum Concilii Romani sub Sylvestro Papa, de quo Baronius sub an. 324. n. 127. Ait enim: « in primae Actionis exordio damnatos fuisse Hippolytum diaconum valentinianae haereseos sectatorem, Callistum Sabellii haeresi maculatum, et Victorinum episcopum etc. » Item de eo Callisto mentio agitur in alio Concilio sub Gelasio Papa an. 494. inter haereticos juxta aetatis ordinem descriptos: « Hi sunt Simon magus, Nicolaus . . . . Valentinus, manichaeus, Faustus africanus, Sabellius, Arius, Macedo-

nius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Callistus, Donatus etc. En igitur quomodo hoc documentum concinnetur narrationi Theodoreti de Callisto; quem prius dicit Noeti haeresim profiteri, ac deinde subdit alia haeretica dogmata addidisse, idest Sabellii, qui aliquot post annis, Noeti impietatem innovavit propugnavitque, ut inferius dicetur. In quibus verbis comprehenditur commixtio errorum Noeti et Sabellii, veluti cum Theodoreto narrat de eo Callisto Anonymus (*).

Revera s. Epiphanius Haeresi 62. n. 1. de Sabellio inquit: « Qui Sabellius, paucis quibusdam exceptis, eadem cum noetianis asseruit. Atque hujus sectae plurimi vesania quadam perciti in Mesopotamia et Romae versantur. » In quibus, dico ego, Callistus a Theodoreto memoratus; et quem Anonymus in Libro citato confudit cum Callisto Papa. Quapropter ad hanc, idest post Sabellii aetatem persona Callisti translata, de quo loquitur Theodoretus, omnia rite in veritatis ordine continentur, tantummodo palam facta Anonymi illusione, vel potius perfidia, Callisto Papae sanctissimo viro inscribentis impia alterius Callisti dogmata, quae circumstantiae tam perspicuae quavis ratione vetant.

Insuper mirum est, quod Anonymus in hac discussione de Callisto locutus et de sua schola, quam haereticam dicit, huic Pontifici cuncta adscribat tum dicta, cum gesta, quae s. Epiphanius testatur post Callistum Papam, idest anno 245. a Noeto et illius sectae viris dicta et patrata fuisse in horum collatione cum catholicis. Anonymus ait: « Callistus vir in omni scelere exercitatus et versutissimus ad mendacium, Zephyrinum inducebat ut coram omnibus diceret: *Ego novi Deum unum Jesum Christum, et praeter illum neminem alium genitum et passibilem*. Quum autem aliquando adjiceret: Non Pater sed Filius mortuus est, infinita in populo dissidia continuabat. Quas ubi sententias cognovimus, refutavimus et adversati sumus, pro vero decertantes, nedum assentiremus. Qui furore insaniens, quia simulatae ejus vir-

(*) Quamvis vero suppositium habeatur Concilium Romae adunatum sub Sylvestro Papa, tamen non videtur dubitandum, de haereticorum, qui in eo memorantur damnati, persona, titulis et aetate.

tuti omnes, exceptis nobis, adhaerebant, nos *ditheos* nominabat, evomens violenter conditum ejus venenum. » Et paulo post de eodem subdit : « Fraudulentus homo iste erat, scelerumque omnium artifex, et facto tempore plurimos decepit etc. »

S. Epiphanius autem de Noeto et noetianis disserens in n. 1. haec narrat : « Igitur velut quadam insania elatus (Noetus) passum esse Patrem non dubitavit asserere . . . . Interea beatae memoriae presbyteri ejus rei permoti fama, hominem advocant; deque his omnibus interrogant, utrum tam contumeliosum in Patrem dogma proposuisset. At ille coram presbyterorum consessu productus, primo inficiatus est, eo quod nullus ante eum atrox illud et exitiale virus evomuisset. Postea vero cum rabiem suam nonnullis, ut ita dicam, aspersisset, decem fere viris sibi sociatis, majorem in superbiam elatus et insolentiam et audacior factus, palam haeresim suam disseminavit. Proinde rursus iidem presbyteri tam ipsum, quam ei infeliciter aggregatos accersunt, atque eisdem de rebus sciscitantur. Ille cum grege suo frontem perfricans audacter contradicere coepit: *ac quid*, inquit, *mali feci? Unum Deum veneror, unum novi; nec praeter ipsum alterum natum, passum, et mortuum*. Cui opinioni constanter adhaerens una cum discipulis suis ab Ecclesia pellitur. »

Insuper, quos citat Anonymus una cum Theodoreto Epigonum et Cleomenem Noeti discipulos, eosdem probabilius fuisse puto, de quibus idem Epiphanius n. 1. scribit: « Moritur deinde paulo post (Noetus) cum fratre suo, neque tamen aut ille pari ac Moyses olim, aut ejus frater eadem, qua Aaron honorificentia, sepulti sunt. Tanquam enim desertores abjecti sunt, nec ab ullo catholicorum sepulturae mandati. Μετὰ τοῦτο οἱ ὑπ' αὐτοῦ τὸν νοῦν φθαρέντες, ἐκράτυναν τουτὶ τὸ δόγμα, τούτοις τοῖς ῥητοῖς ὑπαχθέντες, οἷς καὶ ὁ αὐτῶν διδάσκαλος ἐξ ἀρχῆς. i. e. Post hoc tempus, qui ab eo (Noeto) mente corrupti erant, corroborarunt hanc doctrinam, eisdem abducti verbis, quibus ab initio fuerat horum magister. » Hanc autem notam ab Hippolyto praetermissam adjecit Theodoretus, indicans, qui deinde sive post s. Hippolyti obitum successerunt, noetianos Epigonum et Cleome-

nem, magistri propugnantes errores. Quorum nomina sicuti et Callisti etsi siluerit s. Epiphanius; tamen cum ait post Noeti aetatem fuisse, qui hanc haeresim corroborarunt, haud immerito iidem fuisse putantur, quos nomine vocat Theodoretus, et quos ait Noeti impietati alia adjecisse impia.

Comparatis igitur his s. Epiphanii dictis de Noeti haeresi ac de versutia in presbyterorum conventu ostensa, cum iis quae Anonymus scribit de Callisto, merito conjicitur Anonymum, ex Epiphanio traductis, quae jure Noeto inscribuntur, in Callisti personam transtulisse: a quibus tamen immunem probatur fuisse Pontificem: cujus fidem sinceram etiam Hippolytus episcopus silentio firmavit in Libro *Haeresum*. Hippolytum dico, quem hujus Libelli auctorem nonnulli immerito et injuriose existimant. Sanctus enim Antistes ejusdem ac Noeti aetatis, hanc haeresim memoravit, seduloque refutavit, quemadmodum deinde s. Epiphanius perfecit. Attamen nec iste, nec ille multo minus, (et sane cum Origene testes fideles doctrinae ss. Pontificum Zephyrini et Callisti) noetianae haereseos hos culparunt patronos; nec alterius novae haereseos, uti vult Anonymus, institutorem memorarunt Callistum.

Nullimode porro videtur (sicuti placuit nonnullis) spernenda praecitata chronologiae nota inserta a s. Epiphanio de noetianae haereseos exordio, nec de ejus ambigere integritate. S. enim Doctor alibi easdem aetatis notas descripsit certas et incertas, quemadmodum ei vetera monumenta suppeditabant. Neque insuper contra hoc urget, quod dictum est de s. Hippolyto; qui circa istud tempus idest annum 245. vivens, in hac discussione de Noeto consummavit Opus suum adversus haereses. S. Hippolytus cum Origene eamdem degebat aetatem, utroque in sacras Scripturas sedulam navante operam circa dimidium seculi III. De eo inquam Hippolyto cujus scripta praeclara reperit Eusebius (ut testatur in Libro VI. *Hist. Eccles.* c. XIV.) in Bibliotheca Hierosolymorum; et quem ideo Historicus indicat cujusdam in Arabia ecclesiae fuisse episcopum; nec ideo diaconum, nec ullius haereseos magistrum, neque ullius schismatis auctorem.

Qui vero a Kalendariis, vel ab Annalibus, vel ab Actis martyrum nostri Auctoris aetatem quaerunt, quidquam certi vix opponent. Plures enim sunt Hippolyti, qui seculo III. Ecclesiam illustrarunt vitae sanctitate et martyrio, alii ante, alii post hujus seculi dimidium. Porro qui Hippolyti scriptoris et haeresum confutatoris post Eusebium et Hieronymum, Theodoretus et Gelasius Papa memoriam celebrarunt, nec martyrii locum nec annum indicarunt. Illud tamen constat ex Eusebio s. Hippolytum una cum Beryllo et Origene in Arabia episcopum pari zelo et aetate pro Christi Ecclesia usque ad obitum laborasse. Insuper Historicus in Chronico sub an. 230. ait: « Geminianus presbyter antiochenus et Hippolytus et Beryllus episcopus Arabiae bostrenus, clari scriptores habentur. » Si tunc florerent praefati viri, in quibus Hippolytus, excluditur istius obitus ante hanc aetatem; ut hinc jure assequamur annum 245. quo tempore contra Noetum scripsit, teste s. Epiphanio. In Fastis Ecclesiae aethiopicae, teste Ludolpho, idem Hippolytus ultra Galli Caesaris imperium processisse dicitur.

Huic porro aliud facit Eusebii testimonium in capite ultimo ejusdem Libri VI. in quo citat epistolam s. Dionysii alexandrini ad fratres, qui Romae erant ac missam per Hippolytum. Dionysius circa an. 252. illius suscepit Ecclesiae gubernaculum. Idcirco eo ipso tempore in vivis adhuc erat s. Hippolytus. Ceterum ex hac simplici ab Eusebio exacta istius viri commemoratione, quin illius adjiceret nec patriam nec in Ecclesia gradum, nec incerti viri notam huic inscriberet, satis indicavit, se non de aliquo eo usque ignoto Hippolyto, et de quo antea apud eum nulla mentio facta sit, loqui; sed merito de viro, cujus jam in praemissis meminit: sicuti revera paulo ante in hoc eodem Libro c. XIV. egit: ubi Hippolytum nostrum *episcopum* vocat; deinde in c. XVI. simpliciter dixit Hippolytum; quemadmodum in citato c. XXXVIII. eumdem compellat ullo absque singulari titulo, quippe prius de eo ipso locutus fuerat (*).

(*) Quoad hunc Hippolytum non abs re erit huc revocare quae cl. vir Torquatus Armellini e. S. I. in c. XI. Commentarii *Phylosophu-*

Novissime, cum ex praemissis testimoniis ostendimus Noeti personam et haeresim triginta fere annos post Callisti obitum in Asia insurrexisse, non est praetereundum quod notat Tertullianus de Praxea eumdem professo errorem, ac circa Zephyrini et Callisti aetatem vivente. Afer enim Scriptor ait hunc Praxeam romanae humo haereticum dogma intulisse, docentem, *Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, denique ipsum esse Jesum Christum.* Anonymus vero circa idem tempus ait, non Praxeam, sed Epigonum Noeti discipulum Romam ab Asia venisse, ubi hanc impiam doctrinam profudit: quam istius auditor Cleomenes roboravit, consciis et probantibus Zephyrino et Callisto; donec nova haeresis sub Callisti nomine venit, fuitque propagata ultra hujus Pontificis aetatem.

Attamen cum dicit Anonymus de Noeti discipulis, de Epigono, qui Romam venit, et de altero qui impias hïc suas profudit doctrinas, Theodoretus eosdem nuncupans viros

*menon*, de eo scripsit cujus mentio apud Eusebium: « Jam vero Hieronymus plane ignoravit, clarissimum ac forte primum Bibliorum enarratorem, eumdemque chronographum, Cycli paschalis conditorem, ac theologum insigniter doctum, episcopum et martyrem Hippolytum Romae secus Tiburtinam compositum honorari. Apparet id luculenter ex Libro *De viris illustribus*, quem ipse, anno christiano 392. vulgavit. Solet quippe ibi Hieronymus locum, quo quisque decessit, vel rite depositus jacet, moram etiam, quam externus quisque scriptor in Urbe fecit, sicubi notum sit, commemorare. Verum ut ad Hippolytum venit nullam romanae *depositionis*, nullam commorationis in Urbe, nullam martyrii mentionem infert. Igitur neque Hieronymus, neque Damasus, neque, siqui fuerunt alii seculo illo Annalium Ecclesiasticorum scientes, martyrem Tiburtinae habuerunt pro cognomine episcopo, qui doctrinae simul et martyrii laude floruerat. *Deinde concludit.* Illud statuere posse mihi videor, quod initio propositum fuit, alium esse Hippolytum ab editis operibus insignem, alium vero Hippolytum Romae in Tiburtina sepultum et honoratum. »

Item Clarissimi viri Card. Baronius et Miraeus Hippolytum dicunt Clementis Alexandrini discipulum fuisse, non vero s. Irenaei. Et si talem vocarit Photius in sua Bibliotheca, intelligitur non de s. Hippolyti ab Arabia adventu in Gallias apud s. episcopum; ast quod istius scripta *adversus haereses* legerit ac traduxerit in Librum suum.

Noeto concordes, hanc de Epigoni Romam adventu circumstantiam praeterivit. Tertullianus porro subdit hanc haeresim Romae damnatam fuisse, idest a Zephyrino urbico, ut ait s. Optatus; sicuti tantumdem ex ipso patet Tertulliano, Praxeam sese emendasse, expulso errore; ac ubique haereseos semen excussum esse, manente apud *psychicos* (catholicos) damnationis chyrographo. E quibus circumstantiis educitur, falsum adstrui ab Anonymo, dum ait Zephyrinum virum stolidum acquievisse noetianae haeresi, cum secus pateat, vere tunc ab eo anathematizatam; et praeterea Praxeam haeresiarcham palynodiam cecinisse, undique evulsis haereseos radicibus: quocum iterum iterumque sequitur falsum quod ab Anonymo praesumitur de eo Pontifice.

Cum autem pergit Tertullianus inquiens ad aliquantum temporis latitasse hanc haeresim, donec denuo eruperit; proinde ei objiciat catholicam doctrinam, seu fidei regulam ab initio Evangelii eousque decurrentem, idest ad Callisti aetatem et ultra, et hanc eamdem esse, quam testatur se ab Ecclesia Romana statutam recepisse, pariter excluditur hujus Ecclesiae fidem corrupisse Callistum, factum praxeanae sive noetianae haereseos patronum, novique magistrum erroris. Et insuper cum ait Anonymus se Romae versatum, cum Zephyrino et Callisto disputasse: ac tamen Praxeae nomen omiserit, qui haeresim Romam intulit, ac postea resipuit; ac pro eo substituerit Epigonum, hunc asserens haereticam Romae fundasse scholam sub Zephyrini et Callisti patrocinio, nec unquam proscriptam sed diu perseverasse, pari jure commentitia refutatur haec narratio, contrariis instantibus tum Tertulliani testimonio cum traditione perenni erga indefectibilem Ecclesiae Romanae fidem.

Nec demum confundendi sunt Noetus discipuli et cum Praxea. Iste enim jam ab exordio seculi III. docebat, et alii hoc eodem seculo mediante post Noeti obitum. Nec contra urget quod ille et isti idem haeretice sentirent. Alii enim ante Praxeam hanc pravam sententiam amplexi sunt; sicuti de ceteris haereticis dicitur: qui licet in uno errore substantiali conveniant, tamen ob diversas circumstantias ex regione petitas, ab aetate, ex personarum qualitatibus, ac

praesertim quod ita illusi, novitatis cupidi, superbia elati, non discipuli errorum, sed magistri vocari vulgo adamarint, quibusdam subtractis vel additis ab aliorum haereticorum opinionibus, diversis nominibus nuncupantur: quemadmodum Noetus et frater ejus, alter Moyses, alter Aaron ex praesumpta sapientia dicebantur.

Ab his itaque animadversionibus concludatur adversus Anonymum, primum s. Zephyrinum Papam non adsertorem, sed refutatorem fuisse impiae Theodoti doctrinae. Secundo, Noetum noetianae haereseos principem non ante an. 245. suum propagasse errorem: nec ideo Callistum, quem Theodoretus dicit post Cleomenem et Epigonum Noeti comprobasse haeresim, ullimode sociandum esse, nec eumdem haberi ac Callistum Papam; proindeque errare Anonymum, qui aliter arbitratus est: ac simul perperam adstrui, Hippolytum ab Eusebio memoratum, doctum et orthodoxum virum Romae contendisse cum Zephyrino et Callisto, et hujus ignobilis et famosi Libelli haberi auctorem. Quod infra abundantius patefiet.



## CAPUT X.

*Item Sabellii haereseos gratis ab Ancnymo incusari probatur praefatos Pontifices Zephyrinum et Callistum.*

Si hucusque vel inscitiam vel perfidiam Anonymi patefecimus, quoties putavit ss. Pontificibus exprobrare haereticam doctrinam; nunc vero in eumdem magis nostrum invalescit propositum, quando ipse delirus in exscandescentia Callistum corripit sabellianae haereseos vindicem, ita tamen ut modo Theodoti, modo Noeti, nunc Sabellii placitis illum obsequi dicens, nunquam sibi constare videatur. Ait enim a Callisto antea Zephyrinum illusum, Sabellii erroribus accessisse. Deinde subdit Callistum post Zephyrini obitum *Sabellium utpote a vera fide abhorrentem extrusisse.* Et paulo post: *quum indesinenter Sabellius eum (Callistum) incusaret tanquam priscam fidem violasset, hanc novam haeresim iste excudit.* Demum concludit: *eum (Callistum) minime pudet modo in Sabellii doctrinam, nunc Theodoti incidere.*

Ex his interim perspicue eruitur jam a Zephyrini aetate insurrexisse Sabellium, idest ab initio seculi III. vita et ingenio suo ita Romae praestitisse ut plures doceret ac illuderet, donec a Callisto excommunicatus est. Et haec dicit Anonymus. Attamen hinc inde diligenter perquisitis illius aetatis documentis, falso id asseri comperitur. Nec enim Origenes, nec Hippolytus, nec Tertullianus in Libro *De Praescriptionibus adversus haereticos*, Sabellii nomen nec haeresim memorarunt; nec alii ad initium seculi III. retulere hujus haereseos ortum. Sed contra testatur s. Epiphanius Haeresi 62. n. 1. inquiens: « Non multis ab hinc annis Sabellius quidam haereticus emersit, quippe recens ille est, a quo sabelliani profecti sunt. Qui quidem, paucis quibusdam exceptis, eadem cum noetianis asseruit. Atque hujus sectae plurimi cum in Mesopotamia, tum Romae versantur, vesania quadam perciti. Horum haec opinio est, eumdem esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant. » Iam praemisimus ex ipsius epi-

phanii testimonio circa annum 245. Noeti haeresim exordisse: idest 40. fere annis post aetatem quam definivit Anonymus; culpavitque hujus haereseos patronos Zephyrinum et Callistum.

Eusebius porro luculentius in Libro VII. c. IV. et V. *Hist. Eccles.* Dionysii alexandrini citat epistolam ad Xistum Papam II. ubi mentio agitur de Sabellii haeresi tunc mundo nota, idest anno 260: « Nam, inquit Dionysius, de dogmate illo, idest sabelliano τõυ νῦν κινεϑέντος *quod nunc commotum est* vel *germinavit* in Ptolemaide Pentapoleos, plenum impietatis et blasphemiae adversus omnipotentem Deum . . . . fusius scripsi. » Si, Xisto Pontifice, inceperit Sabellii error, ac in Ptolemaide Pentapoleos tunc invaluit; ac Dionysius de eo certiorem fecit eumdem Pontificem, quid agendum esset eum rogans: quomodo ante sexaginta annos hujus haereseos defensores Romae invenerit Anonymus Zephyrinum et Callistum? Vel qua ratione Callistus antea Sabellio adhaeserit, ac postea condemnarit? cum Sabellius iste aut nondum natus erat, vel natus profecto aetatem degebat: in qua talia nec docere nec propugnare potuisset? Idcirco nec Zephyrinus neque Callistus cum Sabellio contenderunt; nec Sabellius indesinenter incusare potuit Callistum tanquam antiquae fidei violatorem, cum Sabellius post Noetum, idest post an. 245. docuit et hujus discipulus fuit: ac Romae solummodo nota fuit haec haeresis, Xisto II. Pontificatum gerente.

Quoad autem Trinitatis Mysterium ac divinam Jesu naturam adversus Anonymum, qui impiorum dogmatum magistrum asserit praesertim Callistum, et scholae institutorem, *quam adhuc perstare per universum orbem diffusam,* et in qua Theodoti, Noeti, et Sabellii errores propugnari dicit, proposito facit quod Eusebius de Paulo samosateno (qui idem sentiebat ac Theodotus ceterique) scribit in Libro VII. *Hist. Eccles.* c. XXII. Historicus enim arguit Paulum de Christo sentientem contra doctrinam ecclesiasticam; quod ipse tantummodo communi cum homine natura praeditum esse diceret Christum, quemadmodum illius antecessor Artemon. Quam doctrinam impiam in c. XXIII. subdit condem-

natam fuisse ab universa et Catholica Ecclesia in Synodo antiochena: cui damnationi Dionysius Papa subscripsit, sicuti antea actum erat de Artemonis, Theodoti, Praxeae, et Sabellii erroribus, eadem perseverante in Ecclesia Romana immutabili fide et doctrina de hoc Mysterio. Eadem ab Apostolis tradita erat. Et eadem plane extitit ab initio seculi III. teste Tertulliano, confirmata deinde in Synodo adversus Paulum et innovata in Concilio nicaeno contra Arium. Ubi ergo, ut vult Anonymus, per orbem diffusa Callisti haeresis?

Nemo porro illudatur (ad eos loquor qui hac in quaestione minus fecisse videntur has chronologiae notas) nemo illudatur ex Anonymi testimonio, cum Noeti et Sabellii aetatem statuat ad initium seculi III. quum hucusque ex Eusebii et Epiphanii dictis eruimus, post Callisti obitum hos duos vixisse et docuisse haeresiarchas. Ambo enim Scriptores, universim accepti uti probatae fidei, sincerisque roborati monumentis, secus ab Anonymo obtestati sunt. Unus Epiphanius, cujus studium speciale exstitit aetatem indicandi cujusque haereseos, veluti in hoc loco egit, ut Ecclesiae Catholicae doctrinam, veritate, latitudine et antiquitate praestare assereret sectis, quae postea insurrexerunt novae et falsae, ad annum 245. retulit initium haereseos noetianae. s. Hippolytus in hanc disputans inquit Noetum facere quae non egit Theodotus: et hinc Noetus non eodem tempore cum Theodoto docuit, sed successive sicuti et Sabellius, qui post Noetum notus fuit.

Hoc autem potiori jure dicendum est de Eusebio, qui ob oculos habuit cunctas Dionysii alexandrini epistolas, ubi agitur de sabellianae haereseos initio; cujus Auctor tunc vivens sub ejusdem ditione erat, et cujus primus Dionysius ἐφιμόσεν *obturavit os*, ait s. Athanasius. Et reapse cum s. Episcopus Xisto Pontifici scribens, certiorem eum facit de nova haeresi, quale scilicet doceret Sabellius detestabile dogma de Deo omnipotente Patre Domini nostri Jesu Christi, deque Unigenito ejus Filio et de Spiritu Sancto, subdit se diligenter hujus haereseos partes investigasse: *quo accuratius*, ait, *obscuras erroris latebras aperirem, quarum epistolarum exemplaria ad te misi.* Qua ergo ratione Dionysius se-

dulam Sabellii doctrinae expositionem ad Xistum Papam mittit; cum jam, ut velit Anonymus, Sabellius sexaginta circiter annos ante Romae jam degens, ibique impietatis suae semina spargens, damnatus esset a Callisto? Et quid opus erat uni scribere de persona Sabellii et de haeresi illius satis satisque alteri notis?

Ceterum non diffitear, ante et sub et post Zephyrini et Callisti aetatem errores hujusmodi pervagare orbem christianum Romam usque, valentinianos dico, et qui sunt kata Aeschinem, praxeanos, monarchianos, noetianos, paulinianos; nihilominus, ut dixi, horum unusquisque, aliquid speciale in propriam introduxerunt haeresim, adeo ut ab invicem et nomine et doctrina et tempore et loco probe dignoscerentur. Quamobrem illorum cuique, prout se habent, errorum suorum termini speciales reddendi sunt, sicuti tantumdem distinguenda eorum nomina, qui eos refutarunt. Et sub hoc intuitu apte veniunt, quae s. Optatus milevitanus episcopus in Libro 1. *De schismate donatistarum* n. 9. scribit: « Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et ceteri usque ad cataphrygas, temporibus suis, a Victorino petavionensi et Zephyrino Urbico et Tertulliano carthaginensi et ab aliis adsertoribus Ecclesiae Catholicae superati sunt. »

Ex hoc testimonio (veluti gratis existimarunt nonnulli) non est inferendum Sabellium fuisse damnatum a Zephyrino Papa, ac ideo sub ejusdem vixisse Pontificatu. Haud sic indicat Optati sensus. Et potissimum id revelatur ex ipsius verbis *temporibus suis et ab aliis assertoribus Ecclesiae Catholicae.* Idest, singuli haeretici pro tempore suo a catholicis superati sunt. Qui Zephyrini et Tertulliani aetate inventi sunt haeretici, ab illis expugnati sunt: et qui deinde insurrexere, idest Sabellius ceterique, ab aliis dicit refutatos. Paulo post Sabellium, idest circa an. 280. scribebat (teste Hieronymo *De Viris illustribus* c. 74.) Victor petavionensis episcopus Commentaria in Genesim . . . . in Apocalypsim Joannis, adversus omnes haereses et alia multa. Quamobrem Sabellii confutatio non ad Zephyrinum jam defunctum referenda est, sed ad alios, qui eidem successerunt, vel qui Sabellio coaevi vel posteriores fuerunt. Tantumdem vero

quoad Noeti aetatem nullius momenti fit auctoritas *Libelli synodici* in c. XX. ubi legitur in Synodo Romana damnatus fuisse Noetus a Papa Victore. Quod praeclare notavit Fabricius apud Gallandium in Bibliotheca (sec. III.) dicens hoc non pati temporis rationem, et ubi addit et alia contineri in illo Libello parum accurate tradita.

Attamen celebratus Gallandius in Tomi III. Prolegomenis adstruere nititur Sabellium Noeti discipulum vixisse circa annum 220. proinde instat Dionysii explanans testimonium: « Verum, inquit, non ait Episcopus alexandrinus eam doctrinam ab ipso Sabellio fuisse nuper apud ptolemenses invectam: quinimmo Eusebius, qui Dionysii episcopi prae oculis habebat integram epistolam, fragmentum illud recitans, disserte testatur Dionysium *περὶ τῶν κατὰ Σαβέλλιον αἱρετικῶν* de sabellianis haereticis sermonem habuisse; et propterea Dionysii verba potius sectatoribus, qui tunc temporis increbrescebant, quam de ipso Sabellio accipienda sunt. »

Verba porro Eusebii in Libro VI. c. V. ita ex graeco sonant: « Deinceps in eadem epistola de haereticis a Sabellio *sabelliani* dictis, tunc *ἐπιπολαζόντων emergentibus* mentionem facit hoc pacto: *quoniam de erroris dogmate, Ptolemaide Pentapolis νῦν κινηθέντος nunc incepto, quod plane impium est.* etc. » In his Eusebius historiam hujus aetatis contexens, inquit, tunc, nempe sub Dionysio emersisse, qui suo tempore, idest Eusebii, dicebantur *sabelliani* a Sabellio: non vero dicit Sabellium aliquando ante Dionysium vixisse ac deinde illius discipulos emersisse annos circiter quinquaginta post. Verumtamen non Eusebio, sed et potius Dionysii tum viventis dictis attendendum est, quum perspicue indicat iis diebus ob oculos suos incepisse Sabellium impiam fundere doctrinam. Et quidem vocem *κινέομαι* saepe usurpat Historicus de alicujus rei initio; et praesertim ubi loquitur de haeresibus et aliis quaestionibus in Ecclesia ortis. In Libro V. c. XXIII. eisdem temporibus scribit gravem quaestionem *ἀνακινηθεῖσαν* exortam, circa scilicet Paschae celebrationem. Et in ipso Libro VII. c. II. ait ad Stephanum Papam scripsisse Dionysium epistolam, controversia non mediocri tunc *ἀνακινηθέντος* exorta de baptismi innovatione. Si enim juxta

Gallandium ante hoc tempus invaluisset Sabellii haeresis, Dionysius haud dixisset *incepit*, sed *innovata est*.

Quoad autem hoc vocabulum ab Eusebio eo sensu usitatum, de eadem haeresi s. Basilius in epistola 210. scribens ad primores Neocaesareae, notat aetatem Sabellii et confutationem a s. Gregorio illius ecclesiae episcopo exactam, inquiens: « Nam Sabellii malum πάλαι μὲν κινηθὲν olim quidem exortum, sed traditione magni illius viri (Gregorii) extinctum, conantur isti νῦν ἐνανεοῦσθαι nunc innovare. » Ubi perspicue duo vocabula, unum haereseos principium sub s. Gregorio, alterum innovationem sub s. Basilio exprimunt. Item s. Basilius Dionysium excusans, quod hanc refutans haeresim, in contrariam abiisse visus sit partem, ac semina praebuisse haeresi anomianae, indicat pariter non ante hoc tempus vixisse Sabellium: « Causam vero (inquit in epistola IX.) hujus non puto animi malitiam esse; sed quod vehementer cupit obluctare Sabellio. Soleo itaque illum similem aestimare plantatori cuipiam, qui νεαροῦ recentis plantae correcturus aversionem, ita immoderate illam retorquet, ut a medio aberret, et ad contrarium latus ramulum abducat. Tale quid deprehendimus et ab hoc viro factum. Hic nempe dum impietati Libycae (Sabellio) se opponit acriore impetu, minus prudenter sibi prospiciens, in malum huic oppositum praeceps abiit. » Cum itaque Basilius plantae recenti comparet Sabellii haeresim, non antea, sed tunc idest vivente s. Gregorio, incepisse docet.

In Litteris s. Athanasii *De Sententia Dionysii* n. 9. citatur altera istius epistola ad Ammonium, ubi accusatur Sanctus, quod de Christi divinitate locutus, minus recte se gesserit: « Idipsum egit Dionysius ab Apostolis edoctus; ἐπειδὴ γαρ̀ εἷρπεν postquam enim irrepsit Sabellii haeresis, coactus est (Dionysius) hujusmodi epistolam, ut dixi, scribere: ac verba, quae humili et humano more de Salvatore dicta sunt, illis objicere etc. » Cum igitur s. Athanasius ait, Dionysium ab Apostolis edoctum, coactum esse humili et humano more de Jesu scribere, sicubi invaluit Sabellii haeresis, in aliis scriptis supponit aliter egisse; quum nondum

**insurrexisset Sabellius, adversus quam novis armis sibi pugnandum erat (*).,**

**De reliquo, cum s. Gregorius neocaesariensis et Dionysius alexandrinus coaevi a ss. Athanasio et Basilio citentur, dimicantes contra Sabellii haeresim; et cum nec multo minus isti nec illi repetant anathema, quo jam pridem a s. Callisto ictus fuisset, nempe circa an. 220. amplius augescit argumentum quaestioni nostrae propitium de sabellianae haereseos initio a Xisti Papae II. aetate, quemadmodum apertis verbis notavit Dionysius, et cum eo Eusebius in praefato testimonio. Ex quibus omnibus arguitur decipi Gallandium et**

(*) Interim non est hic praetereundus Liber graecus Anonymus pro Origene, a Photio citatus in Cod. 117. et cujus dictionem neque claram neque puram esse dicit. In hoc Libro inter cetera notavit « Quin etiam hoc asserit (Anonymus) de Origene, eum scilicet nihil errasse de eo, quod attinet ad dogma de Trinitate: pugnantem tantum cum Sabellii haeresi, cujus tum improbitas magnopere se efferebat et personarum Triadem manifestam maxime multisque modis differentem demonstrare conantem, a recto atque officio subinde in contrariam partem abreptum fuisse. » Hoc autem testimonium non super Origenem, qui nullam mentionem suis libris interserit de haeresi sabelliana, sed super Dionysium alexandrinum vertitur: de quo s. Basilius in citata epistola IX. scribit: « Cum enim libyi (Sabellii) impietati occurreret Dionysius vehementer, non intellexit, se nimio contendendi studio in contrarium malum delabi. Et cum ei satis esset, non idem esse subjecto Patrem et Filium demonstrare, atque haec adversus blasphemum palmaria tenere, ut manifestam prorsus et redundantem victoriam habeat, non modo *hypostaseon* alietatem statuit, sed etiam essentiae differentiam, ac potentiae gradus et gloriae diversitatem. Quare inde contigit, ut mutarit quidem malum malo; a recta autem doctrina aberrarit. » Et haec Basilii verba cum eadem comprobentur, quae Anonymus apud Photium pronunciavit, videtur idem Anonymus a Photio citatus, illudi, Dionysii dicta inscribens Origeni: eoque magis, quod Dionysius episcopus, non vero Origenes, a sabellianis accusatus apud Dionysium Papam, coactus fuerit apologiam suae fidei texere.

His positis, emendanda sunt, quae in Tomo IV. p. 132. scripsi, putans cum Photio citata verba Anonymi revera fuisse pro Origene scripta, cum intrinsecae notae magis pro Dionysio quam pro altero referantur dictatae. De quibus alibi.

qui cum eo sentiunt recentiores, et maxime Anonymum: qui ad Zephyrini aevum hujus haereseos revocavit exordium, Sabellium ipsum introducens Romae cum s. Callisto disputantem; cujus rei nulla mentio apud Tertullianum: quod summum est in hac quaestione.

Neque nobis officit, quinimmo propositum juvat, quod legitur in Fragmento tertio ex Opere historico s. Hilarii pictaviensis n. 25. ubi scribit: « Verum omnium Conciliorum juste legitimeque actorum decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato, Sabellio et Valentino haereticis factum Concilium, ab orientalibus confirmatum est. Et iterum in Oriente sub Paulo samosatensi quod statutum est, ab omnibus est signatum. » De eo Concilio Romae adunato breviter mentionem agit Eusebius in Libro VI. c. XXXV. *Historiae Eccl.* qui speciatim notat indictum adversus Novatum, et ab episcopis, qui Concilio non interfuerunt, acceptum. Et quidem acta Synodi ab Eusebio citata et episcoporum de ea epistolae damnatum tantum indicant Novatum, excluso Sabellio et Valentino.

Itaque, cum s. Episcopus inquit, sub Novato, Sabellio et Valentino Romae hanc Synodum adunatam esse; et cum unum Concilium tantum, neque plura ideo collecta fuisse dicat, constat istud ab aetate Callisti haud locum habuisse: cum nondum emersisset haeresis Novati, sed postea. Si enim a Callisti aetate hoc collectum esset Concilium, tunc in eo anathema subiisset Novatus, cujus nondum irrepserat error: quem ceterum ortum praeclare scimus post Decii persecutionem, aut post seculi III. dimidium: et tunc in eo concilio anathemate eumdem ictum esse. Idcirco ab hoc Hilarii testimonio non sequitur ab aetate Callisti Romae ortam vel notam sabellianam haeresim. Vel ad summum incerta inde maneret ejusdem aetas; quamvis ex praemissis documentis dubia, quae ex Hilarii dictis concipiuntur, omnimode evanescant.

Praeterea post Callisti et Novati aetatem ortam Sabellii haeresim significavit alibi s. Epiphanius in Haeresim 66. n. 1. de manichaeis disputans. Ubi ait hos haereticos: « magnum per illud tempus, in quod aetas illorum incurrit, prae-

dicatione sua in orbem terrarum malum invexisse μετὰ τὴν Σαβελλίου ἐπανάστασιν post Sabellii insurrectionem. Nam Aureliano imperante, quarto ejus imperii anno emergere coeperunt. » Cum itaque s. Episcopus inquit, postquam insurrexit Sabellius, insurrexisse Manetem, non videtur eruendum Sabellium ipsum a seculi III. initio vixisse et docuisse sed paulo ante ejusdem Manetis haeresim idest mediante hoc seculo : quasi diceret Manetis haeresim subsecutam immediate esse alteri Sabellii; in quo convenire diximus Eusebium et maxime Dionysium ac ideo cum s. Epiphanio sibi mutuam praestantes operam. Alioquin vana haberetur hujusmodi s. Epiphanii, relate ad tempus, locutio, ubi unam haeresim jungit immediate cum alia, inquiens, postquam insurrexit Sabellius, insurrexisse Manetem, nisi revera aetas eis intercederet propinqua. Quod frustra, dico, quaeritur, si Sabellii error ad quinquaginta annos separetur a Manetis aetate, cum jam plures insurrexerint haeretici a principio seculi III. usque ad ipsum, ac potissimum cum sabellianae haereseos thema non parum distet a manichaeorum doctrina, adeo ut ne praesumatur quidem, Epiphanium ideo hanc inseruisse notam. Item s. Hilarius in Libro VI. *De Trinitate* scribit : « Ariani dicunt et nominant Valentinum primum, deinde Manichaeos, tertio Sabellium, quarto Hieracam. »

Frustra ergo dicit Anonymus, cum Noeti discipulis et Sabellio Romae contendisse Zephyrinum et Callistum de Verbi Dei persona, quando uterque haereticus post Callisti obitum insurrexerit. A s. Epiphanii et Eusebii non nisi temere recedendum est testimonio in hac quaestione: quorum studium in priscis Ecclesiae monumentis investigandis elucet, sicuti integritas monumentorum, quae ab ipsis citantur, germanis eorum verbis rite expositis, sicuti dictum est.

Demum cum hucusque ostendimus ab Anonymo frustra redargui Zephyrinum et Callistum alias Theodoti, alias Noeti, alias Sabellii patronos; non est praetereundum, quod ipse in somnio fingens, duos Pontifices, veluti in scholasticis periculis constitutos, de Verbo Dei disputantes inducit cum haereticis, illorum maxime criminatus dubia, tergiversationes ac in fide instabilitatem. Praesumit enim Anonymus

ambos in Theodoti et Noeti haeresim lapsos, a se fuisse expugnatos, eosque invitos coegisse veritatem confiteri. Qui etsi ad tempus erubescerent, tamen postea in idem lutum se volutarunt. Deinde addit Callistum haeresim propugnantem Noeti, Zephyrino illusisse, ita ut modo iste Noeti, modo Sabellii errores profiteretur; ac postea eumdem ait Callistum damnasse Sabellium; ac rursus eidem adhaesisse, in perpetua nempe contentione et inconstantia versatum. Et haec dicit Anonymus.

Adversus ista pro me stet Tertullianus, e cujus scriptis tum relate ad dogma catholicum de Verbi divini hypostasi, cum relate ad Ecclesiae disciplinam in haereticorum confutatione, praeclarissime eruitur impudens Anonymi criminatio adversus duos Pontifices. Saepe namque Presbyter afer Symbolum apostolicum sub *fidei regulae* nomine profert, cunctis Christi ecclesiis praesertim apostolicis ( in quibus praestat Ecclesia Romana ) acceptum: ubi continetur Trinitatis confessio Patris, Filii et Spiritus Sancti in unitate substantiae, quemadmodum antea dictum est: ac praecipue de Filio, qui dicitur a Patre missus in Virginem et ex ea natus homo et Deus, Filius hominis et Filius Dei; et hic passus, mortuus et sepultus. Quam fidei regulam immutabilem decucurrisse ait ab Ecclesiae initio usque ad Callistum et ultra hanc aetatem.

Quomodo ergo praesumendum est duos Pontifices nunc dubitasse, modo contradixisse huic fidei regulae, coram Anonymo asserentes Patrem non Filium passum esse, et quandoque Patrem et Filium simul passionem et mortem subiisse? seu Verbum esse Filium et hunc etiam Patrem esse, alias Noeto, alias Theodoto, alias convenientes Sabellio? Nonne ab hac inconstantia ex Romanorum Pontificum parte totum Tertulliani haereticos refutantis deficeret studium, ut frustra laborasse videretur? Vel fortasse putandum est utrumque Pontificem hanc ignorasse fidei regulam; quam tunc ubique custoditam uti christianae religionis tesseram fidenter asserebat Tertullianus?

Praeterea in hac causa facit et illud, quod scribit Tertullianus idem circa Ecclesiae disciplinam in refutandis hae-

reticis, nempe de convenientia cum iis disputandi aliter ab eo, quod narrat Anonymus de Zephyrino et Callisto secum ipso et cum haereticis disputantibus. Auctor enim in citato Libro *De praescriptionibus* adversus eosdem, cum his docet raro, ac non nisi cautissime contendendum esse, et potissimum de divinae Trinitatis Mysterio. Ac ideo, exposita hac fidei regula n. XIIII. subdit: « Haec regula a Christo, ut probabitur instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haeretici inferunt, et quae haereticos faciunt . . . Fides in regula posita est: habes legem et salutem ex observatione legis. Exercitatio autem in curiositate consistit habens gloriam solam de peritiae studio. » Et paulo post n. XXI. « Hanc igitur dirigimus praescriptionem: si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam quos Christus instituit: quia nec alius Patrem novit, nisi Filius, et cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit . . . . Superest ergo uti demonstremus, an haec nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso, an ceterae de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa, hoc est testimonium veritatis . . . Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae *Petram* dictum, claves regni coelorum consecutum, et solvendi et alligandi in coelis et in terris potestatem? etc. »

Ideoque, si in disputationibus cum haereticis numquam recedendum erat a regula, sive a fundamento posito ab Apostolis: et si vix liceret quandoque cum haereticis inire quaestiones praesertim de fidei mysteriis; quid putandum erit de Petri successoribus Zephyrino et Callisto, quorum judicium supremum ceterorum praestabat auctoritati? et qui a Jesu constituti erant non ad disceptandum, sed ad confirmandos fratres, veluti Petro dixerat: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Augescit autem quod, cum ita disputet Tertullianus adversus haereticos, haud eum latere potuissent praesumptae (quas fingit Anonymus) Zephyrini et Callisti quaestiones cum Theodoto, Cleomene, et Sabellio: quorum

impia dogmata de Verbo Dei apostolicam convellebant fidem; et quam Scriptor afer tantopere ea ipsa aetate propugnavit, ad doctrinam ideo appellans Ecclesiae Romanae.

Nemo porro miretur, quod Anonymus Zephyrinum et Callistum induxerit docentes adversus priscam fidei formulam in Ecclesia Romana probatam circa Verbi divini hypostasim ab altera Patris distinctam secundum Symboli apostolici dicta: *alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Nemo miretur, inquam, quod ipse solus Anonymus (cunctis Ecclesiae scriptoribus sive orthodoxis sive heterodoxis tunc silentibus) duos Pontifices de haeresi culpaverit nunc Theodoti, modo Noeti, alias Sabellii, corrupta vel ambagibus velata illorum Pontificum confessione de hoc Mysterio. In hac enim quaestione tam insipienter se gessit Anonymus quam in collatione Aristotelis, Platonis, Zenonis et aliorum philosophorum cum haereticorum doctrina. Quanta porro incuria in eo studio usus sit, praemissae discussiones testantur; ubi diverse is interpretatus est, quae ceteri sive profani sive sacri scriptores de illis ingenue tradiderunt, ac praesertim in Heracliti opinionibus conferendis Noeti errori. Aliud sane sensit Heraclitus et aliud Noetus, nulla intercedente in suis placitis concordia.

Unus idest Heraclitus tenebrosus, quantum de eo ex aliis philosophis licet arguere, uti dictum est, ignem principium putavit, quo extincto cetera gignuntur; cujus solidiorem partem in se contractam, atque constipatam terram fieri. Aut aliter: « Mundum eumdem universorum neque deorum ullus fecit, nec hominum; sed fuit semper et est et erit ignis semper vivens, mensuras accendens et extinguens mensuras, ut de eo ait Clemens alexandrinus in Libro V. *Stromaton.* In qua definitione excluditur Deus creaturae superior, siculi quaecumque substantia incorporea. Noetus vero ethnicam philosophiam contemnens, et creaturam a Creatore apte segregans, et incorpoream ab essentia corporea, ex divinis Scripturis tantum et praecipue ex Moysis doctrina suam studuit propugnare haeresim, quemadmodum superius ostendimus. Adeo vero Noetus a graeca philosophia abhorruit in suae haereseos institutione, mosaicam in omnibus de Deo

uno Creatore supra ceteras creaturas praeferens doctrinam, ut ejusdem quoque Moysis assumpserit nomen.

Praeterea, Anonymi dictis sedulo expensis in definitione doctrinae Heracliti, comperitur illum quaedam adjecisse ab eo Philosopho omissa, nec ullimode considerata, ac solum haeresi noetianae propria. Ac vicissim idem disputans de Noeto, huic adscribit sensus, quos ignoravit et refutavit, ab Heraclito vero admissos. Ex. g. n. 9. scribit: « *asserit igitur Heraclitus unum esse omnia, divisibilia et indivisibilia, creata et increata, mortalia et immortalia, rationem aeternitatem, Patrem Filium, Deum justitiam.* Haec autem non ita notantur a Platone nec ab Aristotele, penes quos Heracliti doctrina servatur; ac praesertim ubi ait Anonymus *unum esse rationem aeternitatem*, *Patrem Filium*, *Deum justitiam.* Item paulo post n. 10. subdit: *Nonne eisdem verbis antea Tenebrosus ille Philosophavit? Eumdem esse Filium et Patrem istum asseverasse nemo nescit.*

Item ostendens quomodo Noetus placita admiserit Heracliti subdit: « *Dicunt Noeti sectatores unum et eumdem Deum esse rerum omnium demiurgum et patrem.* Hinc paulo post Noetum docentem inducit: *creatum mundum suipsius demiurgum et creatorem fuisse:* quod numquam putavit Noetus: sed docuit Heraclitus. Reapse Philo *De allegoriis* scribit: « nihil factum a Deo existimat Heraclitus. » Item, homines deos dicit Heraclitus; et deos homines, mortales et immortales. Et hanc eamdem locutionem interserit Anonymus haeresi Noeti, quasi docuisset Deum mortalem sicuti ceteras creaturas. Similiter ex Heraclito *dii homines*, *homines dii:* a qua blasphemia prorsus abhorruit Noetus, nec unquam Deum Patrem creaturam esse affirmavit: nec alios ei sociavit Deos; sed homines ait creatos a Deo in tempore et esse mortales. Unde concluditur Anonymum Noeto, quae Heraclito tantummodo propria sunt, et vicissim Heraclito, quae Noetus solus docuit, adscripsisse, falsatis utriusque opinionibus.

Cum ergo ita se habeat dolosum Anonymi studium in Heracliti et Noeti exponendis sensibus, quid putandum erit de ipsius cura in conferenda haeresi noetiana Zephyrini et Cal-

listi doctrinae ? Nonne jure nobis praesumendum erit eamdem Anonymum adhibuisse perfidiam in corrumpenda sincera fidei regula de Trinitatis Mysterio ab utroque Pontifice emissa secundum apostolicam traditionem ?

Nec est silendum, quomodo Anonymus Callistum errantem corripiat. Ab initio, titulo 3. dicit Pontificem commixtis Noeti et Theodoti placitis, aliam recentiorem excudisse haeresim. Quam sententiam postea emendat, inquiens Callistum, quasi folium a vento raptum, sabellianam haeresim propugnasse; ac rursus adjecit, nec istam, nec illam admisisse. Et si de tanto Pontifice hoc dici nequit: multo magis arbitrari nolim ipsius discipulos et quidem innumeros, ut ipse putat Anonymus, ad diuturnum tempus perséverasse in hac conditione, eadem laborantes incertitudine, alias Deum, alias purum hominem confitentes Christum.

Quapropter cum Callistum disceptantem inducit Anonymus de Deo Patre et de Verbo ejus Filio; nobisque objicit Pontificem in sua fide instabilem, *dementem, ac supra et infra dispergentem blasphemias,* ex. g. docentem, *omnia sursum et deorsum abundare divino Spiritu*, vel *Patrem deificantem carnem, sibi junxisse et fecisse unum;* nunc Christum Deum affirmantem, modo absolute cum Theodoto negantem, modo confundentem cum Patre Filii hypostasim et similia; ac una consideratis, quae hic illic diverse sensit et scripsit in suo Libro Auctor; mihi viderentur, retorto argumento, hujusmodi dicta ei magis ac jure huc illuc in suo sensu erranti, dementi, cunctaque falsanti accommodari, quam Callisto; cujus sanctitudini ob suae fidei integritatem traditio perenne encomii exhibuit usque modo testimonium.



## CAPUT XI.

*Refutatur Anonymus Callisti culpans indulgentiam erga peccatores quoscumque post baptismum lapsos : quasi Ecclesia Christi ante hoc tempus a poenitentia et reconciliatione excluserit fideles cujusque criminis reos.*

Similiter Anonymus prosecutus in corripiendis Callisti erroribus, personamque gerens Novatiani (cujus occultat nomen) arguit Pontificem, inquiens : « *Quum talia deceptor iste (Callistus) ausus esset, scholam instituit adversus Ecclesiam ut ita doceret; hominumque pravis cupiditatibus indulgere primum molitus est, dicens a se peccata omnibus remitti. Quicumque enim christianus dictus, ab alio fuerat seductus, et scelus aliquod commisisset, non reddebat rationem de peccato suo, modo ad scholam Callisti confugisset. Cujus definitione gaudentes multi, conscientia cruciati, iidemque ab haeresibus repudiati, imo nonnulli Ecclesia a nobis facto judicio ejecti, accedentes discipulis ejus, scholam illius compleverunt.* Et paulo post addit, Callistum ejusque socios, contemnentes Christum, neminem a peccato prohibere, asserentes posse seipsos peccata remittere hominibus bonae voluntatis.

Horum verborum falsitas antea in hoc comprehenditur, quod Anonymus ait, Callistum primum adversus Ecclesiam scholam instituisse : in qua omnia peccata docebat remitti posse. Non enim Callistus hanc instituit scholam, sed Christus Jesus in Evangelio; et Petrus Apostolus suique successores usque ad Callistum ac deinceps perpetuo docuerunt, uti modo servatur, post baptismum aliud sacramentum reconciliationis superesse iis fidelibus denuo in peccatum lapsis. Hujusmodi doctrina praxi sociata firmatur in Evangelio de Petro, qui negavit se nosse Christum; et post abnegationem poenitentia ducitur. Item in Actis apostolicis, in Epistola I. ad Corinthios *De Incestuoso,* et in Epistola II. ubi scribit Apostolus : *lugebo multos, qui in vobis ciciderunt, neque poenitentiam egerunt,* ut ostendat, tametsi ceciderint si poenitentiam susceperint, admitti nihilominus, nec omnino rejici.

In quo non est ut ulterius immoremur, cum ex priscis Patribus perspicue constet, Ecclesiam Catholicam, cunctosque, nemine excepto, summos Pontifices ante et post Callisti aetatem perpetuo comprobasse poenitentiam: « Enim vero, scribit s. Epiphanius adversus *Catharos* Haeresi 59. n. 1. perfecta in baptismo quidem poenitentia est. Sed, siquis exciderit, non illum sancta Dei Ecclesia perditum velit; imo et receptum, et post poenitentiam mutandi consilii facultatem indulget. »

Hoc autem Tertullianus in Libro *De poenitentia* n. 4. admodum nobis in his inserviens, inquit: « Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spopondit dicens ad populum: *poenitere et salvum te faciat.* Et iterum: *vivo*, inquit Dominus, et *poenitentiam malo quam mortem.* Ergo poenitentia vita est, quum praeponitur morti. » Et paulo post n. 7. « Haec igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiae janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat . . . . . Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit. Pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratae valetudinis (morbi) iteranda medicina est. »

Ita in hoc Tractatu disserens Tertullianus, quamvis serius putavit quaedam ex peccatis fore irremissibilia, attamen modo nullum denegat poenitentiae locum iis, qui post baptismum peccarent. Cum ergo, inquit, sicuti ceteri, qui eum praecessere, omnibus delictis, nullis exceptis, veniam concedi in Ecclesia (et id docuit Tertullianus ante Callisti aetatem) falsum omnino est, quod objicit Anonymus huic Pontifici, increpans quod ille primus docuerit, *a se peccata omnibus dimitti.* Et id satisfiat in Anonymum, qui duo immerito objecit Callisto, unum quod primus indulgentiam post baptismum peccatoribus obtulerit, secundo quod talem indulgentiam Ecclesiae denegarit adversus immensam Dei misericordiam et apostolicam traditionem.

Ceterum in hoc accusationis genere animadvertendum sane est, quo proprie, ad quem et ad quale tempus referatur quod ipse Anonymus Callisto exprobrat, de recipiendis in Ecclesiam peccatoribus indiscriminatim. Cui doctrinae Anonymus dicit se restitisse, contrariam professus disciplinam. Haec porro doctrina Anonymi et quidem haeretica, qua absolute post baptismum excluditur poenitentiae locus, sive gravissima, sive gravis, et cujusque generis foret culpa, nullimode confundenda est cum Tertulliani praesumptione. Valde enim ab ea distat. Tertullianus enim postquam montanistis accesserat, divinam clementiam cohibuit solummodo erga adulteros, apostatas, homicidas; cum de ceteris reatibus post baptismum dari poenitentiam et remissionem juxta antiquum Ecclesiae ritum fateretur. Itaque scribebat in Libro *De Pudicitia* n. 1. « Nec enim moechia et fornicatio de modicis et de mediis delictis deputabuntur, ut utrumque competat, et sollicitudo quae praecavet, et securitas, quae indulget . . . . Porro et auctoritas Scripturae in suis terminis stabit sine alterutra oppositione; et poenitentiae subsidium suis conditionibus determinatur sine passiva concessione; et ipsae prius causae ejus distinguuntur sine confusa positione. Causas poenitentiae delicta condicimus. Haec dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia. Secundum quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. » (*)

Quapropter, cum hujusmodi ab Anonymo citata doctrina, per quam statuitur, unam tantummodo dari poenitentiam, et hinc, qui post baptismum deliquerit, nullam erga eum reperiri Dei misericordiam, absolute excluso veniae loco, nec Tertulliano, nec ulli illius aevi haeretico inscribenda sit, jure demandatur ad Novatiani aetatem et personam. Et sane haec haeresis, quam Eusebius in Libro VII. c. VII. descri-

(*) Porro ibi Anonymum loqui de quovis reatu, nec tantum de impudicitia, abundantius ostenditur in sequenti capite de Alcibiade, quem, helcaesaitarum innovata haeresi, ait a Callisti doctrina initium sumentem, baptismum poenitentiae invexisse, quo cujusque generis remittebantur peccata.

psit, et s. Epiphanius sub *catharorum* idest mundorum nomine comprehendens sapientissime refutavit, singulis notatis haereseos capitibus, eisdemque ab Anonymo in hoc libello recensitis, tunc primum orta est, Ecclesiam Romanam regente Cornelio Papa circa annum 255. (teste Eusebio in Chronico) et triginta duos circiter annos post Callisti Papae obitum, sumpta occasione ex quorumdam christianorum lapsu in Decii, iis diebus invalescente, persecutione. Ex epistolis Cornelii ad s. Cyprianum liquet, neminem ante hoc tempus, praeter Novatum et Novatianum istiusmodi tenuisse errorem: nec ideo Callistum cum iis contendere potuisse, nec ab ipsis corripi, qui partes susceperant Novati. His tantum diebus quaestio excitata est, Cornelio Pontifice. Tunc solum et non antea, Novatianus signum extulit rebellionis adversus Ecclesiam Catholicam, absolute docens post baptismum peccanti nullum fieri poenitentiae locum. Nullus nec ibi neque alibi antea hoc doctrinae genus introduxit.

Et ob hoc Pacianus in hanc decertans in epistola III. ad Sempronianum, ait: « Novatianus hoc docuit, quod post baptismum poenitere non licet. At vel quando frater? quibusve temporibus? statim post Domini passionem? Post Decii principatum: idest post trecentos prope annos dominicae passionis . . . Novatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo a Christo usque Decii principatum nullus intelligens? » Ex quibus omnibus concluditur, gratis culpari Callistum quod hanc novam in Ecclesiam invexerit doctrinam, cum ab ejus initio ubique ab Apostolis praedicata et exculta fuerit; sicuti tantumdem falsum esse tunc sub Pontificatu Callisti reperiri, qui divinae misericordiae cohiberent terminos, erga cujusvis peccati reos, verborum memores: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

Ac demum circa haec Jesu ad Petrum dicta plurimum facit quod ipse s. Epiphanius adversus eosdem novatianos scribit in nn. 7. et 8. « Excipit igitur poenitentes Dominus, nec non et ejus Ecclesia, quemadmodum Manasses Ezechiae filius conversus est et a Domino receptus. Itemque princeps Apostolorum Petrus, qui aliquando Dominum negavit. Qui quidem solidae petrae instar nobis extitit; cui

velut fundamento Domini fides innititur: supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est . . . . Verum et ille (Petrus) quoque firmissimus structurae lapis ac divinae domus fundamentum fuit: cum, negato Christo, reversus ad se, velut repertus a Domino, et honore tanto affectus, audiit: *pasce oves meas*, *et pasce agnos meos*: ac tertio, *pasce oves meas*. Quae Christus cum dixit, ad poenitentiae nos conversionem induxit. Quo rursum in illo solidissime fundata fides aedificaretur, quae nulli hominum vitam ac salutem subtrahit; quamdiu vivi et spirantes sunt, atque ex animo poenitentiam suscipiunt, ac denique sua in hoc mundo delicta corrigunt. » Non erravit ergo Callistus, secundum Petri et antecessorum disciplinam incedens, culpas condonans unicuique ex animo revertenti ad Dominum. Sed erravit Anonymus primum adscribens soli Callisto, quod cunctis proprium fuit Pontificibus et Ecclesiae Catholicae. Ac iterum erravit Anonymus, qui putavit terminum imponere divinae misericordiae erga peccatores.

Quod porro dixi Anonymum circa hanc quaestionem, erroris Novati vindicem se exhibere, magis inde firmatur, ubi Callistum docentem inducit, *a se peccata omnibus bonae voluntatis remitti;* ideoque subdens *ab hac doctrinae callistianae indulgentia allectos homines facile ad peccatum relabi.* Et haec reapse eisdem sensibus repetit s. Epiphanius, Novatianum corripiens juxta veterem et catholicam doctrinam, asserens n. 2. « tum divinum sermonem tum sanctam Dei Ecclesiam perpetuo poenitentiam approbasse: non quod mollior ac dilutior sit; aut pigriores illos faciat, qui in illo stadio decurrunt; sed ut Dei gratiam et humanitatem non rejiciat, ac cujusque causae modum et rationem consideret. » Et paulo post n. 5. « Quocirca, ait, siquis peccato aliquo, quodcumque demum illud sit, occupatus fuerit, hujus illum poeniteat . . . . Quae cum ita sint, neque libertatem iis omnino, qui post baptismum deliquerint, ostendimus, neque illis spem salutis eripimus. Misericors enim Deus est et benignus, ac receptum poenitentibus indulsit . . . Etenim in manu vitam ille tenet, et in salutem propensam humanitatem. Quidnam vero ille faciat, soli est ipsi perspectum. Illud

quidem constat, nemini fraudi esse poenitentiam, neque, quem peccatorum omnium poenitet, rejici atque excludi. »

Item aetate et illusione Novatiani redolent, quae Anonymus in sua praesumptione citat ex evangelica parabola *De zizaniis*, ubi disserentem repraesentat Callistum: « *Sinite zizania crescere cum tritico,* idest, *sinite peccatores in Ecclesia manere.* Dicebat etiam (Callistus) *Ecclesiam instar arcam Noe fuisse, qua canes, lupi, corvi, aliaque omnia pura et impura animantia comprehendebantur*: *oportere autem item esse de Ecclesia.* » Et quidem nos adversus Anonymum dicimus ex ipsius Jesu verbis: *necesse est ut veniant scandala: Vae autem homini illi, per quem scandalum venit.* Ideoque cum praefato Epiphanio n. 7. subdimus, oportere ut et ebrii et stupratores, et avari, et foeneratores et ejusmodi ac similibus vitiis obstricti in populi multitudine versentur; quandoquidem unicuique mendacia adhaerescunt. »

Non erravit ergo praesumptus ab Anonymo Callistus, nec cum isto Ecclesia Catholica arcae Noe, ubi munda et immunda animantia conclusa erant, comparans militans Christi regnum in hoc mundo. Erravit vero Anonymus cum suo magistro Novatiano, christianos arbitratus in hac vita undequaque diaboli insidiis circumventos, ab omni labe immunes incedere posse; et hinc, si peccaverint, poenitentiae donum eis subtrahendum esse.

Praeclarius autem s. Cyprianus, quae Anonymus notavit *de zizaniis* in agro dominico, insultans Callisti indulgentiae, expressit refutavitque in epistola 52. ad Antonianum: « Tum denique, inquit de Novatiano, quantus arrogantiae tumor, quanta humilitatis et lenitatis oblivio; arrogantiae suae quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere? aut quasi ipsi palam ferre et aream purgare concessum sit, paleas conetur a tritico separare? Cumque Apostolus dicat: *In domo autem magna non solum vasa aurea sunt et argentea, sed et ligna et fictilia*; aurea et argentea vasa videatur eligere, lignea vero et fictilia contemnere, abjicere, damnare: quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, et

fictilia ab eo, cui data est virga ferrea, frangantur? » Nonne haec Cypriani verba adamussim retundunt, quae Anonymus Cornelio Papae sub Callisti persona exprobravit, dicens: *sinite zizania crescere cum tritico; idest sinite peccatores in Ecclesia manere?*

Quapropter, his et aliis praemissis sedulo animadversis, nequaquam Callistus (nec quisquis in Petri Cathedra assumptus) ita inconsiderate homines alliciebat ad suam scholam, ut nullum prohiberet a culpa, ac illius ministri illusi *docerent posse seipsos remittere peccata, et una fideles jactarentur de voluptatibus suis*: « Sed Christi pietatem (docet s. Cyprianus in praefatis litteris, et cum eo Ecclesia Catholica) sed Christi pietatem, et clementiam cogitantes, non acerbi adeo, nec duri, nec in fovendis fratribus inhumani esse debemus; sed dolere cum dolentibus, et flere cum flentibus: ac eos quantum possumus, auxilio et solatio nostrae dilectionis erigere; nec ideo immites et pertinaces ad eorum poenitentiam retundendam; nec iterum soluti et faciles ad communicationem temere laxandam etc. » Quapropter hic iterum iterumque dico: Cornelius Papa, et cum eo Cyprianus, et non Callistus, (quamquam iste hoc idem sentiret) in hac quaestione judex extitit, sapienterque Christi doctrinam explanavit, tempori et circumstantiis se accommodans, nec peccatores prohibens a poenitentia, nec erga eos remisse agens, adeo ut voluptatibus suis sub veniae spe indulgerent.



## CAPUT XII.

*Diluuntur et refelluntur primo ex s. Epiphanio, quas Anonymus Callisto exprobravit secundas vel tertias nuptias in Clero admissas. Secundo, quod Papa cujusque conditionis viris permiserit mulieribus nubere. Tertio, adversus eumdem probatur nec Callistum nec post eum Pontifices unquam in Ecclesia Romana baptismi admisisse renovationem.*

In praemissis pro Callisto dimicavimus, ostendentes nec s. Pontificem errasse in Ecclesiam recipientem fideles a reatibus resipiscentes, ac praeterea, qui contrariam opinionem tenebant, nequaquam ad Callisti sed ad seriorem aetatem esse referendos. Nunc ut magis injuriosa et falsa patefiat Anonymi criminatio, conferantur, quae speciatim de novatianis ibidem disserit s. Epiphanius, ubi verbotenus fere ea ipsa notantur et refelluntur, quae de Callisto commentus est Auctor noster. Haec interim in Pontifice corripit Anonymus inquiens: « Vigente eo (Callisto) episcopi et presbyteri, et diaconi post duas tresve nuptias inter clericos locum obtinere coepere. Quin etiam siquis in clero existens uxorem duceret, in ordine manere eum jubebat, quasi flagitii nihil admisisset. »

Haec eadem juxta Epiphanium non Callisto, sed Cornelio Papae suisque successoribus exprobrarunt novatiani, laicos simul et clericos comprehendentes. Scribit s. Doctor n. 3: « Praeterea iidem illi longius ex illo dogmate prosilientes alia quaedam adjecerunt. Ajunt enim se eamdem nobiscum habere fidem; sed tamen cum bigamis communicare detrectant. Nam siquis post baptismum secundam uxorem duxerit, ab illis non amplius admittitur. » Et hoc asserebant ad Apostoli dicta recurrentes; ubi mandat ut unius uxoris vir ad episcopatum evehatur; quod idem vellent laicis praescribi. Et amplius increpabant catholicis, quod nonnullis in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi uxoribus cohabitarent, filiisque darent operam.

Adversus quae s. Epiphanius veniens, quoad primam

partem respondet n. 4. « Ita enim profecto sese res habet, ut post Christi in orbem terrarum adventum, eos omnes, qui post priores nuptias, mortua uxore, alteri se nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina rejiciat: propterea quod incredibilis est sacerdotii honor ac dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum omni praevisione custodit. Sed eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. »

Quoad vero secundam partem de presbyteris cum uxore viventibus respondet: « non illud ex auctoritate canonis fieri, sed propter hominum ignaviam; quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam scilicet populi multitudinem, cum ii, qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur. Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, utpote a Sancto Spiritu bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit; ut quae divino numini ministeria praestantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur . . . . Ceterum in populo, propter ejus infirmitatem, tolerari istud potest, ut qui, uxore prima contenti esse non possunt, ea mortua, secundam sibi copulent. »

Et in his sane Epiphanii dictis adversus novatianos eruitur, quo proprie vertunt Anonymi criminationes, et quomodo expositae sint et adauctae contra historiae veritatem, sive relate ad tempus, sive ad loca, sive ad personas et peculiares casus: quare ipse penitus illusus est, talia redarguens in Callisti schola. Nullibi enim legitur nec sub eo Pontifice nec sub Cornelio, nec deinceps incepisse viros etsi bigamos vel trigamos episcopatus, presbyteratus, vel diaconatus ministerio fungi; sed aliter patet Ecclesiae canones ex apostolica traditione firmiter huic rei restitisse, dumtaxat quibusdam exceptis casibus et locis: ubi, ut inquit s. Episcopus, presbyteri, diaconi et hypodiaconi, quamvis uxoribus cohabitantes, quas antea duxerant, ministerio sacro dabant ope-

ram, exclusis tamen ubique episcopis. Et quis unquam audivit vel legit in Historia ecclesiastica, virum, ut praesumit Anonymus, post duas vel tres nuptias ad episcopatus gradum adscendisse, permittente Callisto Papa? et hunc morem perseverasse in Ecclesia? Quando praesertim ea aetate disciplina severior extiterat; quando et ipsi episcopi, et presbyteri prohibebantur laicorum bigamorum nuptiis interesse, ne sententia sua illis suffragari crederentur? Vehementer enim tunc et modo illos et nos Apostoli mandatum urgebat et urget: *oportet episcopum unius uxoris esse*, qua scilicet mortua, si velit ac dignus sit, ad sacrum evehatur ministerium.

Quapropter idem s. Ambrosius in epistola ad vercellenses inquit: « Ergo qui sine crimine est, unius uxoris vir, tenetur ad legem suscipiendi sacerdotii. Qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed praerogativa exuitur sacerdotis. Diximus quid legis est; dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo et presbytero statuisse; sed etiam Patres in Concilii nicaeni tractatu addidisse, neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit etc. » S. Hieronymus contra Vigilantium et Jovinianum ob oculos habens incessantem Ecclesiae traditionem ex Apostoli mandato erga clericorum continentiam, eis objecit speciatim Sedis apostolicae disciplinam: « Quid facient, inquit, Orientis ecclesiae? quid Ægypti et Sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit etc. » Et sic refutavit Vigilantium, (n. 2.) qui diaconis et clericis uxoratis sacrum ministerium credebat. Et in Jovinianum Libro I. n. 34. subdit: « Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios facit. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. » Quod ultra sapienter decretum est in Concilio carthaginensi II. Canone II. « Placuit et condecet sacrosanctos antistites ac Dei sacerdotes nec non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod

Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. » Et hoc idem mandat Innocentius Papa I. ex apostolica traditione. Quam traditionem et ipsi ariani servarunt bigamos abjicientes ab ordinibus sacris: uti videre est apud s. Epiphanium in Haeresim 30. *De ebionaeis.*

Ceterum si, ut vult Anonymus, sub Callisto Papa ad episcopatum et ad ceteros sacros ordines eligerentur bigami et trigami, ac si in ista consuetudine profecisset Ecclesia Romana, quomodo starent perpetua traditio et custodia apostolici mandati, ita ut inde ss. Ambrosius et Hieronymus et concilia hoc idem inculcarent adversus haereticos. Et si, ineunte seculo tertio, hujusmodi disciplina ex Callisti indulgentia et institutione remissa fuisset, adeo ut episcopi et presbyteri consecrarentur post binas vel trinas nuptias, quomodo staret Sedis apostolicae regula, secundum quam perpetuo incesserunt Ecclesiae Romanae Antistites. Falsum ergo est, quippe omni fundamento expers, quod Anonymus praesumit de disciplinae ecclesiasticae relaxatione sub Callisti pontificatu quoad ministrorum sacrorum coelibatum, maxime in episcoporum electione.

II. Praeterea Anonymus postquam Pontificis corripuit indulgentiam pro clericorum nuptiis, presbyterorum et episcoporum, audet quoque in eumdem irrumpens quod conjugium inter fideles ulla absque conditionis vel gradus consideratione permiserit: « Quin etiam, ait, feminis concessit, siquae innuptae erant, et flore juvenis ardescebant ipsarum loco indigni et dignitate, quam pessumdare nollent, idcirco, inquam, concessit licitum esse ut nuberent uni illi, quem maritum optaverint, seu ὀικέτης servus esset, sive liber, et eumdem pro marito habere, cui illegitime nupserint. Exinde coeperunt mulieres fideles nuncupatae uti medicamentis partum impedientibus, et fasciis ut conceptum foetum ejicerent: quum nollent vel ex servo, vel ex humilis loci viro ob suos propinquos et immensas fortunas genitum fructum parturire. Videtis in quantam impietatem vir iste nequam processerit, moechiam una cum caede edocens. »

In his dictis (quamvis sensus minus clare pateat, uti in notis indicarunt editores) Anonymus putavit Callisti im-

pietatem corripere, quod moechiam et caedem docuerit, moechiam scilicet, ex quo ipse in vocabulo *ἄνανδροι sine viro* comprehenderit cum virgines tum viduas, quae novas ineuntes nuptias, inter adulteras a Novatiano amandabantur. Ceterum qua ratione hujusmodi crimina inscripserit Anonymus Callisto, non video. Ab initio enim inquit Pontificem, conditione animadversa mulierum innuptarum, floreque juventutis excandescentium, iis permisisse νομίμως legitimis nuptiis se obstringere cuicumque ex propria electione vellent viro, sive libero, sive servo. Ideoque si Callistus ἐπέτρεψεν permisit feminis innuptis conjugium; et si ex hoc connubio fortasse subsecuta sint sive adulteria, vel infanticidia, nunquid consequitur Callistum talia probasse crimina? Et quis ita putet? Tunc enim non solum Apostolus, sed et ipse Jesus in eadem esset causa, qui in Ecclesia admisit nuptias, quamvis ex his adulteria et infanticidia subitura sciret.

Si Callistus permisit mulieribus ei nubere quemcumque optavissent, excluditur necessitas conjugii ex mulieris parte: et hinc ex suo jure desponsata et sub potestate viri facta, si peccaret, reatus non Callisto permittenti, sed uxori imputabatur, quae legitimis nuptiis sponte adstricta, deinde, mutato consilio, talia patravit. Et quantaevis causae ad has improbitates incitarint uxores, nullae referri possent supra Callistum, excepto prudenti consilio, quo usus est Apostolus: *melius est nubere quam uri.* Itemque, si post nuptias initas, displicuit mulieribus ob propinquos et immensas divitias nupsisse viris servis vel infimae classis, non Callistus corripiendus esset, sed ipsaemet Pontificis venia abusae. Non enim est praesumendum Callistum hujusmodi matrimonia concessisse in Ecclesia, probe conscium uxores fuisse debita conjugalia pessumdaturas aut adulterio, vel infanticidio. De reliquo ostendatur mihi, quid sibi velit Anonymus asserens, Callistum permisisse feminis legitimas inire nuptias cum uno, quemcumque selegissent conjugem sive liberum aut servum, et hunc reputari pro marito illegitimo.

Nihilominus satis conscii cum simus, Anonymum indumento Novatiani obvolutum, venenatas sagittas suas jacere in Episcopatum Romanum aut in Ecclesiam Catholicam, un-

aliique occasiones carpentem, ut ejusdem statuta quasi prava contemnat, haud mirum est si eorum statutorum sensum perverterit, aliter interpretatus, vel alia ex suo studio adjiciens praeter realem Ecclesiae institutionis scopum. Quamobrem ut hujus criminationis terminus planius comprehendatur, conferatur s. Epiphanius in Haeresim 61. sub titulo *Apostolicorum*, quos consortes facit *catharis* sive novatianis: nisi quod isti secundas reprobent nuptias, alii omnimode abhorreant conjugium.

Ac interim s. Doctor in his refutandis n. 3. inquit Ecclesiam Dei honestas admittere nuptias ac veneratione prosequi: *honestae enim sunt nuptiae et torus immaculatus*. Deinde in n. 5. Apostoli mentem ex Epistola I. ad Corinthios tam de virginitate quam de conjugio explicans, potissimum hujus dicta c. VII. 36. exponit: *Siquis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta et ita oportet fieri: quod vult faciat; non peccat si nubat.* In quibus verbis et in sequentibus concluditur, quod Anonymus Callisto exprobrat de feminis innuptis; quae aetatem conjugio maturam praetergressae, naturalibus libidinis stimulis excitabantur.: « Unde et Apostolus, scribit Epiphanius, cum ex accurata illa ratione detrimenti plurimum afferri videret, iis dictis indulsit: *quod siquis virginem suam velit*, non dixit *virginitatem suam*. Neque enim de proprio corpore, sed de patre virginitatis custode loquebatur. Sed si *virginem suam* proprium corpus appellare dixerimus, nihil admodum nobis obstare potest. Pergit porro: *stat firmiter in animo suo, et hoc debet facere; nubat*, inquit, *non peccat*. Nubat ei, quemcumque nacta fuerit: non peccat. Atque idcirco: *alligatus es uxori; noli quaerere solutionem*: *solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem*. Atque ille, qui dixit: *Volo omnes esse sicut meipsum*, illud una dixit: *si non continent, nubant.* » Ac paulo post de eadem re subdit n. 7: « Ergo illa Apostoli verba de viduis adolescentioribus ex Epistola I. ad Timotheum c. V. *nubant*, *filios procreent*, *familiae curam habeant*, brevis est ac medius adversus illos sermo, qui de omni ecclesiasticae doctrinae genere perperam apud se cogitant. Quae quidem doctrina eos omnes respuit,

qui se apostolicos et encratitas nominant, nec non et illos, qui in Ecclesia molliores quodammodo sunt; quique mulieribus persuadent, ut de perfecti cursus contentione remittentes, eam ipsam funditus abjiciant. »

Comparatis ergo quae ait Apostolus de virginibus superadultis, et quae discutit s. Epiphanius adversus *catharorum* et *apostolicorum* sectas, quarum argumenta confutat, recta se habent, quae ex Callisti nomine dicit Anonymus: idest Pontificem concessisse mulieribus innuptis aetate florentibus cujusque conditionis viro nubere, cui vellent. Hoc autem factum est, ut amoveretur ab Ecclesia ea personarum acceptio inter gentes tunc praepollens circa diversos societatis humanae gradus in ordine conjugii: ac una tollerentur offendicula in re tam gravi. In ceteris vero, quae dicit de pharmacis foetum impedientibus aliisve mulierum excessibus in connubio, etiamsi haec fieri potuissent; attamen negari non potest, ista, ut mos est Anonymi, ab eo valde valde fuisse adaucta; sicuti tantumdem patet ea nihil officere rectitudini hujus disciplinae: quam, s. Epiphanius citatus concludit, praedicare consuevit Ecclesia, ac nequaquam, veluti praesumit Anonymus, ab initio Pontificatus Callisti, sed antea ab ipsius Ecclesiae fundatione.

Demum s. Epiphanii historia de Novatiano comparata Anonymi dictis; inspectis scilicet hinc inde, quae de secundis nuptiis, ac maxime cum docet, nullam dari indulgentiam fidelibus, qui post baptismum laberentur, quovis reatuum genere capti; ac insuper consideratis, quae Anonymus ait de Ecclesiae Catholicae titulo a Callisti schola assumpto usque ad suam aetatem perseverante; non est amplius dubitandum, quin in hac quaestione luculenter repraesentetur Novati haeresis. Ante enim hujus tempora, ubi cum haeresi schisma conflatum est, et a donatistis deinde firmatum, nulla haereticorum secta, Ecclesiae annalibus circumspectis, sive ante vel post Callisti aetatem ad Novatum usque, comperta est, quae talia absolute doceret, nullam erga eum, qui post baptismum deliquisset, misericordiam adhibendam esse. Ideoque quos Anonymus expressit sensus adversus Ecclesiae Catholicae doctrinam, nemo scribere potuit, nisi qui Novatiani

aetati successerit, istius pravi dogmatis consors ac defensor factus. Proinde sequitur frustra laborasse Auctorem, Callistum Papam nuncupantem, qui huic haeresi restitit. Non enim Callistus, sed serius Cornelius Papa ( qui idem sentiebat cum Callisto ) Fabium episcopum antiochenum, teste Eusebio in *Hist. Eccles.* Libro VI. c. XXXV. certiorem fecit de haeresi Novati: qui primus hanc intolerandam opposuit Ecclesiae novitatem; et quomodo in Concilio Romano damnatus fuerit. Non Callistus, inquam, nec quisquam alius ante Novatum hujus erroris auctor et dux fuit, asserens, *non amplius illis (quamvis omnia, quae viderentur ad veram poenitentiam, ad conversionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omnino peragerent ) spem ullam salutis omnino reliquam fieri.* Adversus quae in Synodo definitum fuit: *Fratres, qui casu infelici prolapsi fuissent, poenitentiae medicamentis curari, et ad sanitatem restitui.*

III. Postquam Anonymus de poenitentia et de nuptiis Callisti statuta corripuit, vagus in sua fide, et a Novatiani schola separatus, transire videtur ad doctrinam catholicam, eumdem Papam arguens, quod baptismi innovationem primus introduxerit in Ecclesiam: « ἐπὶ τούτου πρῶτος τετόλμηται δεύτερον αὐτοῖς βάπτισμα i. e. *Eo* ( Pontifice ) *primum, ausum est secundo baptismo eos intingere*: qui scilicet ad suam scholam confugerent. » In hoc autem criminationis genere duplex patet Anonymi illusio. Primo loco illuditur, putans a Callisti aetate introductum fuisse morem rebaptizandi. Non enim tunc, sed antea in quibusdam ecclesiis consuetudo extra veram scientiam invaluit rebaptizandi eos, qui ab haereticis prius intincti fuerant, ac deinde in Catholicam Ecclesiam confugissent. In Africa testatur s. Cyprianus et in Cappadocia Firmilianus ab antiquis temporibus hanc invaluisse consuetudinem. Quapropter errat Anonymus a Callisto hanc repetens institutionem. Quinimmo quaestiones post hujus obitum, mediante seculo III. in Africae et Orientis regionibus excitae circa hujus sacramenti innovationem super illos, qui ad haereticis baptizati erant, ad hunc terminum revocatae sunt, idest ad disciplinam Ecclesiae Romanae ab Apostolis Petro et Paulo statutam, ac in ea perpetuo servatam in-

tegerrimam. Cujus tenor extitit, christianos legitime baptizatos ab haereticis, et ad Catholicam Ecclesiam transeuntes, non novo baptismate, sed aliis adhibitis ritibus reconciliandos esse.

S. Cyprianus in epistola 74. ad Pompejum, Stephani Papae decretum contra seipsum citat de haereticis non rebaptizandis: « Stephanus ait, siquis a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam; cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. »

Ejusmodi Stephani verba Cyprianus tunc illusus refutans, conatusque falsam suam assertionem de baptismo iterando roborare argumentis, illud primum videretur iste debuisse Pontifici objicere statutum antecessoris sui Callisti de secundo baptismate, quod ob aetatem ac relationem ejusdem gestis proximam, minime putandum est ipsum ignorasse. Attamen inter plura ipsius Cypriani argumenta adversus Stephanum, prorsus omittitur Callisti decretum de baptismi innovatione. Et amplius, etsi s. Cyprianus redarguat Stephanum Papam ob consuetudinem Ecclesiae Romanae in servanda doctrina de non rebaptizandis, qui ab haereticis baptizati erant; tamen non contradicit, sed accipit; aliter vero ipsius vim debilitare conatur. « Nec consuetudo, inquit Cyprianus, quam apud quosdam obrepserat, impedire debet quominus veritas praevaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. » Item Firmilianus in epistola 75. ad s. Cyprianum admittit Ecclesiae Romanae traditionem de non rebaptizandis haereticis. Et quid est hoc, nisi aperta Anonymi commentitii testimonii confutatio, cum is affirmat, quod Cyprianus et Firmilianus etiam in causa sua negant?





## CAPUT XIII.

*Anonymi exploduntur criminationes adversus privatam Callisti vitam antequam Pontificatu fungeretur, aliisque animadversis circumstantiis ab Auctore notatis, historiae genuinae contrariis ac secum ipsis pugnantibus.*

Anonymus, quemadmodum praemisimus n. I. ait : « sibi optimum videri vitam Callisti coaevi exponere ; ut ejus vivendi genere cognito, mentis sanae hominibus jamjam appareat, quam molitus sit haeresim. Praefecto Romae Fusciano, fidem confessus est. Istud autem fuit martyrii genus etc. » In qua expositione, uti in praefatis videre est, objicitur Callistus vir servus, trapezita, fraudulentus, simulator, ambitiosus, versutissimus ad mendacium, ob aes alienum molae damnatus, ob seditionem verberibus publice caesus , ad Sardiniae metalla translatus, fidelibus invisus, Victori Papae minime acceptus, fide infirmus , haereticus. Qui tametsi his obnoxius insimulationibus ad Pontificatus apicem extollitur.

Et quis hoc credat, haud ignarus, quae Apostolus mandat in episcopi electione ? Et quis nescit quanto studio Apostoli mandatum custoditum sit praesertim in Ecclesia primaeva, ne sacrum vituperaretur ministerium, sicuti testantur antiqui Canones. Et magnopere hoc postulabatur in eligendo Antistite Romano , omnium principe et magistro ecclesiarum , adeo ut vita , moribus , fide et doctrina coram fidelibus et infidelibus fieret undique sanctitatis exemplar. Tertullianus, et quidem ea ipsa aetate, in c. XXXIX. *Apologetici*: « praesident, inquit, apud nos probati quique seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti. » De Fabiano Papa scribit Eusebius in Libro VI. c. XXII. « Cum omnes fratres causa deligendi ejus, qui episcopatum gereret, in ecclesia convenissent , et multi de multis illustribus et praeclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, quanquam Fabianus, qui tum forte praesto erat, nemini in mentem venerat, de repente tamen columbam . . . . . ejus capiti insedisse memorant. Ex ipsius Historici Libro VI.

c. XXXV. Cornelius Papa ad Fabium antiochenum, a prima aetate, ait, in Ecclesia versatum esse oportet, pluraque certamina sustinuisse, ac multis se objecisse periculis, qui evehitur ad episcopatum. Ac ideo s. Cyprianus epistola X. factum esse dicit Cornelium episcopum de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio. » Cum ergo tale sit Apostoli mandatum, et hujusmodi ecclesiastica praxis, ab ipsis imperatoribus commendata, in praesulum christianorum electione, et quidem ea ipsa aetate, qua s. Callistus ad pontificatum evectus est; quis Anonymo assentietur talia asseveranti de hoc s. Pontifice indigna et indecora, et tam nomini christiano contumeliosa?

Similiter ibidem dicit Anonymus Marciam Commodi pellicem, cum *philothea* idest pia esset, ab eodem impetrasse gratiam pro christianis in insula Sardiniae damnatis; ac ideo apud se accersivisse Victorem Papam, ut sciret quot essent in ea insula christiani. Attamen, teste Eusebio et cum eo aliis historicis sacris et profanis, ab initio imperii Commodi hanc libertatem obtinuisse comperitur christianos; cum esset tamen Pontifex Eleutherius, non Victor. Praefatus Eusebius in Libro V. c. XX. scribit: « Hoc eodem tempore, Commodo imperium romanum gubernante, nostra religio ad pacatum et tranquillum statum traducta fuit, et pax (divina largiente gratia) omnes ecclesias in toto orbe occupavit etc. » Ceterum Victor, quem Marcia pro christianis agens ad se vocat juxta Anonymi dicta, pontificatum iniit (teste Baronio cum aliis) septem fere menses antequam interficeretur Commodus; et quidem cum ipsa Marcia et Commodus mutuam sibi caedem intentarint; et odium grave in christianos concepisset Imperator, eo quod ab ipsis despiceretur in Herculis titulo sibi assumpto, minatus ideo eis mortem, nisi seipsum ut deum colerent. Non est ergo putandum, Commodum Marciae gratificari, seque erga christianos benignum gessisse, cum valde illam odisset, vehementique odio prosequeretur Christi fideles. Quibus positis, illuditur Anonymus cum in persona Victoris, quem loco Eleutherii introduxit, tum in

chronologia imperii Commodi circa istius gesta erga christianos.

Item inquit Anonymus, Carpophorum Callisto *utpote christiano* summam pecuniae haud parvam credidisse. Attamen paulo post coram Fusciano urbis praefecto obtestatur Carpophorus, Callistum non esse christianum. Insuper ait Anonymus, Carpophorum, cum a servo Callisto exigeret pecuniam ei commissam, nec haberet unde redderet, ad molam damnasse; ac tandem fratrum precibus victum Carpophorum jussisse, ut a poena exsolveretur Callistus, e carcere abductus. Si solutus fuit e pistrino Callistus; cur statim, inquit Anonymus, non potuisse Callistum fugere, eo quod sub custodia foret? Et amplius, si Callistus a Carpophoro manumissus, synagogam judaeorum adire potuit, eamque turbare; potuisset quoque si voluisset fugam arripere, longius ab urbe discedere, et se subtrahere a domini sui vexationibus. Praeterea, si Carpophorus, *utpote benignus,* precibus Callisti victus, jussit eum dimitti; cur postea tam dure coram tribunali adversus servum suum clamat, ut poena multetur, et obtestatur, eum non esse christianum? Itemque, si christianus non erat Callistus, teste Carpophoro domino suo, cur Victor Papa Callisti nomen in christianorum numero siluit, non quod putaret eum non esse christianum, sed quod ipsius novisset facinora? Et cur Victor tam sollicite se gessit circa virum ethnicum et pravum? Et quomodo deinde Zephyrinus virum paganum sibi sociat in Ecclesiae regimine, donec Petri Cathedram post ejus obitum ascenderit in profanationem illius nominis, qui Petro dixit: *pasce oves meas?*

Insuper singulare sane reputatur, nec ideo transigendum, quod narrat Anonymus c. II. n. 2. de hujus callistianae sectae Romae ortu et propagatione: cui omnes in urbe (*exceptis nobis* de se ait) adhaerebant. Et ob hoc is solus testatur se impavide pugnantem hanc refutasse haeresim. Ipse solus Anonymus in medio urbis veram fidem confessus est; cum ceteri Zephyrinus Papa et clerus, cunctique fideles Callisti haeresi inficierentur. Unus ab initio seculi III. Romae orthodoxus, et reliqui haeretici. Unus pugnavit contra omnes. Ideoque ex illa ingenti Romae christianorum multitudi-

ne, de qua loquitur Tertullianus, unus tantummodo Anonymus noster a Theodoti, Noeti et Sabellii haeresi immunis evasit. Tamen paulo post subdit, auditores placitis suis allectos plurimos ad ejus scholam turmatim confluere. Similiter postquam talia inclamavit ille de hujus haereseos progressu et latitudine, concludit: « *Ob tales ausus, semetipsos Catholicam Ecclesiam nuncupare aggrediuntur (callistiani), et nonnulli existimantes eos bene facere, illos subsequuntur*. Et ut summatim dicam: prius ait Anonymus *omnes* in urbe christianos, eo solo excepto, haeresi callistiana infectos esse. Secundo dicit non omnes sed *plurimos* ad callistianam sectam convenire. Tertio demum concludit non plurimos sed *nonnullos* illam haeresim sectari. Hinc inferas, quae inferenda sunt.

Profecto, Callisti historia ita ab Anonymo contexta, iis merito videretur aequiparanda fabellis, quae italice *romanzi* dicuntur. Si tamen Auctor cujusque personarum, quae in medio introducuntur, characteres aeque repraesentasset, circumstantias apte composuisset, verisimilia enarrasset, nec incidisset in contradictionem.



## CAPUT XIV.

*Exposita helcesaitarum haeresi secundum Anonymum, quaeritur, utrum et quomodo et qua aetate Alcibiades Romae hujus haereseos instaurator, prava Callisti doctrina usus sit.*

Anonymus, veluti in praemissis notatum est, asserit post Callisti Papae mortem adhuc perstare scholam mores magistri servantem et traditionem; cujus testes et discipulos vocat helcesaitas; de quibus in c. III. n. 13. scribit: « Hujus (Callisti) doctrina, quum per universum orbem sparsa esset, rem actam inspiciens vir vaferrimus et impudentia affluens, nomine Alcibiades, Apameae in urbe Syriae habitans, quum Callisto ipso subtiliorem se, et ad verborum praestigias aptiorem existimaret, Romam devenit, quemdam librum afferens. Dicebat autem eum a Seribus de parthica regione allatum a sapiente viro Helchasai nomine, eumdemque Sobiae cuidam transmissum ab angelo revelatum fuisse. »

Et hic, inserta fabulosa narratione de hoc angelo, uti videre est etiam apud s. Epiphanium, sequitur: « Affirmabat enim Helchasai hominibus novam peccatorum remissionem revelasse, tertium annum Trajano imperante, et baptismum praescripsisse, de quo ipso mox loquar. Dicebat igitur homines omni libidine et corruptione et improbitatibus inquinatos, si modo quis sit fidelis, conversos et, audito hoc libro, credentes per hunc baptismum remissionem accipere peccatorum. Haec ausus est patrare facinora, initium capiens a praefatis doctrinis, quas Callistus prius conflaverat. Allectos enim tali Evangelio plurimos cum animadverteret, speravit se feliciter conatus effecturum. Nos autem (ait Anonymus) adversus istum restitimus; nec amplius multos errare sivimus: eosque certiores fecimus, illud spurii daemonis opus esse, et tumentis cordis superbia inventum; hominemque istum more lupi irruisse in vagantes oves, quas Callistus aberrans disperserat. »

Ac pluribus interjectis de necessitate circumcisionis Legisque mosaicae observantia, adversus Christi divinitatem, et

de ceteris absurdis et superstitionibus quibus, haec haeresis scatebat, describit quomodo Alcibiades discipulis suis formulam baptismi praeberet; invocato scilicet ab eis septem angelorum nomine: *Hos septem testes invoco*, ajebat initiatus, *quod deinceps non sim peccaturus, nec moechaturus, nec furaturus, nec injuriam illaturus, nec nimia appetiturus, nec odio quemquam prosecuturus, nec foedera perfide fracturus, nec in ullo malo mihi sim placiturus.* Hac exacta obtestatione et Dei invocatione septem angelorum, baptizabatur denuo in nomine magni et summi Dei. » Et haec ait Anonymus.

Qua porro audacia iste asserat, Callistum fundamenta Romae jecisse impiae et vanissimae Alcibiadis scholae, nemo est qui non miretur et obstupescat. Et stupor augescit, quum nobis adversus hanc criminationem adstet omnium historicorum silentium; et amplius Ecclesiae Romanae disciplina integra servata, ita ut hujusmodi scandalum in coetu fidelium excitatum esse per Alcibiadis haeresim, Callisto Papa suffragante, ne suspicari quidem liceat. Nemo reapse hucusque ex historicis narrat Alcibiadem helcesaitarum haereseos instauratorem Romam advenisse *praestigia sua saturum, in vagantes irrumpentem Callisti oves*: cui Anonymus se restitisse dicit, sicuti antea Zephyrino et Callisto restiterat.

Eusebius solus in *Histor. Ecclesias.* Libro VI. c. XXXI. scribit: « Et alius error tunc temporis exorsus est sub nomine *haeresis helcesaitarum*: quae quidem simul nata extincta est. Memorat autem eam Origenes in Homilia, quam habuit ad populum *in Psalmum* 82. his verbis. Quidam, ait, hac aetate surrexit, de se magnifice sentiens, utpote qui impiam et nefariam helcesaitarum, quae adversus Ecclesiam recens coorta est, possit defendere. Exponam autem vobis quae et quanta perperam asserat haec secta, ne forte vos ab illa abripi sinatis. Ex universo sacro Scripturae Canone quaedam rejicit: quibusdam vero utitur testimoniis tum ex vetere Instrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apostolum repudiat, dicit praeterea rem esse indifferentem Christum abnegare: et eum, qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia. Librum autem proferunt, quem de coelo delapsum affirmant;

eosque, qui auscultaverint et crediderint, peccatorum veniam consecuturos, et quidem diversam ab illa peccatorum remissione, quam Jesus Christus impertivit. Sed de his hactenus. »

Circa hanc haeresim prius notandum est tempus, quo hanc instauravit Alcibiades. Eusebius, qui rerum historiam descripsit juxta aetatis seriem, qua acciderunt, in Libro citato inquit illam invaluisse eodem tempore, idest Philippi Caesaris: qui imperium tenuit circa dimidium seculi III. Hac ergo ipsa aetate vixisse videretur Auctor *Philosophumenon*, cum ait se adversus illum restitisse, multos avertens ab ipsius erroribus, sicuti praesumptae haeresi callistianae obstitisse narrat. Eusebius porro cum ait tunc in Asia quemdam helcesaitarum haeresim innovare studuisse, et paulo post extinctam fuisse, una indicat, nec plures habuisse asseclas, nec late diffusam. Cujus auctoritati facile contra Anonymi narrationem assentior. Plura namque stant argumenta ab ejusdem sectae institutis petita, ipsius propagationi contraria praesertim Romae; observantia nempe Legis mosaicae et hinc ritus circumcisionis, ac astrologiae et magiae studium.

Nemo sane ignorat, quali restrictione Romae tunc licuit usus circumcisionis, sicuti tantumdem cohibiti sunt mathematici et astrologi. Antoninus Pius, teste Modestino in Libro VI. *Regularum ad Legem Corneliam de sicariis*, circumcisionem tantum apud hebraeos permisisse legitur. Ac tantumdem ex Julio Paulo in Libro V. Tit. *De seditiosis*, legimus morte mulctari aliisque poenis, qui ex judaeis civem romanum circumcidisset, aut servum illius. Non enim amplius religionis sed seditionis tessera tunc apud romanos putabatur circumcisionis ritus. Item asserendum est de mathematicis, de astrologis, de magis, quorum artificiis devovebantur Romae discipuli Alcibiadis, inquit Anonymus; cum tamen prisca romanorum perstiterint decreta adversus eosdem, Severo imperatore, instaurata. Quamobrem convenire nolim cum Anonymo, dum asserit plures asseclas sibi Romae comparasse Alcibiadem sive de gentilibus, sive de christianis: eoque magis, veluti praemisi, quod nemo ex historicis, excepto Anonymo, hanc sectam memorarit in urbe invaluisse.

Interim, quod de Alcibiade dixi Romam profecto, praestigia sua serendi causa, quam tamen circumstantiam ex historicis nemo indicavit, repetendum videtur de Epigono noetiano et de Sabellio, quos item huc Anonymus traduxit, impias doctrinas profusuros, Zephyrino et Callisto Ecclesiam regentibus; cum nihilominus nec Theodoretus de his tribus locutus viris, siculi nec Tertullianus, nec Eusebius neque s. Epiphanius in urbem horum meminerint adventus.

Post hoc non est silentio praetereundum quod in Libro X. c. XX. dicit Anonymus de eisdem helcesaitis: ubi breviter innovantur in Libro IX. notata; et ubi Critici, quadam intenta concordia cum Theodoreti enarratione de his haereticis, arbitrati sunt Episcopum ab Anonymo, non vero Anonymum ab altero sua mutuatum esse dicta, sicuti ex praecedentibus apparet. Haec interim graece scribit Anonymus. Ετεροι δὲ τίνες ὡς καινόν τι παρεισάγοντες, ἐκ πασῶν αἱρέσεων ἐρανισάμενοι, ξένην βίβλον σκευάσαντες Ηλχασαΐ τίνος ἐπονομαζομένην· οὗτοι τὰς μὲν ἀρχὰς τοῦ παντὸς ὁμοίως ὁμολογοῦσιν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γεγονέναι, Χριστὸν δὲ ἕνα οὐχ ὁμολογοῦσιν, ἀλλ' εἶναι τὸν μὲν ἄνω ἕνα, αὐτὸν δὲ μεταγγιζόμενον ἐν σώμασι [πολλοῖς] πολλάκις, καὶ νῦν δὲ ἐν τῷ Ιησοῦ, ὁμοίως [π]οτέ μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγενῆσθαι, ποτὲ δὲ Πνεῦμα γεγονέναι, ποτὲ δὲ ἐκ Παρθένου, ποτὲ δὲ οὔ. Καί τοῦτον δὲ μετέπειτα ἀεὶ ἐν σώμασι μεταγγίζεσθαι καὶ ἐν πολλοῖς κατὰ καιροὺς δείκνυσθαι. Χρῶνται δὲ ἐπα[οι]δαῖς καὶ βαπτίσμασιν ἐπὶ τῇ τῶν στοιχείων ὁμολογίᾳ. Σεσόβηνται δὲ περὶ ἀστρολογίαν καὶ μαθηματικὴν, καὶ μαγικοῖς [προσέχουσι]· προγνωστικοὺς δὲ ἑαυτοὺς λέγουσιν. i. e.

Nonnulli alii, velut novum aliquid introducentes, ex omnibus haeresibus placitis eorum collectis, parato libro peregrino, qui nomen Helcesai cujusdam praeferebat, confitentur similiter principia universi a Deo orta esse. Christum autem unum esse negant; sed esse unum in superiori; ipsum autem transivisse saepius in corpora multa, nunc autem in Jesum; similiter quandoque ex Deo natum esse; aliquando vero Spiritum factum esse; alias autem ex Virgine, alias vero non. Et ipsum deinde (fatentur) semper in corpora transmigrare: et in multis secundum tempora se

ostendere. Utuntur autem incantationibus et baptismis super confessione elementorum. Turbide occupantur circa astrologiam et mathematicam; ac magicis se addicunt: seque prognosticos nuncupant. » Et haec scribit Anonymus.

Theodoretus porro in Libro II. c. VII. *Haereticarum fabularum* de helcesaeis haec habet. *Οἱ δὲ Ἐλκεσαῖοι, ἐκ τίνος Ἐλκεσάι τῆς αἱρέσεως ἄρξαντος τὴν προσηγορίαν λαβόντες, ἐκ διαφόρων αἱρέσεων μύθους ἐρανισάμενοι, τὴν οἰκείαν συντεθείκασι πλάνην. Καὶ περὶ τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν συμφωνοῦσιν ἡμῖν. Ἕνα γὰρ ἀγέννητον λέγουσι, καὶ τοῦτον τῶν ἁπάντων καλοῦσι δημιουργόν. Χριστὸν δὲ οὐχ ἕνα λέγουσιν, ἀλλὰ τὸν μὲν ἄνω, τὸν δὲ κάτω. καὶ τοῦτον πάλαι πολλοῖς ἐνῳκηκέναι, ὕστερον δὲ κατεληλυθέναι. Τὸν δὲ Ἰησοῦν, ποτὲ μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι φησί, ποτὲ δὲ πνεῦμα καλεῖ, ποτὲ δὲ παρθένον ἐσχηκέναι μητέρα. Ἐν ἄλλοις δὲ συγγράμμασιν οὐδὲ τοῦτο· καὶ τοῦτον δὲ πάλιν μετενσωματοῦσθαι, καὶ εἰς ἄλλα ἰέναι σώματα λέγει, καὶ καθ' ἕκαστον καιρὸν διαφόρως δείκνυσθαι. Ἐπῳδαῖς δὲ καὶ δαιμόνων ἐπικλήσεσι καὶ οὗτοι κέχρηνται, καὶ βαπτίσμασιν ἐπὶ τῇ τῶν στοιχείων ὁμολογίᾳ. Ἀστρολογίαν δὲ καὶ μαγικὴν καὶ μαθηματικὴν ἠσπάζοντο πλάνην, καὶ προγνωστικοὺς ἑαυτοὺς προσηγόρευον.* i. e.

Helcesaitae vero ab Helcesai quodam, qui haeresim incepit, nomen sortiti, ex diversis haeresibus fabulas mutuati, errorem suum concinnarunt. Ac de universorum quidem principio nobiscum sentiunt. Unum enim ingenitum dicunt, et hunc omnium rerum creatorem vocant. Christum vero non unum esse dicunt, sed alium supra et alium infra: et hunc olim in multis habitasse, postea vero descendisse. Jesum autem aliquando ex Deo esse dicit, alias Spiritum vocat, interdum Virginem illum habuisse matrem. In aliis vero scriptis ne hoc quidem. Et hunc rursus transmigrare et in alia ire corpora dicit; ac diversis modis unoquoque tempore ostendi. Carminibus et daemonum invocationibus et ipsi utebantur et baptismatibus in elementorum confessione. Astrologiam porro et magicum et mathematicum errorem amplectebantur: et prognosticos seipsos appellabant. » Et ita Theodoretus.

Etsi arcta ac perspicue analogia universim inspiciatur, sicuti noverunt Critici, inter Anonymum et Theodoretum, hinc tamen videtur, sedula exacta collatione inter utrumque, non iste, sed alter vitam degens post cyrensem Episcopum, istius transcripsisse sensus, ac plerumque hujus pravasse dicta: adeo ut nisi suppleret Theodoreti testimonium, mancus et incertus evaderet Anonymi sermo.

Reapse, Theodoretus ait Helcesaeum *ex variis haeresibus* suum concinnasse errorem. Anonymus vero inquit *ex omnibus haeresibus* hoc explevisse. Quod sane historiae haeresum contradicit: et ideo dicendum esset Theodoretum Anonymi emendasse erratum. Item subdit Anonymus, helcesaeos similiter fateri *universi principia a Deo facta esse*. Aliter vero Theodoretus inquit: *De universorum principio nobiscum sentiunt helcesaitae. Unum enim ingenitum dicunt, et hunc omnium rerum Creatorem vocant*. Quod indicat, helcesaeos orthodoxe sentire de universi Creatore. Et hoc perspicue indicat Episcopi scopus circa helcesaeorum doctrinam de mundi creatione, deque Deo Creatore. Anonymus vero, nonnullis demptis, syntaxim ac sensum falsavit, et Haeretico, quae non putavit, inscripsit. Theodoretus subdit: *Christum vero non unum esse dicunt helcesaei, sed alium supra et alium infra.* At Anonymus tantum scribit: *helcesaei Christum unum esse negant, sed esse unum in superiori*. Quae locutio, nisi antilogiam parit, manca tamen prorsus reputanda est. Deinde Episcopus addit: *Jesum aliquando ex Deo esse dicit; alias Spiritum vocat: interdum ait Virginem illum habuisse matrem; in aliis vero scriptis ne hoc quidem.* » Anonymus autem scribit, *Jesum aliquando ex Deo natum esse; quandoque vero non*. Alibi in Libro IX. c. III. n. 14. ait, helcesaeos docere, Christum natum, esse eodem modo, quo omnes homines: sed Pythagorae doctrina usus, illum affirmat, non nunc primum ex Virgine natum, sed prius et saepe genitum et natum apparuisse et transiisse de corpore in corpus etc. » Item in sequentibus: *carminibus et daemonum invocationibus utuntur* scripsit Theodoretus. Anonymus vero omisit verba *daemonum invocationibus*, quae non erant omittenda.

Et ut summatim dicam, cunctis consideratis utriusque

expositionibus, hunc articulum de helcesaeis ita tractavit Anonymus quoad dictionis ordinem et sensum, ut, nisi suppleret Theodoretus, cuncta latebris operirentur. Quapropter, accepta adversariorum opinione circa Theodoreti plagium, concludendum esset, hunc Anonymi dicta recensuisse, aliqua supplevisse, alia emendasse sive circa syntaxim, seu circa rerum essentiam. Quod si quis, et quidem jure, negaverit, tunc non Theodoretus diceretur plagiarius, sed Anonymus; qui, pro more suo, aliena furatus, sibi credidit, tum negligenter ea tractans, cum arbitrarie interpretatus: quemadmodum de peratis egisse praemisimus. Haec tamen lectoris judicio remittuntur.

Demum circa hujus haereseos historiam tria nostram postulant considerationem.

Primo notandum est, cum Anonymus in n. 13. dicat, se Alcibiadis dogmata non praeterire, addit se quoque in lucem prius proferre ejusdem vitam suamque in ea simulationem. Attamen hujus secundae partis obliviscitur: et quale Alcibiadis fuerit simulatum vivendi genus, transegit. Hoc et alibi de aliis haereticis promisit, ac postea, nescio quare, praeterivit.

Secundo, cum dicat Anonymus, Alcibiadis seu helcesaitarum sectam Romae propagatam, plurimis seductis, ac simul Eusebius testetur, hanc vix ortam periisse, videretur ipsa alteri aequiparanda callistianae haeresi: quam *per totum orbem* diffusam, et per annos quadraginta ad Alcibiadem usque superstitem notat Auctor noster, quamvis ex priscis scriptoribus nemo ullam istius gesserit mentionem.

Tertio, attendendum quoque est, ubi Anonymus de Alcibiade scribit n. 13. *Nos autem adversus istum restitimus, nec amplius errare multos sivimus* etc. Ad quae revocanda sunt dicta ejusdem circa Zephyrinum et Callistum, quos a se expugnatos ait in c. I. n. 7. ac insuper quae narrat in Libro VI. c. V. n. 40. de Marco haeretico, quem per se dicit aut per alios, eo ipso tunc vivente, fuisse refutatum, adeo ut amplius non posset illudere fidelibus. Tales porro circumstantiae ita descriptae manifeste indicant, Anonymum, jam ab anno 180. episcopum, refutasse Marcum; ac deinde initio seculi

III. contendisse adversus Zephyrinum et Callistum, ac demum circa an. 250. pariter restitisse Alcibiadi impia docenti. Quod sibi vult, ad septuaginta et amplius annos Anonymum episcopali munere functum esse; ac longaevam supra centum annos duxisse vitam. De reliquo, Anonymum cujusque aetatis, sicuti cujusque opinionis in philosophia, et cujusque fidei in religione fuisse virum, inferius magis patefiet.

## CAPUT XV.

***xpenduntur quae Anonymus novissime sensit et scripsit de judaicae gentis origine, religione et sectis.***

**ostquam Anonymus omnes putavit enumerasse haereses ısque contrivisse ac nihil silentio praetermisisse, nonnulla se ljicere de judaeis dicit: quorum bis meminit, in fine Libri K. c. IV. n. 18. et in Libro X. c. XXI. In primo loco speatim agit de illorum sectis; in altero vero de eorumdem rigine et genealogia disserit, de patriarcharum gestis, suma eorum in Deum pietate et super ceteras gentes ratione ıtiquitatis excellentia. Ac interim singulare in Anonymo est, ıod, cum omnes haeresum historici a judaeorum sectis inıperint, quas jure veluti fontes considerarunt errorum, qui Christi deinde Ecclesia invaluerunt, ex adverso ipse a ıristianorum sectis exordivit, ut in judaeis desineret. Sed oc ne mirum quidem est. Nam cum fere ubique Anonymus tiarit historiae veritatem; ita et ordinem ipsius invertere ıgitavit.**

**Ita porro de judaeis incipit Anonymus:** « Ιουδαίων μὲν ιχῆθεν ἓν ἦν ἔθνος· εἷς γὰρ ὁ τούτοις δοθεὶς παρὰ Θεοῦ δάσκαλος Μωσῆς καὶ εἷς ὁ διὰ τούτου νόμος· μία δὲ ἔρηος χώρα, καὶ ἓν ὄρος τὸ Σινᾶ· εἷς γὰρ ὁ τούτοις νομοθεήσας Θεός. Αὖθις δὲ διαβάντες τὸν Ιορδάνην ποταμὸν, καὶ ἣν δορύκτητον γῆν κληρονομήσαντες, διαφόρως τὸν τοῦ Θεοῦ ὄμον διέσπασαν, ἄλλος ἄλλως ἐπινοῶν τὰ εἰρημένα, καὶ οὕτως ιδασκάλους ἑαυτοῖς ἐπεγείραντες, δόξας αἱρέσεων ἐφευρόντες, ς μερισμὸν ἐχώρησαν, ὧν τὴν διαφορὰν ἐκθήσομαι· εἰ δὲ ιὶ εἰς πλεῖστα μέρη διεσπάσθησαν τῷ μακρῷ χρόνῳ, ἀλλὰ τὰ κεφαλαιωδέστερα αὐτῶν ἐκθήσομαι, δι' ὧν καὶ τὰ λοιπὰ φιλομαθεῖς εἴσονται εὐκόλως.

**« Judaeorum gens ab initio una erat. Unus enim datus est a Deo institutor Moyses, et per eum una lex, una quo- deserta regio, et mons unus Sina; unus enim eis legis- r Deus. Postea autem, trajecto flumine Jordane, et fer- acquisita terra in haereditatem accepta, diverse Legem**

Dei discerpserunt, alio aliter commentante quae dicta erant; et ita sibi institutores suscitantes, haeretica dogmata excogitantes, in varias abierunt partes, quarum exponam differentiam. Si autem et in plurimas partes longo tempore divisi sunt, tamen praecipua illorum discrimina exponam, quibus cetera facile intelligent, qui cupidi sunt discendi. »

Quivis porro etiamsi obiter hanc expositionem consideret, sive verborum syntaxim, sive historiam, vel circumstantias, tam stultam probabit locutionem, ut vix tyroni divinorum Librorum interpreti inscribenda sit. Inquit enim Anonymus judaicam gentem ab initio unam fuisse; sed, trajecto Jordane, Legem Dei in partes scidisse, variis excogitatis haeresibus. Et quid hoc dicendi genus? Si Anonymus dixisset, judaeos unam ab initio fuisse gentem, et post Jordanis transitum in varias gentes divisos, tunc recte se haberet oratio; aliter vitio laborat. Et quidem hoc vidit Danckerus, qui hanc anomaliam emendare studuit, vocabulo ἔθνος *gens* substituens ἔθος *mos* vel *consuetudo;* quasi dixisset Auctor: *ab initio una erat consuetudo judaeorum; sed deinde diversimode excogitantes in schisma processerunt.* Sed et hoc perperam praesumitur. Tantummodo staret illatio, si antea dictum fuisset: *judaeorum secta una ab initio fuit*, ut inde consequeretur, postea in diversas sectas fuisse divisam.

Secundo, aliquid insolens apparet in eo, quod ait Anonymus, judaeorum gentem unam a principio extitisse, quia unus datus fuit eis institutor, una Lex, unum desertum, unus mons Sina, et quia unus eorum legislator Deus. Quasi, nisi una fuisset hebraeorum natio, nec unus ideo magister datus esset eis Moyses, nec una Lex, nec unus mons, nec una deserta regio: quod cogitare stultum est. Nonne item vanum et ridiculum quod dicit de uno monte Sina et de uno deserto?

Tertio scribit Anonymus, judaeos, Jordane trajecto, in varias ivisse sectas, quas infra nuncupat, pharisaeorum, sadducaeorum et essenorum seorsim ab aliis minoris momenti. Sed nimis fracta hujusmodi locutio: saltem ubi dixit, trajecto Jordane, captaque terra Chanaan, addendum ei fuisset, post annos fere 1300. circa Machabaeorum aetatem has pro-

diisse inter eos sectas. Ceterum videtur Anonymus quae de judaeis summarie hic notat, non a Pentateucho sed ex istorum Cabbala eruisse.

His praemissis, transit Auctor trium sectarum singillatim scrutaturus specialia dogmata; ac ita de illis loquitur, quasi tunc vigerent, cum tamen scimus a secundo seculo post bellum judaicum sub Adriano, has fere disperiisse ob sectae pharisaicae praevalentiam, in quam ceterae transfusae sunt, et quae hucusque manet sub Talmudistarum titulo. Haec vero de illis sectis scribit Anonymus ex Flavii judaei Libro II. *De Bello judaico* c. VII. (quin tamen hunc citet historicum) universim collecta, quibusdam omissis, aliis mutatis juxta ipsius consuetudinem in veterum citandis libris. Ex. g. scribit Flavius: « *Πρὶν δὲ τῆς κοινῆς ἅψασθαι τροφῆς, ὅρκους αὐτοῖς ὄμνυσι φρικώδεις, πρῶτον μεν ἐυσεβήσειν τὸ Θεῖον, ἔπειτα τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια φυλάξειν, καὶ μήτε κατὰ γνώμην βλάψειν τινὰ,. μήτε ἐξ επιτάγματος· μισήσειν δὲ ἀεὶ τοὺς ἀδίκους, καὶ συναγωνιεῖσθαι τοῖς δικάιοις τὸ πιστὸν ἀεὶ παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσιν.* i. e. Priusquam vero quam incipiant communem habere cibum, magnis execrationibus adjurant se primum quidem colere Deum: deinceps quoque erga homines servare justitiam, neque propria sponte nocere cuipiam, neque ex praecepto obesse: quinimmo iniquos semper odisse; et laborare una semper justitiae sectatoribus fidem omnibus servare, maxime vero principibus. » Et haec notat de esseniis.

Anonymus vero n. 23. eadem ita narrat: « *Πρὶν δὲ αὐτοῖς συνεστιαθῇ, ὅρκοις φρικτοῖς ὁρκίζεται, πρῶτον μὲν ἐυσεβήσειν τὸ Θεῖον, ἔπειτα τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια φυλάξειν καὶ κατὰ μηδένα τρόπον ἀδικήσειν τινὰ, μηδένα δὲ μήτε ἀδικοῦντα μήτε ἐχθρὸν μισήσειν, προσέυχεσθαι δὲ ὑπὲρ αὐτῶν, συναγωνίζεσθαι τοῖς δικάιοις, τὸ πιστὸν πᾶσι παρέξειν, μάλιστα τοῖς κρατοῦσιν, μηδὲ ἀπειθήσειν.* i. e. Priusquam vero communem cibum attingat, horrendis juramentis se se adstringit: primum quidem, se pie culturum Deum, deinde jus servaturum cum hominibus; neque ullo modo laesurum quemquam, nec odio quemquam prosecuturum; nec injustum nec infensum virum: sed pro eis preces Deo oblaturum, et

justis adjutorem fore; fidem se semper omnibus servaturum, et maxime iis qui imperant, et eis obtemperaturum. »

Paulo post sequitur Flavius: « Τοὺς δὲ ἐπ' ἀξιοχρέοις ἁμαρτήμασιν ἁλόντας, ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος. ὁ δὲ ἐκκριθεὶς οἰκτίστῳ πολλάκις μόρῳ διαφθείρεται· τοῖς γὰρ ὅρκοις καὶ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδεμένος, οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαμβάνειν· ποηφαγῶν δὲ καὶ λιμῷ τὸ σῶμα τηκόμενος, διαφθείρεται. Διὸ δὴ πολλοὺς ἐλεήσαντες ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἀνέλαβον, ἱκανὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τὴν μέχρι θανάτου βάσανον ἡγούμενοι i. e. Deprehensos vero in peccatis a sua congregatione depellunt: et qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis ac ritibus obligatus, neque capere oblatum ab aliis alimentum potest. Herbas vero more pecudum decerpens et fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miserati, extremum spiritum agentes, receperunt, sufficientem pro peccatis eorum, quae usque ad mortem adduxerit, poenam luisse censentes. »

Anonymus vero hanc ipsam pericopem ita expressit: Εἰ δέ τις ἐν ἁμαρτήματι τινὶ καταγνωσθῇ, ἀποβάλλεται τοῦ τάγματος· ὁ δὲ ἀποβληθεὶς δεινῷ μόρῳ ἔσθ' ὅτε διαφθείρεται. Τοῖς γὰρ ὅρκοις καὶ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδεμένος οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαμβάνειν. Ἔσθ' οὖν σῶμα λιμῷ διαφθείρουσιν· ὅθεν ἐν ἐσχάτοις ποτὲ ἐλεοῦσι πολλοὺς ἤδη ἐκλείποντας, ἱκανὴν αὐτοῖς μέχρι θανάτου ἐπιτιμίαν ἡγούμενοι. i. e. Siquis criminis alicujus reus deprehenditur, eorum ex ordine dejicitur. Qui autem ejectus est, aliquando mortem diram obit. Nam juramentis et ritibus obligatus, ne aliorum quidem escis uti potest. Unde evenit, ut interdum fame intereant. Quamobrem ipsi miserati sunt plurimos extrema jam patientes, pro peccatis satis poenarum, quod ad mortem accesserint, dedisse arbitrati. » Hinc patet Anonymum, quandoque eadem Josephi verba transcripsisse, alias quaedam omisisse, sensu tantum expresso, glossa aliquando et vocabulis novis et quidem recentioris aetatis usum; veluti ipse vidit Cruicius. Quod in nostro argumento satis est.

In altera parte Anonymus de patriarcharum hebraeo-

rum genealogia et gestis breviter agit, prius de Abrahamo deinde de Noe disserens. De migratione Abrahami ex urbe Charra in terram Chanaan locutus, ait se in aliis λόγοις sermonibus accurate et singillatim tractasse. Item paulo post subdit, de septuaginta duobus Abrahami filiis in aliis βίβλοις libris habuisse sermonem, asserens ne hoc quidem sine expositione relinquere, ut ostenderet ἣν ἔχομεν στοργὴν περὶ τὸ Θεῖον *qualem amorem habeamus in Deum, et quam certam scientiam in inquisitionibus circa veritatem afferamus.* Cum itaque Auctor inquit se in aliis tractatibus de terra Chanaan diligenter tractasse, ac in aliis libris septuaginta duarum gentium nomina sic exposuisse ut suum erga Deum patefaceret amorem, fortasse Anonymus factus est judaeus? Nonne judaei potius quam christiani personam hic gerit Anonymus, cum gentis illius apologiam texit adversus suos detractores? Profecto, obtestationem talem Philoni aegyptio ac Josepho Flavio propriam adversus graecorum calumnias pro gente sua disputantibus, ad se transtulit Auctor; sicuti praefatos libros de patriarcharum gestis ab hebraeis conflatos sibi vindicavit. Hoc autem nihil mirum in Anonymo, qui saepe aetatem et qualitates et actus personales illorum sumit, quorum expendit et transcribit opiniones.

Deinde a Cainan retro incedens Anonymus pervenit ad Noe: *quo vivente,* inquit, *mundus universus submersus est diluvio; cujus nec aegyptii, nec chaldaei, nec graeci memores fuerunt. Diluviis enim, quae tempore Ogygis et Deucalionis acciderunt, loca quaedam dumtaxat submersa fuerunt.* Sed in hoc fallitur Anonymus dicens, nec aegyptios nec chaldaeos, nec graecos meminisse diluvii, in quo totus orbis aquis submersus est. Cujusque namque aetatis, quivis populi in quavis terrae parte degentes, omnes vetusta traditione muniti, testimonium perhibent huic cladi, quae universum subvertit mundum. Flavius in Libro I. c. IV. *Antiquitatum* citat Berosum chaldaeum, Hieronymum aegyptium, Nicolaum damascenum ac alios hujus universalis inundationis testes. Quibus addam Cajum Plinium in Libro V. *Historiae Naturalis* c. XIII. ubi scribit: « Joppe phoenicium antiquior terrarum orbe inundatione, ut ferunt. » Ita asserens, de anti-

quitate Joppe dubitare sinit Plinius, non vero de diluvio quod totam submersit terram. Plato vero *De legibus* ex priscorum libris hujus cataclismi mentionem agit, in quo omnes, paucissimis relictis, perierunt.

Item peregrinum est quod addit de Arcae Noe mensura et reliquiis : quas alibi exposuisse ait, easque servari *usque nunc* in montibus Ararat ad adiabenorum regionem sitis. Flavius vero Berosi testimonium appellat, in cujus aetate dicebatur navigii partem servari in Armenia apud montem cordyaeorum. Nicolaus damascenus, Flavio antiquior, scribens inquit, illius arcae reliquias lignorum longo duravisse tempore, cum tamen, ipso vivente, ( scilicet ante Christi ortum ) periisse indicat. Nihilominus Auctor noster libere testatur adhuc sua aetate illius arcae superesse mensuras et reliquias.

Demum concludatur, Anonymum in hac de hebraeorum gente et sectis historia plerumque mentitum esse, veterum falsatis monumentis, alia obscure tradidisse; et universim se gessisse, veluti in praefatis se gesserit philosophorum graecorum et haereticorum enucleandis opinionibus.



## CAPUT XVI.

*Anonymi fidei professio sub titulo* ὁ τῆς ἀληθέιας λόγος veritatis Sermo, *totius Operis fastigium.*

Priusquam diluendam suscipiamus Anonymi fidem, seu ut ipse ait *Sermonem veritatis*, revocanda sunt, quae antea in Libro IX. c. IV. de judaeis exposuit, et quam deinde in Libro X. c. XXI. innovavit illorum brevem historiam; ubi gentis judaicae antiquitatem, doctrinam ac in Deum dilectionem ita extulit, ut ceteris gentibus praestare eos dicat; et ubi non tantum admiratorem, sed et quodammodo participem se facit illorum religionis, veluti in praefatis ostendimus. Quamobrem huic instans proposito Anonymus, ex eorum celebritate sumpto themate, graecos, aegyptios, ceterosque populos alloquitur, eos hortatus ut ad veritatis cognitionem accedant, per quam discitur, quis sit Deus, et quam bene fuerit ab eo ordinata creatio.

« Quod si nationes, scribit, quae philosophiae studuerunt, multo posteriores hoc piorum hominum genere et diluvio clare appareant; nonne et barbarae gentes, et quaecumque in mundo sunt notae et ignotae iisdem piis hominibus posteriores habebuntur? Τούτου τοίνυν τοῦ λόγου κρατήσαντες μάθετε ἕλληνες, αἰγύπτιοι, χαλδαῖοι καὶ πᾶν γένος ἀνθρώπων τὶ τὸ Θεῖον, καὶ τὶς ἡ τούτου εὔτακτος δημιουργία παρ᾽ ἡμῶν τῶν φίλων τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ κομψῷ λόγῳ τοῦτο ἠσκηκότων, ἀλλὰ τῇ ἀληθείας γνώσει καὶ ἀσκήσει σωφροσύνης ἐις ἀπόδειξιν ἀυτοῦ λόγους ποιουμένων i. e. Hunc ergo sermonem apprehendentes graeci, aegyptii, chaldaei, et omne hominum genus, quis sit Deus, et quae fuerit creatio ab illo bene ordinata, discite a nobis viris Dei, qui non elegantibus verbis divina coluimus, sed veritatis cognitione et sapientiae studio instructi ad demonstrationem Dei loquimur. » Et ita exorditur *Sermonem veritatis;* quem nos hic ad litteram descriptum, accurato deinde studio prosequemur, singulas ejus expendentes partes.

32. Θεὸς εἷς ὁ πρῶτος καὶ μόνος καὶ ἁπάντων ποιητὴς

καὶ κύριος, σύγχρονον ἔσχεν οὐδὲν, οὐ χάος ἄπειρον, οὐχ ὕδωρ ἀμέτρητον ἢ γῆν σ1ερρὰν, οὐχὶ ἀέρα πυκνὸν, οὐ πῦρ θερμόν, οὐ πνεῦμα λεπ1όν, οὐκ οὐρανοῦ μεγάλου κυανέαν ὀροφήν· ἀλλ' εἷς μόνος ἑαυτῷ, ὃς θελήσας ἐποίησε τὰ ὄντα οὐκ ὄντα πρότερον, πλὴν ὅτι ἠθέλησε ποιεῖν ὡς ἔμπειρος ὢν τῶν ἐσομένων· πάρεσ1ι γὰρ αὐτῷ καὶ πρόγνωσις. Διαφόρους δὲ τοῖς ἐσομένοις ·ἀρχὰς πρότερον ἐδημιούργει, πῦρ καὶ πνεῦμα, ὕδωρ καὶ γῆν, ἐξ ὧν διαφόρων τὴν ἑαυτοῦ κτίσιν, ἐποίει, καὶ τὰ μὲν μονοούσια, τὰ δὲ ἐκ δύο, τὰ δὲ ἐκ τριῶν, τὰ δὲ ἐκ τεσσάρων συνεδέσμει. i. e.

*Deus a principio unus, solus, omniumque creator et Dominus, nihil habebat sibi coaeternum, neque chaos infinitum, neque immensum mare, aut solidam terram, nec densum aera, nec calidum ignem, nec subtilem spiritum, nec magni coeli caeruleam cameram; sed solus erat in semetipso. Quumque id statuisset, entia fecit quae non prius erant, nisi quod ea facere voluit, nam futura optime norat; contingit enim illi futuri praescitio. Varia igitur futurorum principia primum creavit, ignem et spiritum, aquam et terram, ex quibus diversis suas creaturas conflavit: has quidem ex simplici, illas vero ex duplici, alias ex triplici, alias autem ex quadruplici conflavit substantia.*

*Quae unius erant substantiae, immortalia erant, quippe quarum dissolutio non propria sit; quod enim unum est non unquam solvetur. Quae autem duarum sunt triumve aut quatuor substantiarum, dissolvi possunt, et ideo mortalia nuncupantur; mors enim vocatur junctarum rerum dissolutio. Nunc igitur videmur satis bona mente praeditis respondisse. Qui ultra sapere atque harum substantiarum essentiam causasque creationis pernoscere cupiunt, ediscent ea, legentes nostrum Opus* De omnium rerum essentia. *Nunc autem satis est causas evolvisse eas, quas quum ignorarent graeci, varias creationis partes splendido aliquo sermone ornaverunt, Creatorem vero ignoraverunt; quorum vestigia secuti haeresiarchae, paribus sermonibus dicta prius ab illis commutantes, ridiculas haereses conflaverunt.*

33. Οὗτος οὖν μόνος καὶ κατὰ πάντων Θεὸς Λόγον πρῶτον ἐννοηθεὶς ἀπογεννᾷ, οὐ λόγον ὡς φωνὴν, ἀλλ' ἐνδιάθετον τοῦ

παντὸς λογισμόν. Τοῦτον ἐξ ὄντων ἐγέννα· τὸ γὰρ ὂν αὐτὸς ὁ Πατὴρ ἦν, ἐξ οὗ τὸ τοῦ γεννηθῆναι αἴτιον τοῖς γινομένοις Λόγος ἦν, ἐν αὐτῷ φέρων τὸ θέλειν τοῦ γεγεννηκότος, οὐκ ἄπειρος τῆς τοῦ πατρὸς ἐννοίας· ἅμα γὰρ τῷ ἐκ τοῦ γεννήσαντος προελθεῖν, πρωτότοκος τούτου γενόμενος φωνή, ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὰς ἐν νῷ πατρικῷ ἐννοηθείσας ἰδέας, ὅθεν κελεύοντος Πατρὸς γίνεσθαι κόσμον, τὸ κατὰ ἓν Λόγος ἀπετελεῖτο ἀρέσκων Θεῷ. i. e.

*Ille igitur solus et universus Deus Verbum primum cogitando progignit, non Verbum quasi vocem, sed interiorem universi rationem. Solum illud ex omnibus quae sunt genuit. Ens enim ipse Pater erat, ex quo orta est rerum creatarum causa, Verbum, in ipso genitoris voluntatem ferens nec inexpertum paternae conceptionis; quum enim ex genitore procedat, filius primogenitus illius, factus simul vox, habet in se eas quas in Patre conceperat ideas; unde, jubente Patre, mundum fieri, perfecit Verbum in singulis Deo obtemperans.*

*Et quae per generationem multiplicantur, ea mascula et feminea finxit: quaecumque autem aliorum usibus et commodis destinabantur, ea mascula femineorum non indigentia, aut neque mascula neque feminea. Quum enim istorum prima elementa ex nihilo facta, ignis scilicet et aer, aqua et terra, nullo modo sint mascula aut feminea, nullum ab eis procedit masculum aut femineum, nisi, jubente Deo, Verbum ita faciat. Ex igne esse factos angelos confiteor, quibus adesse feminas nego. Solem vero et lunam, et sidera, ex igne pariter et aere facta esse, nec mascula nec feminea arbitror. Jam quae ex aqua sunt animalia, volatilia scilicet et aquatilia, ea voluit esse mascula et feminea; sic enim jussit Deus, qui voluit esse prolificam humidam substantiam. Similiter e terra serpentium et ferarum, et omnium cujuslibet generis animantium mares sunt et feminae, quod fieri reposcebat rerum creatarum natura.* « Omnia enim Deus quaecumque voluit, fecit. » *Haec Verbo creabat, quae alio modo fieri non poterant ac facta sunt. Et quum quaecumque volebat effecisset, ea appellans, nomine notavit. Post ea, ex omnibus compositis substantiis rerum omnium dominum Creator conflavit, nec Deum volens facere nec angelum, ne fallam, erravit; sed hominem fingere volebat.*

*Nam, si te Deum voluisset facere, potuisset; exemplum rei habes Verbum. Sed hominem volens, hominem te fecit. Si vis Deus fieri, Creatori obedi neque adversare nunc, ut in minimis invento fideli tibi magna concredi possint. Dei Verbum solum ex Deo; ideoque Deus est, quum sit substantia Dei. Ex nihilo autem mundus; ideoque Deus non est, et dissolvitur, jubente Creatore.*

*Creator autem Deus malum non fecit; quod facit bonum est; qui facit enim ipse bonus. Homo vere qui factus est, animal sui juris erat, non imperantem mentem habens, nec cogitatione, nec auctoritate, nec vi caetera dominatum, sed servum et omnia contraria habens, qui quum sui juris esset, mali auctor fuit; quod, quum casu tantum efficiatur, nullum sit nisi per te fiat. Si quid enim mali cupis aut meditaris, id malum appellatur. Malum non est ab initio, sed fit. Homini libero lex a Deo definita est, non frustra. Nam, si nequiret homo velle aut non velle, cur lex definiretur? Non enim lex animali rationis experti constituitur, sed frenum et flagrum; ast homini mandatum et mulcta decernuntur, ut faciat aut abstineat; quae lex vetustissimis temporibus ei definita est a justis quibusdam viris. Ætate minus a nobis remota, a supradicto Moyse, viro pio et religioni addictissimo, lex constituta est gravitate et justitia referta. Haec omnia regit Verbum divinum, filius Patris primogenitus, ante luciferum vox lucem ferens. Deinde nati viri justi, et Deo grati, qui prophetae ideo vocati sunt quod res futuras praedicerent; quibus non unius aetatis rerum revelatio fiebat, sed praedictarum per omnes generationes rerum series manifesta ostendebatur neque tunc temporis tantum, quum aequalibus responsa darent, sed quum per omnes generationes futura praedicerent, quia praeterita narrantes, hominum animos ad rerum memoriam revocabant; praesentia vero ostendentes, ne segniter agerent persuadebant; praedictione autem futurorum singulos nostrum respicientes, res a longo tempore praenuntiatas terrore turbabant expectantes etiam futura.*

*Talis est culta apud nos fides, o universi homines; nec inanibus verbis persuasi sumus, nec subitis animi motibus abripimur, nec suasoria facundia decipimur, sed expressis vir-*

*tute divina mandatis paremus. Haec Deus Verbo mandaverat; quae Verbum loquendo promulgavit, non his sermonibus ab inobedientia avertens hominem, nec necessitatis vi in servitutem redigens, sed hortans nos ut arbitrio nostro libere vivamus. Hoc Verbum posterioribus temporibus misit Pater, non ut per prophetas loqueretur; nolebat enim obscure praedicatum subintelligi Verbum; sed jussit ut conspectu ipso manifestaretur. Atque ideo, dico, misit ut mundus visum veneraretur Verbum, nec jam mandata dans per prophetas, nec animos per angelos terrore afficiens, sed praesens ipsum et loquens. Verbum hoc scimus ex Virgine corpus assumpsisse, ac veterem hominem nova forma refinxisse, in vita omnis aetatis gradus lustravisse, ut omni aetati norma fieret, et homo factus, exemplar et finem proprium hominum universitati ostenderet praesens: et id, auctore se, persuasum faceret Deum nihil mali fecisse; jam hominem liberum esse, potestatem habentem volendi et nolendi, et in utroque pollentem. Scimus autem hunc hominem factum fuisse ex humanitatis nostrae materia; nisi enim ex illa fuisset, frustra jussisset ut ipsum tanquam magistrum imitaremur. Si quidem ipse et homo substantiae alius esset, cur similia mihi imperaret natura imbecillo? Quomodo (talia qui juberet) sapiens foret et justus? Ne vero alienus apud nos videretur, labores suscepit, famem pati voluit, sitim non recusavit, quievit somno, dolorem non abnuit, morti obedivit, manifestavitque resurrectionem, in his omnibus primo se hominem proprie esse ostendens, ne, quum paleris, animo deficias, sed te ipsum hominem esse professus, exspectes quidquid illi Pater praebuit.*

*Haec est de divinitate vera doctrina, o homines graeci et barbari, chaldaei et assyrii, aegyptii, et libyes, indi et aethiopes, celtae, vosque armis dominantes latini, et vos omnes quicumque Europam, Asiam, Libyam incolitis. Vobis, ego amantis homines Verbi discipulus, hominis ipse amans consiliarius fio, ut accurrentes doceamini a nobis, qualis sit reipsa Deus, Deique quam sit bene ordinata creatio; ne captiosis sophismatum argumentis, nec vanis mendacium haereticorum promissionibus obtemperetis; sed veritatis modestae adhaereatis augustae simplicitati, qua cognita, instantes ignis judicii*

*minas effugietis nec non et Tartari obscuri visum sine lumine, per Verbi vocem non illuminatum, et ferventes aeterni lacus gehennae flammas, et tortorum Tartari angelorum oculum semper minacem, et vermem, qui corporis per illuviem, corpus ebulliens circuit quo alimento nutriatur. Haec vitabis, si, quis sit Deus, docearis; immortale corpus habebis, incorruptibileque eodem modo atque animam; et regnum coelorum accipies: qui, dum degeris in terris, regem coelestem cognosces; eris Dei familiaris, cohaeres autem Christi, non jam cupiditatibus, aut animi immoderatis affectibus, aut morbis gravatus. Factus enim es deus. Quidquid autem pati debuisti ut homo, hoc monstrabat te esse hominem; quaecumque Dei propria sunt, ista tibi praebere promisit Deus, quum divinus fies, et immortalis. Hoc indicat sententia:* Nosce te ipsum, *noscens creatorem Deum. Noscenti enim se ipsum, contigit ut cognoscatur a Deo, a quo vocatus est. Nolite igitur, o homines, invicem adversus vos contendere; ne dubitate redire. Christus enim est super omnia constitutus Deus, qui constituit humanitatis peccata abluere, novum efficiens veterem hominem, quem ab initio imaginem suam vocaverat, suum erga te amorem exemplo ostendens. Cujus si venerandis obtemperabis mandatis, et boni bonus fies imitator, consimilis eris ei, ab eo honoratus. Non enim Deus mendicus est, qui et te propter suam gloriam deum fecit.*



## CAPUT XVII.

*Praefatum Anonymi argumentum non* veritatis *sed* impietatis Sermonem *rite inscribendum esse probatur.*

Talis est *Sermo veritatis,* quem Anonymus subdidit uti librorum suorum *coronam* in expositione et refutatione philosophorum et haereticorum dogmatum. In quo studio s. Irenaeum et ceteros Ecclesiae scriptores imitatus est, qui in fine discussionum suarum adversus haereses, suae fidei professionem emiserunt. Nisi quod praecipuus Anonymi scopus valde a praefatorum Patrum mente abfuerit. Illi enim variis ethnicae philosophiae placitis et haereticorum erroribus veram Ecclesiae Catholicae doctrinam opposuerunt. Iste vero non solum calumniis impetit ss. viros Ecclesiae principes, verum etiam haereticis fabulis, quas se expugnare ait, vanam tantumdem haereticam et impiam fidei professionem objecit; adeo ut stet quod a Jesu dicitur in Evangelio: *Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* Et in hoc sane nostrum collocandum est studium, ut accurate singulis hujus anonymi Sermonis partibus ponderatis, tum erratici illius sensus patefiant, tum insuper comprehendatur, nec Tertullianum, nec Origenem, neque s. Hippolytum, nec Cajum, nec alium quemquam priscae aetatis Ecclesiae Patrem, Libri haberi auctorem.

Ac interim, ut dicta factis respondeant, praesto sunt quae ab exordio scribit inquiens, Deum nihil habentem sibi coaeternum, cum solus esset in semetipso, *varia primum creasse futurorum principia, ignem et spiritum et aquam et terram, ex quibus diversis suas conflavit creaturas; has quidem ex una substantia, alias ex duplici, alias ex triplici, alias autem ex quadruplici condidit.* Haec loquendi formula praefatis Scriptoribus peregrina, rite tamen graecae philosophiae, et haereticorum seu gnosticorum placitis concordat. Et quidem mirum in Anonymo, qui ab Operis exordio obtestatus est se haereticos refutaturum, hos arguens quod ex graecorum sapientia et philosophorum dogmatibus, non vero ex sacris li-

bris aut ex Patrum traditione suas roborarint opiniones, praesertim in tractatu de Deo et de recto creationis ordine; et hinc cum videretur (dummodo consectarius sibi esse vellet et in exordio praemissis) cunctam suam tractationem conficere debuisse mosaicae cosmologiae vacans, per hanc convellens falsas philosophorum et haereticorum doctrinas, tamen fefellit. Debuisset enim, inquam, errantibus supremum Dei testimonium objicere: *in principio creavit Deus coelum et terram:* ac deinde expenso creaturarum ordine secundum Scripturae enarrationem, subdere: *et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.*

Attamen dico, nescio quare, summam rei praetermisit, cui vacandum maxime sibi erat, ex Geneseos Libro petitam: ac potius graecae philosophiae vanitati adhaesit, quam Scripturae veritati. Secus vero dicti Patres egerunt ab Anonymo; quorum non est, ut hïc proferantur expositiones, cum lectoribus pateat aditus ipsorum percurrendi Commentarios; ubi vel ex professo, vel obiter adversus graecos philosophos institerunt, divina verba de mundi creatione incertis falsisve ethnicorum opinionibus praeferentes. Conferantur Hippolyti, et Origenis, quae supersunt, fragmenta in Genesim, quaeque discutit Tertullianus contra Hermogenem.

Verumtamen ad potiorem argumenti expeditionem, singillatim discutiantur Anonymi dicta. In primo loco n. 32. mundi creationem repetit absolute ex graeca philosophia, et in altero loco n. 33. commiscens sacra prophanis, sibi contradicit, et blasphemat. Antea dixit, Deum unum, omnium creatorem et Dominum, excluso Verbo, entia fecisse, quae antea non erant; idest quatuor principia prius creasse, ignem aerem, aquam et terram, et inde diversas finxisse creaturas immortales et mortales. *Quae erant unius substantiae*, addit, *immortales esse*, *ceteras mortales nuncupari*. Cuncti philosophi fatentur ex quatuor elementis igne, aere, aqua et terra omnia corpora conflata fuisse, concretis nimirum inter se et commutatis. Anonymus vero creaturas inquit, alias ex uno, alias ex duobus, alias ex tribus, alias ex quatuor constare elementis: cui opinioni nec ipsi philosophi, nec multo minus conveniunt Scriptores sacri. Ideoque cum Auctor ait,

haeresiarchas de creatione disputantes, philosophorum graecorum vestigia sectatos, ridiculas conflasse haereses; nescio num magis ridicula putanda sint, quae scribit Anonymus in hoc paragrapho, quam quae graeci et haeretici commentati sunt de initio et ordine creationis.

Similiter in altero paragrapho 33. de Creatore et creatione locutus, diverse a praefatis in n. 32. inquit Deum genuisse λόγον πρῶτον *Verbum primum, non Verbum quasi vocem sed* ἐνδιάθετον τοῦ παντὸς λογισμὸν *interiorem universi rationem. Hanc solam ex existentibus generavit.* Ac, jubente Patre, Verbum dicit mundum creasse, creaturas alias masculas alias femineas utpote generationi necessarias; alias nec masculas nec femineas. Quarum prima elementa, ex nihilo facta, ignis, aer, aqua et terra, cum nec mascula nec feminea sint, haud proferunt masculum seu femineum, nisi, jubente Deo, Verbum ita faciat. Subdit deinde ex igne factos esse angelos sine feminis. Solem vero, lunam et sidera ex igne et aere facta arbitratur, nec eis adesse feminas etc. »

Quare in hoc secundo loco Anonymus, cum eadem repetat de Creatore et de creatione, in hoc differt, quod antea praemisit, Deum unum, primum, omnium dominatorem, varia principia futurorum creasse, absolute locutus de Deo omnium conditore; in secundo vero ait Deum generasse Verbum suum, per quod omnia facta sunt. Item, cum prius ait, Deum, Verbum primum generare ὸυ λόγον ὡς φωνὴν *non Verbum quasi vocem*, paulo post aliter scribit ex Genitore procedere Primogenitum suum factum φωνὴν *vocem*. Quae locutio antilogia laborat. Sed et amplius peregrinum est quod subdit Anonymus, *Deum generare Verbum interiorem rationem universi*, platonicam sane redolens philosophiam: quam ideo et similia perpetuo abhorruere citati Scriptores. Horum enim dicta de Verbi generatione secundum Evangelii sensum, hujusmodi sunt ut, exclusa circa Dei Filium Anonymi definitione *interior universi ratio*, ubique hunc repraesentent sub his nominibus λόγος *Verbum Dei Patris, Mens Dei, Ratio Dei, Sermo Dei, Sapientia Dei*, per quam omnia facta sunt. Idcirco Pater non genuit rationem interiorem universi; sed ab aeterno genuit Verbum, Rationem suam,

per quam universum conditum est. Ita inquit Tertullianus adversus Praxeam c. VI. « Nam ut primum Deus voluit ea, quae cum Sophiae ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum Sermonem protulit, habentem in se individuas suas rationes Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata etc. » (*)

Deinde quae de mundi dicit creaturis, quarum alias masculas sine feminis, alias nec masculas nec femineas fecit Deus, deque angelis ex igne sine feminis, sicuti de sole, luna et stellis ex igne et aere creatis nec masculis nec feminis, non est quod de iis disserens immorer; cum talia a vetusta philosophia probentur ac in fabulis judaeorum contenta reperiantur, nullimode Origenis, Hippolyti et Tertulliani menti consonant. David Millius in Dissertatione de Mohammedismo, ait judaeos docere, angelos ex igne fuisse creatos.

Nec multo minus suspicandum est, praefatos Scriptores docuisse: « *Post ea, ex omnibus compositis substantiis rerum omnium dominum Creator conflavit, nec Deum volens facere, nec angelum (ne fallam) erravit: sed hominem fingere volebat. Nam si te Deum voluisset facere, potuisset: habes exemplum Verbi. Sed hominem volens, hominem te fecit.* » Nonne in his dictis stultissima et horrenda cum Ario blasphemia innotescit. Ita enim cum Anonymo excogitandum foret, Deum in hominis creatione alterum Deum sui similem creare potuisse, si voluisset, cum istud ab exemplo deducat aeternae Verbi generationis « *Si te Deum*, inquit, *voluisset facere Creator*, *potuisset*: *exemplum Verbi habes.* » Quasi Deus praeter Filii aeternam et *ad intra*, ut ajunt theologi, generationem et hinc sibi consubstantialis, aliquam creaturam *ad extra*, seu hominem sui similem Deum facere potuisset, si voluisset: quod est absurdum, et hujusmodi, ut praefati Patres nunquam animo confinxerint.

Similiter secundum philosophorum placita et a veritate

(*) Confer quae scribit s. Irenaeus in Libro II. c. XIII. adversus Valentinianos, ubi collocat *logon endiathetom* inter actiones mentis cogitantis.

catholica devius, pergit Anonymus disserens de hominis ortu, et ait n. 33. *Homo vero, qui factus est, animal sui juris erat, non imperantem mentem habens, nec cogitatione, nec auctoritate omnium dominans, sed servus et omnia contraria habens: qui, quum sui juris esset, mali auctor fuit.* » Haec absolute ab Anonymo adserta, ignorantiam ipsius manifestant de natura hominis ab initio creationis et ante Adae praevaricationem: quomodo nempe homo a Deo creatus est in justitia et sanctitate, dotibus animae et corporis eximiis ornatus, quemadmodum docet Ecclesia Catholica.

Quapropter Tertullianus, cui inscribitur Liber, hanc Anonymi sententiam refutat in Libro *De anima* c. XXXVIII. « Si enim Adam et Eva ex agnitione boni et mali pudenda tegere senserunt, ex quo idipsum sentimus, agnitionem boni et mali profitemur. Ab his autem annis et suffusior et vestitior sexus est; et concupiscentia oculis arbitris utitur et communicat placitum, et intelligit quae sint; et fines suos adinstar ficulneae contagionis prurigine accingit: et hominem de paradiso integritatis educit, exinde scabida etiam in ceteras culpas, et delinquendi non naturales, cum jam non ex instituto naturae, sed ex vitio. » Et in Libro *De patientia* c. V. ait: « Innocens erat (Adam) et Deo de proximo amicus et paradisi colonus. At ubi impatientiae semel succidit (succubuit), desivit Deo sapere, desivit coelestia sustinere posse etc. » Origenes *in Joannem* Tomo XIII. n. 37. ait Deum hominem perfectum condidisse; nec aliquid imperfectum in paradiso ab ipso factum esse; et absurdum esse putare Deum rei imperfectae fuisse auctorem: imperfectum vero evasisse hominem ob inobedientiae reatum.

Praeterea qua ratione, nescio, Anonymus tam sollicite liberum arbitrium in homine propugnet, exigatque ab eo: « *Homo vero*, ait, *qui factus est, animal sui juris erat, non imperantem mentem habens* etc. Paulo post: « *Homini libero est a Deo definita lex, non frustra* etc. » Item inquit, *Deum avertere hominem ab inobedientia, nec necessitatis vi redigere eum in servitutem; sed hortatur nos ut arbitrio nostro libere vivamus.* » Et paucis interjectis, iterum dicit *Verbum persuasum facere, Deum nihil mali fecisse; jam hominem liberum esse, potestatem habentem volendi et nolendi etc.* »

Attamen Auctor, postquam pluries actuum humanorum propugnavit libertatem, homines inde hortatus ad veri Dei scientiam acquirendam, hac acquisita, inquit hominem non amplius talem esse, sed Deum factum: « γέγονας γαρ̀ θεὸς *factus es enim Deus*, nullis ultra cupiditatibus et infirmitatibus obnoxius: *Qui, dum degeris in terra, regem coelestem cognosces: eris Dei familiaris cohaeres autem Christi, non jam cupiditatibus, aut animi immoderatis affectibus, aut morbis gravatus. Factus es enim Deus. Quidquid autem pati debuisti ut homo, hoc monstrabit te esse hominem: quaecumque Dei propria sunt, ista tibi praebere promisit Deus, quum Deus fies et immortalis* etc.

Cum itaque Anonymus doceat hominem in Dei familiaritate viventem, impatibilem absolute esse, neque ultra adversus affectiones humanitatis corruptae dimicare, sed factum esse deum; in hoc casu ubi libertas, ubi pugna perpetua; in qua Scriptura dicit hominem versari etsi, justum donisque coelestibus cumulatum, dum in hac degit vita? *In multis offendimus omnes*, testatur beatus Jacobus in Epistola c. III. 2. Et Tertullianus in Libro *De pudicitia* c. XIX. (quamvis in hoc libro plura reprobanda sint) ex Joannis testimonio in Epistola I. c. I. *Si dicamus nos delictum non habere; seducimus nosmetipsos; et veritas in nobis non est.* « Nam nec ipsi excidimus, a qua digressi sumus, distinctione delictorum. Et hic enim illam Joannes commendavit, quod sint quaedam delicta quotidianae incursionis; quibus omnes sumus objecti. Cui enim non accedet, aut irasci inique, et ultra solis occasum; aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere, aut verecundia, aut necessitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quaestu, in victu, in visu, in auditu, quanta tentamur? ut, si nulla sit venia istorum, nemini salus competat. »

Similiter inquit Anonymus, Dei Verbum hominem factum esse et cum hominibus conversatum, ut ostenderet Deum nihil mali fecisse, et hominem esse liberum, volendi nolendique potestate praeditum. Nunquid ad Salvatoris adventum usque ignoravit homo, Deum nihil mali fecisse et se liberum esse, ita ut ad hujus rei notionem necesse foret

Christi adventus in carne? Attamen nos ex adverso scimus, *Deum misisse Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, et adoptionem filiorum reciperemus; ac daret animam suam redemptionem pro multis.* Item deinde docens, Deum factum hominem ex nostrae humanitatis substantia ait: *nisi enim ex illa fuisset, frustra jussisset, ut ipsum tanquam magistrum imitaremur.* Attamen scimus Deum, priusquam mitteret Verbum suum et assumeret carnem, hominibus mandasse: *sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Pariter imperite loquitur Anonymus, inquiens: « Si Deus homo aliam a natura humana substantiam sibi assumpsisset; cur imperaret similia mihi natura infirmo? Quomodo foret sapiens et justus? » Et cum tanta dicit de natura humana infirma a Verbo Dei assumpta; oblitus est tamen Apostoli dicta: *tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Item hortatur gentes ut veritatis simplicitati adhaereant: qua cognita, poenas tartari effugient: *haec vitabis, si, quis sit Deus, docearis: immortale autem corpus habebis et una cum anima incorruptibile.* Quasi infideles in vita futura nec corpus immortale nec incorruptibile habituri sint. Nec secus a judaicis placitis aberrat, quando loquitur de gehennae flammis et de angelis, qui tortores destinantur reproborum. Septem docent hebraei angelos gehennae praefici, damnatorum carnifices et tortores. Ita praefatus Millius n. 47. 48.

Demum, praefatis summatim collectis, vestigium quis mihi ostendat in libris veterum Patrum, ubi de Deo, de mundi opificio, ejusque ordine ita tractetur, sicuti Anonymus exegit in hoc loco? Qui sacra profanis commiscens, universi creationem primum absolute in Patre collocat seorsim a Filio, et secundum Platonis mentem mundi elementa statuit; ac deinde Verbo creationem inscribit ex Patris jussu, impia et absurda locutus? Et quis ideo putet hunc librum s. Hippolyto inscribendum esse? cujus librorum elenchum nobis commiserunt veteres historici et maxime Opus *Adversus haereses*, quarum seorsim sensum descripsit expugnavitque, sacra Scripturae testimonia objiciens et apostolicam doctrinam? cujus memoriam sanctitatis et sapientiae in Ecclesia

veteres celebrarunt, et concilia firmarunt ephesinum, chalcedonense et lateranense I? Et cujus dicendi genus, inquit Photius, in primis perspicuum est: et ubi praelucet sensuum simplicitas et venustas, et aliter penitus ab Anonymi locutione plerumque obscura, solecismis abundante, ac nulli ex priscis graecis Patribus conformi?

Item, quis unquam sibi animo fingat Tertullianum, qui prius in Libro *De Praescriptione* summarie agitavit haereticos, dein singillatim expugnans valentinianos, Hermogenem, Praxeam, gnosticos, Marcionem, illorum notavit errores, sedulo investigavit fontes, mira sollertia, parique zelo refutavit, ac postea tam confuse in hoc Opere descripsisse, negligenterque expendisse, plura corrumpentem, singula incompte tractantem, ac demum blasphemantem in Filium Dei?

Nihilominus adversarii non sistunt gradum, sed instant arbitrati, ab Hippolyto episcopo et martyre, de quo apud Eusebium occurrit honoranda mentio, conflatum Opus *Philosophumenon*. Hanc autem suam fulciendi causa sententiam, objiciunt nobis Catalogum librorum, sub nomine s. Antistitis, vetustae istius statuae marmoreae Romae insculptum, ubi legitur: *s. Hippolyti martyris καὶ πρὸς Πλατώνα, ἤ καὶ περὶ τοῦ παντὸς, et adversus Platonem, sive etiam De universo.* Quare hunc eumdem esse Tractatum ajunt, de quo loquitur Anonymus, sibique ita inscribitur in Libro X. c. XXI. n. 32. « *Nunc igitur videmur,* inquit, *satis bona mente praeditis respondisse: qui ultra sapere atque harum substantiarum essentiam causasque creationis pernoscere cupiunt, ediscunt ea, legentes Opus nostrum περὶ τῆς τοῦ παντὸς ὀυσίας De universi essentia.* »

Verumtamen neque in hoc adversariis convenire queo, nec alius conveniet, puto, dummodo sedulo utriusque Hippolyti et Anonymi perquirat scopum. Perspicue namque s. Hippolytus juxta Libri titulum *De universo contra Platonem,* hujus Philosophi opinionem refutat, e divinis Scripturis repetens testimonium circa originem mundi; ex nihilo scilicet statuens creationem; ac deinde ordinem, dispositionem, divisionem notans, quemadmodum legitur in Genesi: *in principio creavit Deus coelum et terram.* Et sane illius, quae

supersunt, Commentaria in hunc librum, obstant. De reliquo non est dubitandum, Platonem in Timaeo disceptasse de mundi constitutione, suumque ideo librum inscripsisse *Disputatio περὶ τοῦ παντὸς de universo* sive *de mundo*, uti in novissima ejus libri parte legitur: ac veluti Editores praenotarunt in Prologo: « Thesis, inquiunt, seu scopus argumentationis ex ipso titulo apparet, *De universi natura*. Complectitur enim doctrinam et sententiam Platonis de mundi creatione et omnium partium illius. »

Re quidem vera, Auctoris doctrinae concordiam cum Platonis placitis de mundi conditione, prius testatur titulus. Anonymus inquit se loqui de creatione et ordine universi. Hoc idem vult Plato in Timaeo. Plato, quatuor positis mundi elementis igne, aere, aqua et terra, subdit: « Propterea ex hujusmodi rebus numero quatuor, mundi corpus conflatum est, ea connexum comparatione, qua dixi, ex quo seipsum amicitia concordi complectitur; atque ita apte cohaeret, ut nequeat dissolvi ullo modo, nisi ab eodem, a quo colligatum est. Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram mundus accepit. Ex omni quippe igne, aere, aqua, terra, ipsius conditor ita ipsum composuit ut nullam cujuspiam istorum partem aut vim extra relinqueret. »

Anonymus vero idem putans, ait Deum antea creasse varia futurorum principia ignem, aerem, aquam, et terram, ex quibus diversis suam perficiebat creaturam. Deinde dicit: « mundum e nihilo factum, nec Deum esse, ac istum dissolvi, jubente Creatore. Creator autem Deus malum non fecit: quod facit bonum est. Qui facit enim, bonus est. » Plato item: « Qui constituit hoc universum, bonus erat; bonus autem nulla unquam de aliqua re invidia tangitur. Itaque cum vellet Deus bona omnia fore, nihil vero, quod natura pateretur, malum, quidquid erat quod in *creandi* sensum cadere posset, assumpsit etc. » Et cum Anonymus ita disputet de Creatore, de creationis ordine, deque primis elementis, unde ceterae creaturae factae sunt, ubi perspicue comprehenduntur ethnicae philosophiae principia a Platone accepta; quis putet unquam hic ab eo convelli Platonem potius quam istius complecti theorias? Quomodo ergo statuendum

sit, s. Hippolytum nuncupari auctorem *Philosophumenon*, ex quo scripsit librum *De natura universi adversus Platonem*, cum Anonymi quaestio omnimode versetur de mundi creatione secundum hujus Philosophi sensus?

Non est hic tamen praetereundum, quod s. Hippolytus in fine libri *Adversus haereses*, suam emittens fidei professionem, scripsit: ubi nonnulla citantur eadem, quae Anonymus notavit in Libro X. et novissimo. S. episcopus Noeti refutans blasphemias in sanctissimae Trinitatis mysterium, ait: « Quantum autem ad virtutem pertinet, unus est Deus; quantum vero ad aeconomiam, trina est ostensio: uti paulo post docebimus, cum tradiderimus *περὶ ἀληθείας λόγον rationem de veritate.* » Paulo post subdit: « Quandoquidem igitur hactenus Noetus refutatus est, veniamus *ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπόδειξιν ad demonstrationem veritatis* : contra quam tot et tantae haereses ortae sunt, quae nihil dicere potuerunt. »

Anonymus vero ab initio Libri X. n. 4. 5. scribit: *καὶ ἐπὶ πᾶσι τὶς ὁ τῆς ἀληθείας λόγος* et qualis sit in omnibus *veritatis Sermo.* 'Ambagibus haeresum labyrintho similibus non vi diruptis, sed sola refutatione, verique robore solutis *πρόσιμεν ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἀπόδειξιν* adeamus *ad demonstrationem veritatis.* In his, ut patet, uterque Anonymus et s. Hippolytus conveniunt: non ita tamen in expositione, quod valde nostra interest. Et sequens s. Martyris testimonium satisfiet quam maxime ad dignoscendam varietatem Anonymum inter et s. Hippolytum cedentem tum quoad stilum tum quoad doctrinam, ita ut omnimode excludatur una et eadem persona in *Philosophumenon* compilatione, et ut demum magis innotescant Anonymi plagium et perfidia.

Interim haec scribit s. Hippolytus: « *Θεὸς μόνος ὑπάρχων, καὶ μηδὲν ἔχων ἑαυτῷ σύνχρονον, ἐβουλήθη κοσμὸν κτίσαι. Ο κοσμὸν ἐννοηθεὶς, θελήσας τὲ καὶ φθεγξάμενος ἐποιήσεν, ᾧ παραυτίκα παρέστη τὸ γενόμενον ὡς ἠθέλησεν. Αυταρκὲς οὖν ἡμῖν ἐστιν μόνον εἰδέναι ὅτι σύγχρονον Θεῶ ὀυδὲν πλὴν ἀυτὸς ἦν· ἀυτὸς δὲ μόνος ὢν, πολὺς ἦν. Ουτε γαρ ἄλογος, ὅυτε ἄσοφος, ὅυτε ἀδύνατος, ὅυτε ἀβόυλευτος ἦν. Πάντα δὲ ἦν ἐν ἀυτῷ, ἀυτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν· ὅτε ἠθέλησεν,*

καθὼς ἠθέλησεν, ἔδειξε τὸν λόγον αὐτοῦ καιροῖς ὡρισμένοις παρ αὐτῷ, δἰ οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν. Ὅτε μὲν θέλει, ποιεῖ, ὅτε δὲ φθέγγεται, δεικνύει, ὅτε πλάσσει, σοφίζεται. Πάντα γαρ τὰ γενόμενα, διὰ Λόγου καὶ σοφίας τεχνάζεται, Λόγῳ μὲν κτίζων, σοφίᾳ δὲ κοσμῶν. Εποίησεν ὄυν ὡς ἠθέλησεν, Θεὸς γαρ ἦν, τῶν δὲ γινομένων ἀρχηγὸν καὶ σύμβουλον καὶ ἐργάτην ἐγέννα Λόγον, ὅν Λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἀόρατόν τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ, ὁρατὸν ποιεῖ, προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν, προῆκεν τῃ κτίσει Κύριον, τὸν ἴδιον νοῦν, αὐτῷ μόνῳ πρότερον ὁρατὸν ὑπάρχοντα, τῷ δὲ γινομένῳ κόσμῳ ἀόρατον ὄντα, ὁρατὸν ποιεῖ, ὅπως διὰ τοῦ φανῆναι ἰδὼν ὁ κόσμος, σωθῆναι δυνηθῇ. i. e.

Deus solus cum esset; nihilque sibi coaevum haberet, voluit mundum efficere. Et mundum cogitans ac volens et dicens effecit: et continuo extitit ei factus sicut voluit (et sicut voluit, perfecit). Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coaevum. Nihil erat praeter ipsum, ipse solus multus erat. Nec enim erat sine sapientia, sine potentia, sine consilio. Omnia erant in eo: ipse erat omnia. Quando voluit et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis: per quod omnia fecit. Qui cum vult, facit, quando cogitat, perficit: quando loquitur, ostendit: quando format, sapientiam edit. Omnia enim quae facta sunt, ratione et sapientia fabrefacit; ratione quidem creat, sapientia vero ornat. Fecit igitur sicut voluit: Deus enim erat. Eorum autem, quae facta sunt, ducem, consiliarium et operarium generabat Verbum. Quod Verbum cum in se haberet, et esset mundo creato inadspectabile, adspectabile fecit, emittens priorem vocem: et lumen ex lumine generans, depromsit ipsi creaturae Dominum mentem suam. Et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem facit, ut mundus eum, qui apparuit, videns, salvus fieri posset. »

Hujusmodi s. Hippolyti dicta, si aliis conferantur, quae praemisimus ex Anonymo n. 32. 33. illico, cum tibi obviam fiet unus et idem amborum scopus, attamen in tractatione compereris, Anonymum latius pro more suo exposuisse s. Martyris doctrinam, eamque prophanis vanisque corru-

pisse opinionibus, ac blasphemiis amplius polluisse, pluribus frustra repetitis, aliis subtractis, confusione et errore undique praevalentibus. Quae quidem collatio, siculi in praecedentibus, valde lectoribus commendatur, ut tandem aliquando sentiant quam immerito putarunt nonnulli, s. Episcopo hoc profanum et abortivum inscribentes Opus.

Et re quidem vera: s. Hippolytus scribit: *Deus solus cum esset, nihilque sibi coaevum habens, voluit mundum creare. Mundum cogitans, et volens et dicens effecit: cui continuo extitit factus sicut voluit. Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coaeternum: nihil praeter seipsum erat.*

Anonymus vero eadem repetens ita interpretatus est n. 32. *Deus unus, primus, et solus et omnium factor, et Dominus, coaevum nihil habuit, nec chaos infinitum, neque aquam immensam, neque terram solidam, neque densum aerem, nec ignem calidum, nec spiritum subtilem, nec coeli magni ceruleam cameram. Sed erat unus solus ipsi: qui volens fecit quae sunt, cum antea non erant.*

Nemo non videt, eodem posito titulo *Sermo veritatis*, utriusque inscripto demonstrationi, quomodo Anonymus sancti Martyris dicta expresserit, quibusdam minus aptis additis. Ex. g. cum ait aerem *densum*, et ignem vocat *calidum;* et πνεῦμα spiritum *subtilem* creatum esse a Deo dicit.

Similiter s. Hippolytus ait: *Deus habens Verbum in se et cum esset invisibile, visibile fecit, emittens priorem φωνὴν vocem, et φῶς lucem ex luce generans.*

Anonymus autem confundens duo vocabula *vocem* cum *luce* scripsit: *Verbum Dei, primogenitus Filius Patris, ἡ πρὸ ἑωσφόρου φωσφόρος φωνὴ vox ferens lucem ante luciferum.*

Item scribit s. Hippolytus: « Credamus igitur juxta traditionem Apostolorum: *Deus descendens de coelo ex Virgine et Spiritu Sancto novus homo factus* etc.

Anonymus vero, omisso *Spiritu Sancto*, ait: *Verbum hoc scimus ex Virgine corpus assumpsisse, ac veterem hominem nova forma refinxisse.* Paulo post rursus dicit: *Scimus autem hunc Deum hominem factum fuisse ex humanitatis nostrae substantia.*

S. Episcopus scribit: *Necesse est ergo, ut quamvis nolit*

*Noetus) confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum esum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater ubjecit praeter se, et Spiritum Sanctum; et hos esse vere tres. uod si vult scire, quomodo unus Deus demonstratur, sciat nam esse virtutem sive potentiam etc.*

Ast in hac Confessione Anonymus Spiritus Sancti oblius, docet *Deum cogitando progignere primum Verbum, et c ex generante Patre procedere, in ipso gerens voluntatem atris. Dei Verbum solum ex Deo ; ideoque Deus est, quum t substantia Dei.* Nec interim Spiritus Sancti personam nec ivinae Trinitatis nomen fatetur.

Nec demum praetereundum est, quomodo in hac Proessione Auctor confuse inculcans Legis observantiam, non ntum de Lege evangelica loquatur, quantum de mosaica. icit enim homini esse Legem definitam. *Non animanti raonis experti data est Lex, sed homini decernitur. Haec Lex ata est a justis viris; ac deinde aetate nobis propinquiore a oyse viro religiosissimo constituta est gravitate et justitia eferta. Haec omnia administrat Verbum Dei, primogenitus atris Filius, ante Luciferum vox lucem ferens. Deinde nati unt viri justi prophetae etc.* Ubi Synagogae magistrum cum erbi divini discipulo confundit. Et ubi paulo post concluens, mandato maximo Evangelii: *diliges Dominum Deum uum ex toto corde tuo etc. et proximum tuum sicut te ipsum,* ubstituit vetus proverbium: *nosce te ipsum.*

Cunctis simul redactis circa hunc *Sermonem* observatioibus, fortasse praesumendum erit s. Hippolytum aliquando veritate defecisse et ab Ecclesia Catholica, ut inde inferaar talia ipsum de ss. Pontificibus Zephyrino et Callisto scrisisse; ac insuper in errore insanientem blasphemasse in Fium Dei? Veterum Scriptorum adhuc perstant testimonia, uae huic perspicue refragantur stultae praesumptioni. Euebius, jam dixi, prae manibus habens ejus libros, ac de eo oaevos audiens fideles testes, ipsius doctrinam et pietatem elebrat. Item testatur s. Hieronymus. Similiter Theodoreus in Dialogo III. contra haereticos inter sacros Doctores umerat s. Hippolytum: « Fac igitur, ait, pateant aures, et piritualium fontium fluenta accipe s. Ignatii . . . s. Hippolyti

episcopi et martyris. » Ex Collectionis sirmondianae Tomo III. (p. 375.) s. Anastasius in epistola ad Theodosium presbyterum gangrensem adversus monotelitas, haec de s. Martyre scribit: « Praeterea misi ad praesens cum hac epistola mea Deo honorabilibus vobis, et per vos sanctissimae et orthodoxae, quae illic est, ecclesiae, rotulam habentem testimonia ex dictis s. Hippolyti episcopi Portus Romani ac martyris Christi Dei nostri: quo et per ea nosse habeatis, quam concorditer cum aliis omnibus sanctis Patribus, et ardue duas Salvatoris nostri Jesu Christi praedicet naturas, et operationes; refellat autem eos, qui unam operationem et naturam unam divinitatis et humanitatis ejus dogmatizant etc. » Videas ergo siquando fieri potuerit, ut s. Hippolytus tanta blasphemarit, quae in Libro anonymo leguntur; et an tanta capti sint illusione praefati Patres, qui sua scripta citarunt et hujusmodi elogiis cumularunt s. Martyrem.

Quamobrem nonne amplius hinc constiterit Anonymi perfidia? qui, sicuti titulum Operis et gradum episcopalem s. Irenaei sibi usurpavit in Refutatione haeresum, ut inde quae sibi videbantur, vel subtraheret, aut adderet, sive mutaret ac scopo praesertim mentiretur, ita deinde novissime explevit in suae fidei Confessione; ubi pro lubitu commentatus est, mutilavit, falsavit, quae fideliter et juxta orthodoxam doctrinam scripsit alter episcopus s. Hippolytus in fine Libri *Adversus haereses.*



*ıjusvis philosophiae systematis, cujusvis fidei, cujusvis aetatis, seu plagiarii, hypocritae et maledici viri notam* Philosophumenon *Auctorem praeferre ostenditur.*

ostquam praecipua in Libro anonymo tractata studiose pendimus, ejus calumnias in sanctos viros protrivimus, eıque refutavimus dogmata: et alium praeter quam antea ncupatos Ecclesiae Patres, hujus Operis auctorem haberi tefecimus; instabit quis, arbitror, rogans: quis ergo iste episcopus, summo Sacerdotio adauctus, *Verbi philantropi* *'tus discipulus philantropus?* quae istius religio, qualis fiı, cui sectae studuit, qua aetate vixit?

Fortasse judaeus? Et quidem hoc plura ex suo Opere tefaciunt indicia. Ubicumque enim de judaeis disserit, suam ga eos observantiam notat, illorum antiquitatem, atque in um pietatem. In Libro X. n. 30. Patriarcharum nomina ›etens, scribit: « *Erant autem filii Abraham septuaginta duo, ex quibus septuaginta et duae gentes, quarum nomina aliis libris exposuimus; ne hoc quidem omittentes suo loco, um mens nobis esset recte ostendendi, quam amorem in Deum beamus, et quam certam scientiam in inquisitionibus circa ·itatem afferamus.* » Hinc, nisi gente judaeum fuisse Au›rem volueris, saltem religionem judaeorum eum propuare constat, non quales aliquando fuerint, sed quales tunc ınt, cum ipse scriberet.

Si vero Libri Auctorem negaveris hebraeum; fortasse ıtonicae philosophiae discipulus erit, qui hoc Opus convit. Et sane argumenta non pauca, nec spernenda istud tendunt. Mundi namque principia, sive elementa ex hujus ilosophia statuit: de mundi *Logo* vel Ratione, de Dei simiudine in homine probo, de ordine creationis eadem di, quae Plato docuit.

Nonne et Pythagorae discipulus nuncupandus erit? utiıe. In Libro VI. c. II. n. 29. *Monadem* Philosophi ampleitur, et ait: « *Nos autem pythagoreum principium custo-*

*dientes, quod est unum sine conjugio, sine sexu, sibique sufficiens, memores, quae ipsi docent, dicemus* etc. »

Siquis autem Anonymum vocaverit panteistam, numquid errabit ? nequaquam. In Libro IV. c. V. n. 1. arguens priscos philosophiae et theologiae magistros, qui de Deo varimode disputarunt, subdit : *Nec tamen hoc universum declararunt Deum esse,* ita innuens se illis convenire, totum creatum Deum esse putantibus.

Deinde, numquid christianum negaveris Libri Auctorem ? nullo modo. Ab initio namque se Ecclesiae episcopum nuncupat, Apostolorum successorem, et eorum ministerio functum.

Si vero novatiano cuidam hoc inscribas Opus, illusione capieris ? Profecto tibi adstat, ut jure hoc praesumas. In Libro IX. c. II. n. 12. Callistum Papam corripit, istius indulgentiam erga peccatores refellit, eique insultat, *quod peccatores siverit in Ecclesia manere.*

Si quis aliter inter arianos Anonymum censuerit, forte illudetur ? nequaquam. Arii namque impietatem participat, dum inquit, *omnium Dominum potuisse hominem Deum facere, sicuti Verbum a Patre factum est Deus*, ita Dei Verbum creaturam, et in tempore factam, quemadmodum Adam a Deo creatus est, docens.

Fortasse pelagianus quidam hujus Libri auctor fuerit ? Valde utique suspicandum est. Nam in fine Libri X. n. 34. gentes hortatus, ut, quis sit Deus, et creationis ordinem cognoscant, praemia ideo illis spondet in terris, Dei familiaritatem, Christi cohaereditatem, et a cupiditatibus, passionibus immunitatem et a morbis. *Eris similis Deo : γέγονας γαρ̀ Θεὸς factus es enim Deus.*

Novissime, num, si inter schismaticos numeraveris Auctorem nostrum, aliquis tibi obstiterit ? Nemo. Totus enim istius labor in historia Zephyrini et Callisti patentissime indicat, quomodo binis Ecclesiae Romanae Antistitibus adversatus sit ; quantoque studio illorum labefactarit auctoritatem, plura adversus eos commentatus falsa, et sanctitati eorumdem valde indecora.

Quibus positis, undique patet, nec in philosophia Ano-

nymum sibi constare, nec in theologia certam prodere fidei regulam. Et hic est, qui judicavit Callistum haereticum. Et hic est, qui ejusdem in fide instabilitatem arguit. Et hic est, qui Pontificem vocat *dementem et versutum, blasphemias supra et infra dispergentem*. Et amplius de eo dicit: *dummodo non videatur contra veritatem loqui, minime eum pudet in errores Sabellii nunc, modo Theodoti incidere*. Et cuinam melius quam ipsi Anonymo hi aptantur characteres, merito a Callisti persona sublati?

Manifestius vero id patet, Operis praefatione conclusioni comparata. Ab exordio enim Christi Ecclesiam, Apostolos celebrat et episcopos istorum successores; Hierarchiam extollit: divinas Scripturas memorat; Spiritus Sancti adsistentiam in Ecclesiae regimine probat: Patrum veneratur traditionem. Et his adminiculis inquit se usurum ad refellendos errores. Nihilominus in novissimo suae emittens fidei professionem, ad quam cunctas compellat gentes, nec Evangelium, nec Ecclesiae nomen, nec ejusdem unitatem, nec Apostolos, nec episcopos, nec Spiritum Sanctum, nec apostolicam nec Patrum memorat traditionem. Neque christianorum titulum, nec Jesu intulit venerandum nomen: neque de baptismo, neque de ceteris Ecclesiae mysteriis mentionem egit: nec sanctissimae Trinitatis nomen, praecipuam fidei christianae tesseram, pronunciavit usquam.

Et quamvis, inquam, spondeat se ab illis fontibus suscepturum haereticorum refutationem, ac proinde asserat, *non nisi a Spiritu Sancto per Ecclesiam diffuso refelli haeretica dogmata*: ac paulo post subdat se, *quae idem Spiritus Sanctus ei suppeditabit, aliis sine livore communicare velle;* nullum tamen sacrum testimonium retulit, citavit, discussit, quo errantes confunderet: nullam ex synodis Spiritu Sancto congregatis protulit sententiam adversus haereses, nullam subdit Patrum disquisitionem; ac penitus apostolicam omisit traditionem. Et ipse ejusdem culpae reus (satis mirum) haereticis increpare audet, quod sacra Biblia contempserint, et sanctorum virorum traditionem; cum ipse primus talia subsidia neglexerit.

Si vero hucusque contendimus adversus Anonymi negli-

gentiam, quod nec haereses refutarit, nec certum obtulerit suae fidei characterem: saltem, quo tempore vixit, et qualem Christi ecclesiam rexit episcopus, constiterit.

Ex quibusdam sane Historiae judaicae notis Libro X c. XXI. n. 30. insertis, videtur Anonymus cujusdam ecclesiae episcopatu functus ante Jesu Christi adventum. Cum enim ait, adhuc ipso vivente, servari et ostendi mensuras et reliquias Arcae noachitae: cumque illorum personam gerat, quos testes citavit Flavius in Libro I. *Archeologiae judaicae*, Berosum chaldaeum, Hieronymum aegyptium, Nicolaum damascenum, qui Christi aetati praecesserunt, significavit se eo ipso tempore vixisse.

Item ab hoc aevo vitam suam duxisse Anonymum ultra dimidium seculi secundi videretur, quum in Libro VI. c. V. n. 1. ait Marcum haereticum tunc viventem ac refutatum non posse amplius pluribus illudere. Ea ipsa aetate ergo vivebat Anonymus episcopatum gerens. Ac ulterius vitam trahens, in seculo tertio se pugnasse ait cum Zephyrino et Callisto; ac post istius obitum Alcibiadem confutans, Constantini Caesaris pertingit aevum. Quod pertransiens, libris Theodoreti perlectis, ejusdem successisse ac insuper praetergressus fuisse videtur aetatem.

Alioquin, quoad hanc quaestionem, si in Josephi Flavii, s. Irenaei, Sexti Empirici ac aliorum, quin illos nominatim citet, transcribendis dictis, Critici notarunt tum plagium cum negligentiam Anonymi; cur non item dicendum esset de Theodoreto et Cedreno, quorum verba in Libro ejusdem citantur; et ubi eadem patefiunt incuria et confusio in rerum expositione? ut una inferatur posteriore his aetate vixisse Auctorem?

Cunctis igitur simul collectis Anonymi discussionibus, ac discrepantiis consideratis in suae fidei expositione, praesertim Operis praefatione conclusioni comparata, ubi aperte secum pugnat: idest ubi sensus orthodoxus dimicat cum neoplatonicorum dogmate, consequitur *Philosophumenon* Librum *rapsodïam* continere documentorum, diversos praeferentium auctores in philosophia et fide discordes: quorum super se assumens Auctor variam aetatem, varias opiniones,

variam fidem, amplissime ostendit, se nullius addictum esse philosophiae systemati, nulli haereticorum sectae, ac nulli religioni devotum.

Quamvis autem Anonymus glorietur se plenitudine gratiae Spiritus Sancti cumulatum in refutandis haereticis; ac saepius obtestetur, se illius Spiritus doni consortem, vera dicere; seque veritatis vindicem, ac sapientiae studio instructum nuncupet: et ubique asserat, se res bona fide enarrare: nihilominus perfidiae indicia hinc inde satis ampla patefiunt; ac etsi se Dei amicum vocet: nemo tamen in tractatu de Deo et de Verbo, magis quam iste Deo hostilis exhibetur. Proindeque concludendum, totam Spiritus Sancti gratiae plenitudinem ab eo ablatam fuisse; nec amplius veritatis amatorem et vindicem esse, quam falsitatis patrocinatorem et calumniarum magistrum.

Neque interim Criticis assentior, qui omnia, quotquot occurrunt menda in graecis Anonymi codicibus sive circa syntaxim, aut quoad vocabulorum usum, seu relate ad expositi confusionem, haec arbitrantur inscribenda esse amanuensium incuriae. Nequaquam ita sentio: sed potiori jure ea ipsi Auctori adscribenda puto; cui omnia desunt praeter mentiendi et calumniandi artificium.

Quamobrem et siquando de hujus *rapsodïae* compilatore pronunciandum mihi foret, quis nempe fuerit, putarem hanc cuidam inscribere judaeo hypocritae, et ex eorum numero, de quibus ait Dominus: *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quorum praerogativa principalis consistit in maledictis concinnandis adversus sinceros Christi adoratores et Ecclesiae suae antistites.

Postquam vero tot argumentis patefecimus Auctorem *Philosophumenon* universim proposito mentitum esse, atque nullius utilitatis hoc Opus haberi, et inter libellos famosos collocandum: quidam, puto, instabunt rogantes, quare in Germania et Anglia speciatim, pluribus ab hinc annis tanto studio a viris sapientibus disputatum est de hoc Libro? cujus sedulo investigantes Auctorem, talem repererunt, cujus in orbe christiano doctrinae fama excellebat? Cur ergo tanta cura Novatores de praefatis regionibus huic vacarunt Operi veluti eximio antiquitatis monumento?

Huic porro interrogationi facile adstat responsum. Ab [illegible] ipsius Evangelii initio, veritatis doctor Jesus Christus praesertim de pharisaeorum schola reperit, qui suis verbis obsisterent, suosque actus calumniis oppeterent, plura adversus eum falsa et injuriosa commentati. Et hoc idem ipse Jesus [illegible] discipulis suis eventurum praedixit: *si me persecuti fuerint*, [illegible] *et vos persequentur*. Et quidem, si omnes haeretici et quotquot extra ovile Christi facti, adversus Dominum et Christum ejus, idest adversus istius successores ardenti zelo quavis aetate irruperint; illorum tamen nemo tanto odio Pontificatum Romanum prosecutus est, siculi Ecclesiae Reformatores Lutherus et Calvinus, et qui postea ab hac Reformatione prodiere, rationalistae, deistae, increduli: qui his diebus praesertim, nihil intentatum relinquunt, ut Antistitis Romani personam, decus, et coelestem quavis ratione pessumdent auctoritatem.

Nihil igitur mirum, si illorum successores *Philosophumenon* Auctorem tanti fecerint: si altissimae considerationis existimarint illius tractatus: et si tam accurate Codicum emendationem et translationem aggressi, communi lectioni commendarint. In hoc enim Libro Anonymi praecipuus (per eumdem satis expositus) comprehenditur scopus, ubi ostendere conatur, quam male de Ecclesia Dei meriti sint duo Pontifices Zephyrinus et Callistus, horum patefactis vitiis et erroribus: cum ex adverso ecclesiastica traditio huc usque inter sanctos viros, morum sanctitate conspicuos, et fide integerrimos et martyrio gloriosos ambos incessanter praedicaverit.



# INDEX

CAPUT VII.



CAPUT VIII.



CAPUT IX.



CAPUT X.



CAPUT XI.



CAPUT XII.

# APPENDIX SECUNDA

DILUUNTUR ANIMADVERSIONES

## CC. DOCTORUM FREPPEL, SCHEEBEN ET HERGENRÖTHER

IN RECENSIONEM DOCTRINAE ORIGENIS

**ET HISTORIAE SYNODI V.**



## APPELLATIO AD THEOLOGOS

**PRO RECOGNITIONE CAUSAE ORIGENIANAE**

PER

**ALOISIUM VINCENZI**

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM






ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

1869.

*Tu igitur, Domine fili, praecipue attende divinarum Scripturarum lectioni, sed attende; multa enim attentione nobis, qui divina legimus, opus est, ne de iis aliqua inconsideratius dicamus, aut sentiamus.*

Origenis Epistola ad Gregorium.

## CAPUT I.

### *A c. Professore Freppelio objectis responsum.*

Vir c. Freppelius in notis Tomi I. Libri inscripti *Origène, Cours d' eloquence sacrée* p. 404. adversus thesim a me discussam in cc. XVII. XVIII. Tomi II. ex quibusdam locutionibus *Periarchon* Libri II. c. IX. n. 7. adstruere nisus est, Origenem reapse animarum admisisse praeexistentiam, easque, priusquam in hunc mundum venirent, liberos actus exercuisse, unde variam hïc sortitae sunt conditionem. Proindeque statuens numquam Auctorem se prorsus immunem gessisse a Platonis placitis de animarum ortu, mihi exprobrat negligentiam, quod talia praeterivi dicta in citato Libro II. atque alia hujus generis plurima, quibus aperte (ipse ait) hoc Platonis ab eo defenditur dogma. Ex. g. « *Invenitur non esse injustitia, quod et in ventre fratrem suum supplantavit Jacob, si ex praecedentis videlicet vitae meritis digne eum dilectum esse sentiamus a Deo. Telle* (scribit Freppelius) *est pourtant la thèse, che M. Vincenzi professeur à la Sapiènce, s' est chargè de soutenir dans una apologie récente d' Origène. Il est vrai, le docte Critique ne cite pas le texte, che nous venons de reproduire, pas plus che d' autres non moins concluants.* » Deinde alia citat clariora (ipse dicit) testimonia: *Justitia Creatoris, ut mihi videtur, ita demum lucidius ostendetur, si causas diversitatis unusquisque vel coelestium, vel terrestrium vel infernorum in semetipso praecedentes nativitatem corpoream, habere dicatur* (Lib. II. c. IX. n. 7). *Non intra hujus seculi vitam dispensatio humana concluditur, sed futuri status causam praestat semper anterior meritorum status.* (Lib. III. c. I. n. 17). Non advertentes (valentiniani) quod ex praecedentibus liberi arbitrii causis instituta fuisset a Deo dispositionis ista varietas (Lib. III. c. V. n. 5). Et hinc concludit: « *Toute critique sérieuse devient impossible, lorsq' on aborde les ouvrages d' un auteur avec le parti pris, soit de le denigrer, soit de faire son apologie.* »

Interim nemo nesciat, me in hac discussione (omissis ceteris de anima quaestionibus tunc in Ecclesia agitatis) adversus Freppelium contendere speciatim ob ea, quae scribit de Origenis convenientia cum Platone quoad animarum corporibus praeexistentiam, earumque liberos actus exercitos priusquam in corpora venirent. Quare paulo ante p. 403. praemiserat: *Si les hommes naissens dans des conditions inégales, c'est qu'ils ont mérité leur sort par les actes d'une vie antérieure à celleci.* Paulo post pag. 406. *C'est aux oeuvres accomplies dans une vie anterieure à celleci, que nous devons chacun notre condition présente.* Et ita putans Auctor pergit in sua thesi platonicam Origenis corripiens opinionem de animarum praeexistentia.

His notatis, incipiens ex cap. IX. Libri II. *Periarchon* (ubi ex textus graeci defectu nonnulla obscura videntur) rogo ego: quo tendit Origenis discussio? Loquitur ne revera de animarum praeexistentia, vel potius de Dei praescientia et hinc de sua providentia? Origenes in praemissis contra marcionitas valentinianos, et basilidianos docet creaturas rationales angelicas arbitrii facultate a Deo donatas esse, unde earum quaedam ad bonum provectae sunt, aliae ad malum declinarunt; ut inde deducat quid putandum sit de homine rationali relate ad suum in hoc mundo liberum statum et relate ad eosdem angelos: « Et haec (ait n. 6.) extitit causa, sicut antea et jam diximus, diversitatis inter rationales creaturas, non ex conditoris voluntate vel judicio, originem trahens, sed propriae libertatis arbitrio. Deus vero, cui jam creaturam suam pro merito dispensare justum videbatur, diversitates mentium in unius mundi consonantiam traxit: quo velut unam domum (in qua inesse deberent non solum vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam) ex istis diversis vasis vel animis, vel mentibus ornaret: et has causas, ut arbitror, mundus iste suae diversitatis accepit; dum unumquemque divina providentia pro varietate motuum suorum, vel animorum propositique dispensat. Qua ratione neque Creator injustus videbitur, cum secundum praecedentes causas pro merito unumquemque di-

stribuit: neque fortuita uniuscujusque nascendi vel felicitas vel infelicitas putabitur, vel qualiscumque acciderit illa conditio: neque diversi creatores, aut diversae naturae credentur animarum. » (*).

Hinc interim constat, Origenem ita docentem de *creaturis rationalibus*, in his tum angelos tum homines comprehendere, quorum describit varium futurum statum post creationem, quippe positi sunt in sui juris libertate. Quare praevidens, illorum quosdam in bonum proficere et alios in malum declinare; hunc ideo mundum ita disposuit, quasi domum, in qua vasa aurea et argentea et fictilia collocantur: ubi idest ex liberi arbitrii usu boni cum malis admixti essent: ut inde concludat hujus mundi varietatis causas ex liberis creaturarum rationalium motibus derivasse. Quas causas ideo praecedentes vocat; quia cum nondum essent creatae istae naturae liberae, Deus, cui omnia aperta sunt, praevidit harum diversum futurum statum et hinc quoque hujus mundi varietates. In hoc enim *mundi* vocabulo omne comprehendit, quod in coelis est, supra coelos, vel super terram ac infra terram, ac cunctos, qui in eis sunt. Et hinc, ait, sicuti Deus cuncta praevidit, quae eventura erant in his rationalibus creaturis, priusquam acciderent, ita providit in sua misericordia, remedia eis praestans, qui curari possint. Quae cum ita sint, et sic intelligantur istae praecedentes causae, non video quomodo applicandae sint opinioni de animarum corpori praeexistentia, ut vult c. Freppelius.

Ast ad sequentia adeamus, ubi specialia notantur ab eo Origenis dicta pro sua thesi: « Verum (inquit n. 7.) ne Scriptura quidem sancta videtur mihi penitus arcani hujus tacuisse rationem; sicut cum Apostolus Paulus de Jacob et

(*) De creaturis rationalibus generice locutus Origenes in *Periarchon*, quas nunc *mentes* modo *animas* dicit, in his comprehendens et angelos et homines, cum contra Basilidem et alios haereticos diversas harum naturas statuentes (Lib. II. c. IX) secus docet et (Lib. III. c. V. n. 4.) statuit *unius esse naturae*, hoc tantum voluit, quod ipsae a Deo commune habuerint cogitare, intelligere, libere agere, boni malique esse capaces, convertibiles etc. seorsim ab irrationalium substantiarum conditione.

Esau disputans ait: *Cum enim nondum nati fuissent, neque egissent aliquid boni vel mali (ut propositum quod secundum electionem Dei factum est, permaneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori.* » Et ita sequitur Origenes citans et exponens, quae ait Apostolus in cc. VIII. et IX. ad Romanos: ubi omnium Patrum consensu agitur de praedestinatione; in quod argumentum et ipse Origenes incumbit. Nihilominus Freppelius aliter hujus discussionis scopum interpretatus, ad animarum praeexistentiam transtulit; cui non convenio.

Et primum, si ex hac Origenis de Jacobo et Esau disquisitione talis inferretur doctrina, tunc sequeretur Apostolum (cujus verba et mens ab eo explanantur) Platoni convenisse, quod est absurdum. Item, si inde inferenda esset animarum praeexistentia, idest, ut vult Freppelius, quod animae, priusquam in corpus venirent, jam creatae, actus liberos vel bonos vel malos elicuissent, ac deinde corpora terrena induissent, tunc sequeretur non solum animas hominum sed et angelos et daemones, priusquam a Deo crearentur, jam creationi praeextitisse, ita ut creaturae Creatori praecessissent in ordine creationis, quod similiter est absurdum. Ait namque Origenes: « Eadem enim, et mihi videtur, quae de Jacob et Esau quaestio proponitur, haberi etiam de coelestibus omnibus et terrestribus creaturis, et de infernis potest. Et similiter mihi videtur, sicuti ibi ait: *cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid egissent boni vel mali;* ita etiam de ceteris omnibus dici posse: *cum enim nondum creata essent, neque egissent aliquid boni vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneat* (sicut putant quidam) facta sunt illa quidem coelestia, haec autem terrestria, et alia inferna, non ex operibus, ut putant illi, sed ex eo, qui vocavit. » Ex quibus verbis cum penitus excludatur animarum praeexistentia secundum Platonis mentem, hinc necessario excluditur quoque ex successiva discussione, ubi c. Censori visum est hanc fabulam admisisse Origenem.

Et re quidem vera: « Igitur (subdit) sicut de Esau et Jacob diligentius perscrutatis Scripturis invenitur, quia non

est injustitia apud Deum, ut, antequam nascerentur, vel agerent aliquid in hac vita, diceretur, *quia major serviet minori;* et ut invenitur non esse injustitia, quod et in ventre fratrem suum supplantavit Jacob, si ex praecedentis (praecedentibus) vitae meritis digne eum dilectum esse sentiamus a Deo, ita ut fratri praeponi mereretur; ita etiam de coelestibus creaturis: si advertamus quia ista diversitas non creaturae principium sed ex praecedentibus causis pro meriti dignitate diversum singulis a Conditore ministerii paratur officium etc. » Si e verbis *praecedentibus vitae meritis*, vel *ex praecedentibus causis,* aut sicuti paulo post, *unumquemque coelestium, terrestrium et infernorum in semetipso habere causas praecedentes nativitatem corpoream*, redarguit Freppelius in Origene animarum praeexistentiam; tunc non solum Jacobi et Esau animam vitae eorum praeextitisse, actusque elicuisse priusquam veniret in corpus, consequeretur; sed etiam coelestes sive angelicas creaturas, priusquam a nihilo a Deo crearentur, sive priusquam essent, jam extitisse concludendum foret: quod item est absurdum.

Similiter Freppelii argumento nil conferunt adminicula sibi comparata a Libro III. *Periarchon* c. I. n. 17. et c. V. n. 5. Ex c. I. haec citat: *Non intra hujus seculi vitam dispensatio humana concluditur, sed futuri status causam praestat semper anterior meritorum status.* Quae verba prorsus aliter indicant quam animarum praeexistentiam. Praeit ibi Origenes, docens Deum omnia cum justitia moderantem pro singulorum meritis et causis regere immortales animas: « Dum non intra hujus seculi vitam dispensatio humana concluditur, sed futuri status causam praestat semper anterior meritorum status, et sic immortali et aeterno aequitatis jure et moderamine divinae providentiae, immortalis anima ad summam perfectionis adducitur. » Hinc cernitur, talem anteriorem meritorum statum non respicere animas priusquam veniant in corpus; ast praesentem in hac vita earum conditionem relate ad futurum seculum; ubi anima juxta actuum suorum merita a Deo retribuetur. Et ob hoc docet Origenes, cum sit immortalis anima et in vita futura maneat, Deum pro sua sapientia cuncta, etsi varimode, mo-

derantem in hoc seculo, ita tamen omnium prospicere saluti, ne cuique sit in seculo futuro querela adversus suam providentiam et justitiam.

Eamdem porro illusionem passus est c. Censor ad alterum lectorem provocans testimonium ex Libro III. *Periarchon* c. V. n. 5. 6. ubi ea pariter innovantur in praecedentibus libris discussa de Dei praescientia circa varium rationalium, idest angelorum et hominum in hoc mundo statum et ordinem, et circa mutuam eorumdem relationem: « Hanc ergo, inquit, dispositionem Dei, quam postea ordinavit, scilicet ut unaquaeque creatura rationalis (angeli et homines) in se habeat causas, quod in illo vitae ordine posita sit, jam tunc ab origine mundi, rationibus causisque perspectis eorum, qui vel pro defectu mentis venire in corpora merebantur, vel eorum, qui visibilium cupiditate raptabantur, sed et illorum, qui vel volentes, vel inviti praestare officia quaedam his, qui in hunc statum deciderant, compellebantur ab eo, qui in spe subjiciebat, non intelligentes quidam, nec advertentes, quod ex praecedentibus liberi arbitrii causis instituta fuisset a Deo dispositionis ista varietas, arbitrati sunt vel fortuitis motibus vel fatali necessitate agi omnia, quae in hoc mundo fiunt, nec esse aliquid in nostro arbitrio: unde nec Dei providentiam inculpabilem assignare potuerunt. Sicut autem diximus, quia multis vel ministris vel rectoribus vel auxiliatoribus eguerunt animae omnes, quae in hoc mundo versatae sunt; ita etc. » Igitur, cum constet apertissime in hoc loco agi de angelorum cura erga homines ex divina dispositione, si *ex his praecedentibus liberi arbitri causis* inferenda sit animarum praeexistentia, tunc sequeretur, virtutes coelestes idest angelos praeextitisse virtutibus coelestibus idest angelis; et animas vel homines praeextitisse animabus vel hominibus; seu potius has creaturas suae praeextitisse creationi.

Cum autem opinetur Origenes virtutes coelestes de mundo superiori in hunc mundum descendisse ante Salvatoris adventum, ac ibi varias subiisse sortes et specialim curam in regimine et auxilio animarum nostrarum: nec tamen inde eruendum est ipsum confudisse angelicarum vir-

tutum dotes cum animarum proprietatibus: vel dixisse angelos conversos in animas hominum. Seorsim enim has consideravit creaturas Origenes. Tantummodo harum expendit relationem cum aliis quoad actus proprios erga alias, in regimine nempe et auxilio angelorum praestando hominibus; sub quorum tutela a Deo constituti erant; sicuti successive manifeste docet.

Item ad eamdem quaestionem reducuntur, quae pro firmanda sua thesi circa Origenis errorem de animarum praeexistentia, refert Freppelius ex Libro III. *De libero arbitrio* c. I. n. 20. 21. ubi eadem innovantur saepius repetita de divina praescientia actuum rationalis creaturae, quin ullimode laedatur nostrae voluntatis libertas: et ubi manifestissimis supra cetera, argumentis excluditur altera quaestio de praeexistentia. Sicuti enim in praefatis, excutit Origenes verba apostolica: *Jacob dilexi; Esau autem odio habui. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea*, *sed et lignea et fictilia; et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam*. Et ostendit talis varietatis non esse causam hujus mundi Opificem: « Facit enim vasa honoris et vasa ignominiae, non ab antea secundum πρόγνωσιν praenotionem: quia per hanc nec praecondemnat, nec praejustificat. Sed vasa honoris facit eos, qui se expurgarint; vasa vero ignominiae, qui vitiorum suorum sordes abstergere neglexerint; ita ut, priusquam fingantur vasa in honorem et vasa in contumeliam, antiquiores causae extiterint, cur alius fiat in honorem, alius in contumeliam. Si autem semel admittimus ex praecedentibus quibusdam causis aliud esse vas honoris, aliud vas contumeliae, quid absurdi fuerit, ad locum de anima recurrentes (dicere) ex praecedentibus causis dilectum fuisse Jacob, priusquam corpus assumeret, et odio habitum fuisse Esau, antequam in utero esset Rebeccae? » (*).

(*) Ut autem magis innotescat, ab Origene in Scripturae verbis: *Jacob dilexi*; *Esau autem odio habui*, excludi sensum de animarum praeexistentia deque earum actis elicitis, antequam veniant in corpus, suffragatur, quod ait in libello *De oratione* n. 5. « Quas enim preces

Quamobrem Adamantii citata verba *si ex praecedentis videlicet vitae meritis* ex Libro II. c. IX. n. 7. in quae c. Censor pro sua thesi incumbit quam maxime, ea non solum explananda sed et emendanda sunt ex aliis ejusdem generis dictionibus hïc et alibi iteratis. Hïc enim paulo ante et paulo post legitur *secundum praecedentes causas, ex praecedentibus causis, causas nativitati praecedentes.* Quae formulae etsi eadem relatione ac prius citatae usurpentur ab Origene; obscura vel dubia tamen ista apparet sic *ex praecedentis vitae meritis* expressa. Ideoque tam ista quam illae revocandae sunt ad sequentem Librum III. n. 20. 21. ubi idem tractatur argumentum, et ubi adhuc perstat textus graecus: « Quod si semel, ait, admittimus esse quasdam ἀιτίας πρεσβυτέρας *causas antiquiores* aut *praecedentes* ut aliud sit vas honoris et aliud contumeliae, quid absurdi fuerit ad locum de anima recurrentes dicere πρεσβύτερα ἀιτία *ex causa praecedenti* dilectum fuisse Jacob, priusquam etc. »

Et haec ipsa formula graeca saepe hïc repetita latine reddita *praecedens causa,* vel *praecedentes causae*, referenda est ad citatum testimonium Libri II. ubi idem tractatur argumentum. Ac propterea non est acceptanda uti genuina lectio, *si ex praecedentis videlicet vitae meritis digne etc.* verum emendanda est et exponenda ex graeco textu citati Libri III. ubi legitur: « Sicut rursus fieri potest, ut qui διὰ πρεσβύτερα τούτου τοῦ βίου *ex causis hac vita antiquioribus* factus sit hïc vas contumeliae etc. » ubi idem scopus, idem sensus, et eadem idcirco graeca dictio. Ac ideo non legendum est *ex praecedentis videlicet vitae meritis*, sed *ex causis huic vitae praecedentibus*, excluso quoque vocabulo *meritis;* quod in textu graeco desideratur, ac alterum tantummodo occurrit ἀιτία *causa.*

Itaque cum sibi consectarius doceat Origenes *antiquio-*

obtulerat Iacob, de quo, antequam nasceretur, praedictum est fore ut superaret Esau; ipsi quoque serviret frater? Quid impie gesserat Esau, ut odio haberetur nondum natus? » Si nihil mali, antequam nasceretur, Esau egit, unde ergo repetitur causa illius reprobationis ex actis animae suae elicitis priusquam veniret in corpus?

*res causas extitisse*, nequaquam indicat animas antiquiores praecessisse corpori; et, hac stante praecedentia, actus liberos exercuisse, ut fierent vasa in honorem vel in ignominiam: ast sibi vult, Deum juxta praenotionem rerum futurarum praevidere in creaturis rationalibus, quae ex proprii arbitrii usu, bene vel male expleturae forent, priusquam nascerentur. Quam discussionem optime concludit in sequenti n. 22. ubi Apostoli dicta concilians scribit: « Neque libertas nostra sine scientia Dei, neque scientia Dei nos proficere cogit, nisi ad bonum ipsi aliquid conferamus; cum neque libertas nostra sine scientia Dei et sine usu dignitatis arbitrii nostri faciat, ut in honorem aliquis vel ignominiam fiat: neque sola Dei voluntas in honorem aut ignominiam quemquam faciat, nisi materiem quamdam differentiae habeat, nostram voluntatem, quae in deteriora vel meliora propendeat. » Quae verba cum satis accommodentur dogmati catholico, arguunt Freppelium, qui frustra laboravit: quum hinc idest ex rationalium creaturarum arbitrio, Deique praescientia futurorum, probare nisus est animarum praeexistentiam suorumque actuum liberum exercitium, priusquam in hoc corpus venirent; et ita adstruere, Origenis de hac re doctrinam placitis componi Platonis.

Praeterea c. Censor in hac thesi non solum extra argumentum traduxit Origenis mentem, quum allata testimonia non praeexistentiam animarum spectarent, immo Dei praescientiam circa futuram rationalium conditionem: ast nec considerasse videtur quoque, Origenem absolute huic Platonis repugnasse doctrinae, praesertim in Libro IV. contra Celsum. Docens enim in n. 40. in Adamo et Eva considerari universum humanum genus, et in horum peccato omnium maledictionem, addit: « Item quod homo et muliere paradiso ejecti sunt, induti tunicas pelliceas, quas illis propter ipsorum peccatum Deus fecerat, id mysterium quodquam continet multo praestantius, quam quod Plato tradit de anima, evulsis alis, huc cadente, donec aliquid solidum nanciscatur, ubi consistat. » Platonis verba ita sonant: « Cum vero ei (animo, qui totum curat inanimatum) alae defluxerint, fertur donec solidum quidpiam comprehenderit: ubi

habitaculum nactus, corpus terrenum suscipit. » Hinc videas siquando Origenes potuerit Platonem sibi concordem nuncupare in quaestione de anima.

Deinceps vero in n. 83. manifestius hoc indicatur: ubi ideo Celso increpat Origenes, quod Platonem imitetur circa animae ortum: « Sed fortasse Celsus, qui Platonem in plerisque imitari amat, per haec obscure indicat, similes esse omnes animas, nec humanam inter et formicarum aut apum animam ullum esse discrimen. Quod quidem illius est deducentis animam ἀπὸ τῶν ἀψίδων τοῦ ὀυρανοῦ a fornicibus coeli non solum in humana, sed etiam in reliquorum animalium corpora. His vero christiani nullimode assentientur: qui didicerunt hominis animam ad imaginem Dei factam esse; et sciunt non posse fieri, ut natura ad imaginem Dei condita, deletis omnino ejus characteribus, alios induat in bestiis ad nescio quorum imagines factos. »

Cum iterum Celso exprobret Origenes tum animae humanae e coelis descensum, tum ejusdem transmigrationem in animantium corpora juxta Platonis mentem; ac amplius luculenter asserat christianos ab his abhorrere opinionibus, nescio cur Freppelius instet putans Origenem Platonem sequi circa animarum existentiam earumque actuum exercitium priusquam in corpora veniant. Eoque magis quod Origenes et in hoc loco et alibi saepius inquit animam ad imaginem Dei creatam esse, Geneseos verba repetens secundum veterum Patrum sensum, de ejusdem animae initio, exposita: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ac propterea in eodem Libro IV. n. 37. Celsum corripit quod verba *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae,* in sensu proprio interpretetur, quasi Deus, sicut in utres insufflatur, insufflasset in faciem Adami: « Quod, subdit Adamantius, figurate dictum explicatione indiget, quae probat, Deum homini impertitum esse spiritum incorruptibilem, juxta quod dictum est: *incorruptibilis autem spiritus tuus in omnibus.* » Ex quo sermone non solum animae tunc initium, et non antea creatae, in Adamo probatur; sed illud explicatur, quomodo et ipse Origenes ex Scripturae more dixit de animae calore et refrigeratione erga Deum, non

quod νοῦς mentis substantia mutetur in ψυχή animam idest in frigus, eaque propter a coelis dejiciatur in terram : quasi ea verba non metaphorice ab Auctore, ast proprie usurpata forent. Quod et alii adhuc putant, quamvis plurima exempla a me allata sint adversus hujusmodi interpretationem: cum tamen sufficeret contextus, ne dicatur mens, in sensu proprio ab Origene capta, in coelis frigescens descendere in terram, ac denuo e terra incalescens in coelos ascendere; et iterum frigescens a charitate descendere, in terram, et sic in perpetuo gressu et regressu versari: quod cogitare stultum est. Confer. c. VIII. Libri II. *Periarchon.*

Ideoque quum Censor mihi exprobret, inquiens. *Toute critique sérieuse devient impossible, losqu' on aborde les ouvrages d' un auteur avec le parti pris, soit de le dénigrer, soit de faire son apologie*, retorqueo argumentum; et ajo ei potius jure quam mihi talia accommodari dicta. Cuncta enim Origenis testimonia ab ipso allata circa animae praeexistentiam juxta Platonis placita, ut ipse putat, ne unum quidem satisfacit proposito.

Nihilominus haud est transigendum, quod s. Pamphilo visum est de hac quaestione. Idest, num ipse putarit, Origenem revera animarum praeexistentiam admisisse secundum Platonis opinionem ex iis, quae scribit in fine cap. VIII. Apologetici: *Nunc ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quae ei de anima objiciunt, idest quod ante corpus eam factam dicat existere.* »

Si Pamphilus in Origenis libris et praesertim in *Periarchon* perspicuam ex Platonis sensu doctrinam de animarum praeexistentia legisset; cur de hac re respondens istius criminatoribus, haudquaquam eis convenit, sed longam adposuit discussionem circa varias illius aetatis sententias. Si enim reapse Origenes, ut supponunt adversarii, in genuinis ipsius codicibus hanc propugnasset opinionem; non est verisimile, s. Martyrem aut ignorasse, vel neglexisse vel inficiatum esse, quae de hoc argumento hic illic discussit Auctor: cum secus ab adversariis redargutus esset.

Secundo, paulo post Pamphilus illius Commentarium Epistolae ad Titum citans ait, non esse haereseos culpandos,

qui ex. g. rationem animae humanae exquirat: cum de ea, neque quod ex seminis traduce ducatur, neque quod honorabilior et antiquior corporum compage, tradiderit regula ecclesiastica; propter quod multi nec comprehendere potuerunt, qualiter sentiri oporteret de animae ratione. » In quibus dictis non suam sed aliorum expressit opinionem, quasi diceret: cum nihil definitum sit de anima ab Ecclesiae traditione, disputatur, num ut haereticus corripiendus sit, siquis asserat vel ex traduce animam propagari, aut corporis praecedere compagi.

Tertio, postquam Pamphilus quorumdam recensuit illius aetatis sententias inter se varias circa animae principium, ipsius Origenes opinionem ita concludit: « *Ipse autem fatetur unius substantiae esse omnes animas, et immortales ac rationabiles, liberi arbitrii et voluntatis: judicandas quoque esse pro his, quae in hac vita gesserunt; esse tamen eas factas a Deo, qui universa creavit et condidit.* Qua definitione sedulo expensa, cum ait animas rationales a Deo factas, et judicandas pro his, quae in hac vita gesserunt, excluditur anterior earum vita, quam ex Platone in coeli apsidibus vivebant; et ubi ex suo jure libere operabantur, priusquam in hoc descenderent aevum. Cum igitur ita testetur Pamphilus de Origenis opinione, eruitur nec illum platonicum dogma de animarum praeexistentia propugnatum legisse in istius libris; nec ideo merito eidem ab adversariis hujusmodi inscriptum esse errorem.

Ita porro statuendum esse de Origene, suffragantur nobis quae scribit in Tomo VI. n. 7. *In Joannem* ex verbis, *Elias es tu*? etc: « Praecipue vero atque alio tempore inquirenda est diligentius, et diutius indaganda ratio de substantia animae, deque principio formationis ejus atque ingressu ipsius in hoc corpus terreum. Indagandum etiam quid injunctum sit vitae uniuscujusque animae atque de ejus recessu ex hac vita . . . . In quibus necessario ponendae erunt rationes eorum, qui volunt ex Scripturarum auctoritate, ut anima simul cum corpore seminetur, et quae sequuntur ipsas. Et ut semel dicam, oratio de anima, copiosa alioqui, et ad interpretandum difficilis, si undequaque

colligi debeat ex his, quae sparsim posita sunt in Scripturis, proprium requirit opus. »

Quamvis vero Origenes haec doceat circa animae essentiam ejusque ingressum in corpus quippe expositu difficilia: attamen sensus illius non solum sejungitur a Platonis opinione, sed ex adverso ubique accedit Scripturarum auctoritati, quam jure ait se, et Platonis et aliorum philosophorum placitis praeferre: et speciatim confugiens ad Geneseos dicta: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae.* In quorum verborum expositione veterum Patrum secutus sententiam, satis satisque significavit, non antea creasse Deum animam quam existeret corpus: « Artifex enim animae, inquit, cum eam *primum* conderet, dixit: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* » Si *primum* tunc creavit Deus animam, quando ait *faciamus hominem* etc. excluditur tempus huic creationi praecedens. Sed non tantum in Adamo una cum corpore condidit animam suam, sed et hanc in posteris ejus dicit eadem ratione Deum infudisse: « Quia Deus (Homilia II. n. 1. in Hieremiam) bonam vitem plantavit animam hominis; sed unusquisque conversus factus est divinae voluntati contrarius. » Alibi subdit duas substantias Deum creasse eodem tempore in homine, *animam et corpus, hominem exteriorem et interiorem, mortalem et immortalem.* De reliquis conferantur a me discussa in Tomo II. c. XVIII.

Ideoque cum ait Origenes expendendam esse a Scripturis animae notionem, luculenter declarat, nec a Platone hanc repetendam, nec ejusdem amplectendam opinionem speciatim quoad illius praeexistentiam, cum nedum Scriptura obstet, sed et hanc refutet, quemadmodum ex praefatis testimoniis ostendimus. Et sane in Prologo *Periarchon* n. 5. inter ea, quae enucleanda sibi proponit, animae quoque pertingit quaestionem: « Num scilicet ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an vero aliud habeat initium, et hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum: vel certe si extrinsecus corpori inditur nec ne, non satis mani-

festa praedicatione distinguitur. » Quod plane significavit in Libro II. c. VIII. n. 1. docens omnibus animantibus inesse animas, et hinc de homine inquit: « Jam vero de isto, quamvis nullum dubium sit, nec requirere aliquis possit; tamen et Scriptura divina designat, quod *Deus in faciem ejus inspiraverit spiramentum vitae; et factus est homo in animam viventem.* » Proindeque sive ex praemissis in Prologo, sive ex successiva discussione, quaestionem de animabus corpori praeexistentibus, omnimode amovit Origenes, nec hanc proponere voluit quippe a suo sensu alienam. Ac solummodo incumbit in Moysis verba asserentis, Deum inspirasse in faciem ejus spiraculum vitae, et factum esse in animam viventem. Quaerit nempe tantum, quomodo anima inseratur humano corpori, an per traducem, vel extrinsecus potius sit ejusdem initium.

Et hinc insuper factum est, quod Origenes deinde aetate provectus adversus Celsum disputans de animae conditione, cum iste illudendi causa Christi doctrinae, diversas et stolidas veterum philosophorum, in quibus Platonis, repetat opiniones, alter secus obtestetur inquiens, se cum Christi Ecclesia ab illorum commentis abhorrere, sicuti in praecedentibus dictum est. Ac ideo, etsi de anima relate ad ejus ingressum et unionem cum corpore, et praecipue ad ejusdem infusionem in Adami posteris, non visus sit quidquam certi affirmare: nihilominus numquam Platonis consensit placitis et aliorum circa animarum praeexistentiam earumque actus liberos elicitos, priusquam in corpora veniant.

Siquis vero quamdam instituere velit analogiam inter Platonem et Auctorem circa varium animae statum per descensionem expressum vel ascensionem, aut per fervorem, aut frigus, et per alia hujusmodi: attamen sciat numquam ista in sensu litterali usurpasse nec intellexisse Origenem, sed allegorica, veluti dixi, ratione. Quod perspicue significavit in Libro VI. n. 23. contra Celsum, qui ad judaeos et christianos incusandos, Platonis et mithriaca persarum mysteria intruserat. Ait enim: « Quod siquis de animarum in res divinas ingressu habere velit quid arcanius, quo ad hanc contemplationem excitetur; illudque ducere non ex obscu-

rissima secta, quam Celsus consuluit, sed aut ex libris, quos in synagoga judaei legunt et admittunt christiani, aut ex libris christianorum tantum; legat is ea quae Ezechiel sibi visa fuisse scribit in fine prophetiae. Ibi describuntur diversae portae, quibus indicantur quaedam de vario diviniorum animarum ad meliora introitu. Legat et in Apocalypsi Joannis, quae ibi de civitate Dei Hierusalem coelesti, de fundamentis, de portis ejus dicuntur. Et, si viam ad res divinas euntium per symbola indicatam discere potest, legat Moysis Librum *Numeri* inscriptum etc. »

Ceterum de praefatis formulis ab Adamantio usurpatis quoad animam corpori sociatam in suis liberis actis exercendis usque dum hanc degit vitam, repetantur superius a me expensa in Tomo II. ubi prae ceteris notatum est, quomodo ipse, Scriptorum sacrorum more, *animam* saepissime pro *homine* comprehendat: vel potius hoc vocabulo utatur pronominis loco *ego*, *tu*, *ille*, etc. Ac ideo varios considerans actus nostros erga Deum, alias dicit *animam*, alias *hominem* per vitia descendere a Deo: quandoque *hominem* quandoque *animam* per virtutes ad Deum ascendere: adeo ut absurdum foret, si hujuscemodi locutiones in sensu proprio juxta platonicos exponendae forent.

Quamobrem, cum me negligentiae arguat c. Freppelius, quod plura Origenis documenta, ubi animarum platonica propugnatur praeexistentia, omiserim, in hoc quoque retorqueo argumentum. Et non solum dico, me satis ea expendisse et quidem contra sensum suum, ut videre est in cc. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. et XX. Tomi II. sed et istud adjiciam, ipsum plura a me citata ab Origenis libris testimonia adversus hanc Platonis opinionem, praetermisisse penitus: quae non erant omittenda.

Cetera Origenis placita in duobus Tomis a c. Censore et a me pariter discussa, et praesertim dogmata de *palingenesïa* seu regeneratione, de resurrectione, de vita futura, de daemonum et reproborum poenis numquam desinendis, a Magistro alexandrino tractata juxta evangelicam et apostolicam doctrinam (et ubi mutuus inter nos intercedit dissensus) sapientum judicio commendantur. Sexaginta Origenis

testimonia, quibuscum rite explanantur Christi verba: *in regeneratione cum sederit Filius hominis* etc. et totidem sexaginta ejusdem documenta, quae fidem catholicam firmant de aeternitate poenarum in altera vita reprobis et hominibus et daemonibus inflictarum, cuivis satisfactura puto, qui studiose praefatas suscipit legendas quaestiones, saepius ab ipso summo ingenii acumine adversus haereticos fideliter expeditas: unde merito ei inscriptum fuit nomen *haereticorum malleus*.



## CAPUT II.

### *Dubia diluuntur a c. Professore Scheeben objecta.*

ı primis gratias debitas clarissimo Professori rependo, quod ›us meum in Origenis defensionem editum honorifica meoria prosecutus sit. Cum autem universim meis disquisi›nibus pro tanti viri doctrina exactis conveniat; nonnulla men, a mea opinione discedens, in ejusdem libris repro›nda notavit ceu dubia, vel falsa, vel erronea, quae aliter ihi visa sunt exponenda. Notavit quidem non ex sua sed ›tius ex aliorum sententia, quibus visum est veterum tueri ›iniones adversus scholae alexandrinae Magistrum.

1. Ac interim c. Censor mihi objicit, quod in expedienda rigenis doctrina de divinae Trinitatis Mysterio, erroneas ıasdam ipsius sententias, ac vocabula minus apta neglexem, quae hucusque eidem imputantur. Idcirco universim ›jectioni respondens, dicam: si s. Pamphilus ob oculos ha›ns integros Origenis graecos codices ac praesertim *Periar›on*, nequaquam errantem reprobavit virum in hujus Myerii doctrina: quinimmo a criminatoribus vindicavit; qua› hoc ipsum sine temeritatis nota ausus essem? Si s. Gre›rius neocaesariensis, Dionysius alexandrinus, et s. Athanaus nec errantem Origenem, nec minus apta huic dogmati ›cutum refutarunt; nec ego audebo. Ex. g. Quid erroneum ›peritur, aut qualis incerta locutio in verbis Homiliae V. ı *Exodum* n. 3? « Denique cum confitearis unum Deum, ıdemque confessione Patrem et Filium et Spiritum San›um asseras unum Deum, quam tortuosum, quam difficile, uam inextricabile videtur hoc esse infidelibus! » Item in ›quenti Homilia VI. n. 5. dicit: « Nullus ergo in diis similis omino: nullus enim invisibilis, nullus incorporeus, nullus ımutabilis, nullus sine initio et sine fine, nullus creator mnium, nisi Pater cum Filio et Spiritu Sancto. » Et quid ac confessione coruscantius?

Circa porro hanc quaestionem ob oculos habendum est uod notavit in Libro IV. *Periarchon* n. 28. de Verbo Patri

coaeterno ejusque aeterna generatione: « Hoc autem ipsum quod dicimus, quia nunquam fuit, quando non fuit, cum venia audiendum est; nam et ipsa nomina *quando* vel *numquam* temporalis vocabuli significantiam gerunt. Super omne autem tempus et supra omnia secula et supra omnem aeternitatem intelligenda sunt ea, quae de Patre et Filio et Spiritu Sancto dicuntur. Haec enim sola Trinitas est, quae omnem sensum intelligentiae non solum temporalis, verum etiam aeternalis excedit. » Et hoc idem dicit in Libro I. c. III. n. 4.

Quapropter, si nonnullae locutiones circa hoc Mysterium, primo intuitu erroneae videantur, non per se, nec seorsim a contextu et a locis parallelis abstractae exponendae sunt; sed simul collatis, definiendus illarum sensus est, potissimum intento Auctoris conceptu in vocabulorum usu, quorum significatio non aliunde sed ab ipso est investiganda. Ideoque quae Origeni objiciuntur, aut ficta sunt, et ab eo aliena: aut partim praeclarissimum habent sensum, si recte exponantur, et cum aliis dictionibus apte concilientur. De reliquo, post tantorum virorum Marani, Bulli et aliorum studium in vindicando Origenem ab errore circa Trinitatis doctrinam (accepta ingenua Ruffini confessione in *Periarchon* translatione) superflua videretur oppositionum innovatio: adeo ut dici posset, si erronea sunt, quae ille scripsit de hoc Mysterio, aliorum quoque Patrum et ante et post Nicaeae Synodum exposita, nequaquam ab errore ire immunia.

Ac reapse, si semel, vel bis, aut ter tantummodo de Verbi et Spiritus Sancti divinitate et simul de Trinitate disseruisset; et alias toties quaedam vocabula adhibuisset non solum vago et incerto sensu praedita, sed et perspicue dogmati catholico opposita; tunc instabilis in sua fide vel haereticus jure nuncuparetur Origenes. Verum cum saepe, saepius, saepissime (quod nemo inficiari potest) Christi et Spiritus Sancti divinitatem confessus sit, quod maxime tanquam suae fidei tesseram exposuit in Libris I. et II. *Periarchon*, simulque in *Anacephaleosi* hujus Operis amplissime confirmavit, ac consequenter firmissime ubique coram Christi Dei

inimicis propugnavit: nimis durum foret et sanae criticae leges praetergrederetur, in judicium vocare Auctorem ob nonnullas obscuras vel dubias de hoc Mysterio locutiones: et has, ceteris sincerissimis neglectis, eidem objicere, eumque demum ut haereticum condemnare. Et ad hoc solum reducitur tota de Origene quaestio circa divinae Trinitatis doctrinam in suis scriptis expressam (*).

Alioquin, si ob quasdam Origenis dictiones seorsim a contextu, et omisso illarum studioso examine (in quo maxime offenderunt interpretes) arguatur, nedum veteres Patres, jam dixi, redarguendi essent, sed et recentiores Ecclesiae doctores sed et ipse divus Thomas; et amplius (mihi donetur) Evangelista Joannes eamdem subiret reprehensionem, cum scripserit: *Pater major me est.* Eo magis inquam, quod ipse confessus est, quaecumque dixisset de hoc dogmate, idest quibusvis vocabulis usus foret, minus certe indicare, quam postularet altitudo Mysterii. Et hinc merito concludam, in hac quaestione iniquum reputari, errantem reprobare Origenem; sed illos errantes potius videri, qui coram splendidis illius declarationibus obcoecati, nonnulla in suis libris vocabula rimati sunt, sensum eisdem adscribentes, ab illius conceptu et fide prorsus alienum.

2. Post haec cum c. Censori visum fuit Semipelagianismi semina revelari in *Periarchon* libris, haud ei displiceat, si quaedam (in Tomo II. praetermissa) in hoc loco addidero, non contra eum dimicans sed adversus Huetium: qui in Libro II. *Origenidnorum,* Quaestione VII. n. 12. de hoc Origenis errore scripsit, animadversis praecipue, quae Valentino, Basilidi, et Marcioni opposuit de creaturis rationalibus in Libro I. c. VII. et in Libro III. c. I. n. 20. 21. unde Huetius idem occasionem sumpsit illum insimulandi. Quare inter cetera scribit: « Nonum modo secundi Libri *De principiis* caput relegi velim, in quod dispersas alibi doctrinae

(*) Jam arbitror lectorem sibi persuadere, me de *Periarchon* locutum, textum graecum genuinum et versionem genuinam Ruffini, non vero alterum Hieronymi falsatum codicem significare; de quo alibi disputavi, sed latius infra disserendum erit.

hujus particulas plena manu congessit: nam postquam diversas illas naturas ab haereticis supra nominatis confictas collectasque eorum rationes confutavit, tum dogma explicat suum, et diversitatem animarum ratione praeditarum ex arbitrii libertate proficisci docet; ex qua diversitate eximia illa totius mundi consonantia diversis constans partibus exorta sit. » Deinde in n. 13. variis citatis ejusdem testimoniis, hinc concludit homini sufficere ad bene operandum arbitrii vires: « per hoc, subdit in Libro I. *Periarchon* c. V. n. 5. consequens est in nobis esse, atque in nostris motibus, ut vel beati et sancti simus, vel per desidiam ac negligentiam a beatitudine in malitiam et perditionem vergamus. » Item Libri III. caput I. appellans, inquit Origenem ita propugnare arbitrii libertatem, ut sit in nostra potestate obsequi vel obsistere tentationibus, nec necessarium ad id esse gratiae divinae subsidium.

Et haec de pluribus sunt adversus Origenem ex ipsius libris deprompta ab Huetio, et a recentioribus innovata; quae jam in capite praecedente magna ex parte expedivi, c. Freppelio respondens. De ceteris vero, sive de haeresi semipelagiana ab eisdem Origenis discussionibus deducta, satisfaciunt, quae Adnotator maurinus scribit contra eumdem Huetium, conquestus quod ipse « quae Origenes ad liberi arbitrii defensionem contra detestandas haereses catholice disputat, ea ad haeresim pelagianam aut saltem semipelagianam detorserit; et quae sexcentis locis de gratuitae et efficacis gratiae necessitate magnifice praedicat, ne legisse quidem aut animadvertisse videatur. » Deinde sequuntur testimonia ex Origenis libris eruta, quibus suam thesim adversus alterum probat Auctor notarum.

Ex. g. In Psalmum 4. verba citans: *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*, ait: « Aedificat domum quicumque proficit: custodit civitatem quicumque perfectus; vanum autem opus aedificantis et vana custodia servantis, nisi Dominus aedificaverit, et Dominus custodierit . . . Et quemadmodum si dicerem bonum agriculturae, quod fructum efficit, mistum esse ex libertate, quae in arte est agricolae, et non arbitrario, quod a Providentia

est propter aeris temperiem et imbris sufficientem copiam: sic bonum rationabilis creaturae mistum est ex voluntate ipsius, *καὶ τῆς συμπνεούσης θείας δυνάμεως* et conspirante divina virtute in eo, qui honestissima eligit. Non solum igitur ad id, ut honestus et bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra, et divina ope conspirante, quae quantum ad nosmetipsos attinet, extra liberum arbitrium est, seu ex libero arbitrio nostro non pendet; sed ad id etiam, ut qui bonus et honestus evasit, in virtute perseveret: quod nimirum in ruinam delapsurus sit etiam perfectus, si in bono elatus fuerit; ejusque causam sibi arroget, nec debitam gloriam ei referet, qui multo plus ad illud acquirendum et retinendum contulit. »

Cum autem in Libro III. *Periarchon* valde notetur Origenes, quod liberum arbitrium propugnans, nimium humanitati concesserit, divinae ideo gratiae efficaciam aut tollens vel imminuens, aptissima occurrit illius discussio in ipsum Psalmi 126. versiculum: « *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Non quod nos, ait, ab aedificando dehortetur, aut doceat ne vigilemus ad ejus, quae in anima nostra est, civitatis custodiam; sed ostendens quaecumque sine Deo aedificantur, et quae ejus custodia non sepiuntur, frustra aedificari et incassum custodiri; cum jure aedificationis dominus et custodiae civitatis princeps ascribendus sit universorum Deus. » Ac paulo post: « Sic in nostra salute longe majus est quod a Deo, quam quod a nostro est libero arbitrio: quam ob causam puto dictum: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* » Profecto istud documentum tam explicite declaratum, et quidem in hoc eodem Libro, ubi supponitur Origenem errasse, sufficeret contra Huetii praesumptionem.

De reliquo vix acceptandum esset Origenem alias saepe affirmare, et alias saepe negare, quod antea affirmavit. Siculi tantumdem regula admittenda est: quacum, quae obscura in loco quodam dicuntur, aliunde ex perspicuis sint explananda, ne in perpetua contradictione versari dicatur Alexandriae Magister, ac praesertim de eodem argumento.

Porro, si in praefatis discussionibus Origenes de libero rationalium arbitrio disserens deque Dei praescientia, quam nullimode obstare docebat illorum libertati (quod erat summum suae argumentationis) doctrinam omiserit de gratiae divinae necessitate, non est praesumendum hanc negasse; cum alibi centies propugnasset. Secus autem et Apostolus et ipse Jesus in eodem versarentur Pelagii errore. Ex. g. scribit Adamantius in c. IX. n. 2. Libri II. *Periarchon*: « Voluntarios enim et liberos motus a se conditis mentibus Creator indulsit, quo scilicet bonum in eis proprium fieret, cum id voluntate propria servaretur; sed desidia etc. » Item in Libro III. c. I. n. 6. « Nostrum porro opus esse recte vivere; idque a nobis non quasi suum postulat Deus, neque ab alio quolibet datum, neque, ut putant quidam, a fato, sed ut opus nostrum, testabitur Michaeas propheta dicens etc. » Quae verba ita absolute dicta utique excludunt gratiae divinae mediationem. Quam quidem et ipse Apostolus (dicendum esset) exclusit, inquiens: *Accedentes ad Deum credere oportet, quia est, et inquirentibus se remuneratur.* Attamen quod omisit Apostolus, substituit Origenes contra Celsum in Libro VII. n. 42. « Plato igitur dicat Creatorem et Patrem hujus universi inventu esse difficilem, innuens fieri posse, ut humana natura Deum pro ejus dignitate inveniat; sin minus, saltem ut multum accedat, et vulgo perfectius cognoscat . . . . Nos autem affirmamus, Deum a natura humana nullo modo quaeri, aut pure inveniri posse, nisi adjuvetur ab eo, quem quaerit, quique invenitur ab iis, qui, postquam quidquid in se est, fecerunt, se illo opus habere confitentur etc. » Merito hinc fortasse diceretur, recta docuisse Origenem, et errasse Apostolum, cum hanc notam de Dei auxilio iste praetermiserit, ac alter indicarit?

Item in Libello *De oratione* n. 2. ex Apostolo: *orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente*, praevenientis gratiae necessitatem ad orandum dissertis verbis tradit Origenes. « Neque enim, ait, orare mens nostra potest, nisi ante ipsam, eaque quasi audiente, oret Spiritus: uti neque psallere et modulato ac numeroso carmine, consonantique voce laudare Patrem in Christo, nisi Spiritus, *qui om-*

*nia scrutatur etiam profunda Dei, prius laudet et celebret eum, cujus profunda scrutatus est* etc. » Ideoque, si cum ita docet Adamantius, non erravit, errasse tamen Christum asserendum foret, qui in Evangelio mandat: *oportet semper orare, et numquam deficere;* nec addiderit: praevio Spiritus Sancti, seu divinae gratiae auxilio oramus Deum.

Quae cum sint, ex pluribus addendis, tam perspicue exposita praefata Origenis testimonia circa hanc doctrinam, eruitur frustra eum corripi; qui de libera rationalium voluntate disserens adversus hujus mentitores, transegerit doctrinam de divinae gratiae necessitate, ubi proprie non erat locus; sed tamen supponitur. Secus et ipse Moyses reprobandus esset, qui statuens in homine liberum arbitrium, absolute ait: *posui ante conspectum tuum viam vitae et viam mortis; elige quod bonum est.* Deinde et ipse Jesus cum ait: *si vis ad vitam ingredi serva mandata*, errasset, inculcans in homine libero observantiam divinorum mandatorum, praeteriens tamen Dei subsidium nostrae naturae necessarium ad ea explendo (*).

(*) Interim hic praeterire nolim, quae cum Huetio Natalis Alexander Seculo III. Articulo III. ex Apostoli dictis in Epistola *ad Romanos* c. XII. 6. *habentes donationes, unusquisque secundum mensuram fidei,* conclusit, Origenem asserentem initium fidei esse a nobis, perfectionem vero et augmentum a Deo, semipelagianorum errori prolusisse. Attamen huic Natalis opinioni obstans, dico nequaquam Origenem Apostoli mentem explanantem, semipelagianorum prolusisse errori; sed doctrinae sincerae prolusisse de charismatibus, seu de donis gratis datis, ut loquuntur theologi; quae in primitiva Ecclesia a Spiritu Sancto, speciali privilegio conferri fidelibus solebant, non omnibus sed quibusdam. Ac ideo hos Apostolus hortabatur, inquiens: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: unicuique sicut divisit Deus mensuram fidei.* Quorum verborum sensum, aliter quam putavit Alexander, apprime explanavit Adamantius in sequenti discussione, ubi scribit: « Hoc est, ut sciat unusquisque et intelligat, quae in eo sit mensura gratiae Dei, quam consequi meruit per fidem. Interdum enim accipit quis a Deo ut sapiat in opere charitatis; aut ut sapiat in officio visitandi, aut erga misericordias pauperum, aut circa debilium curam, aut erga viduarum et pupillorum defensionem,

Et quidem, cunctis huc redactis animadversionibus, in hoc capite, sicuti in praecedente exactis circa *Periarchon* doctrinam, invenitur, falsa retinenda esse Origenis errata, quae Huetius inde interpretatus est, hunc redarguens quam maxime de Pelagianismi vel Semipelagianismi seminibus in suis libris sparsis. Adeo vero Adamantius ab his erroribus abhorruit, ut, cunctis collatis sententiis, quae frequentissimae occurrunt in multiplicibus suis tractatibus, si seorsim quodcumque illius testimonium expenderetur, vel relate ad arbitrium hominis, seu ad divinae gratiae auxilium in virtutum exercitium, videretur plus Dei gratiae efficaciae, quam nostri arbitrii potentiae concessisse. Ast revera Vir orthodoxus, medium tenens iter, Deo et homini, unicuique suum assignavit, ita ut nullum putem ex priscis Patribus (audentius inquam) tam fideliter, tam ingenue, tam perspicue hanc propugnasse doctrinam.

Quapropter, sicuti numquam Huetii somniis conveniam, unde Origenis putavit redarguere sphalmata de animarum praeexistentia, de earum lapsu e coelis ob culpas ibi admissas, de earumdem descensu et ascensu secundum philosophiae graecae placita, de Pelagianismo seu Semipelagianismo, et de aliis hujus generis vanitatibus: ita et ceteris convenire nequeo, qui arbitrati sunt, Origenem ipsum illusum fuisse in dogmate de libero arbitrio et de divinae gratiae necessitate in homine lapso. Nec enim unquam pelagianorum aut semipelagianorum, sive gnosticorum dogmata professus est Origenes. In hac quaestione perpetuo orthodoxe sensit,

aut erga hospitalitatis sollicitudinem. Haec ergo singula divisit unicuique Deus secundum mensuram fidei. Sed si is, qui accepit gratiam, ut de uno aliquo horum saperet, non intelligat mensuram gratiae sibi datae, sed velit sapere de sapientia Dei, de verbo doctrinae, de profundioris scientiae ratione, in quo gratiam non accepit, et non tam discere velit, quam docere quae nescit; iste cum minus sapiat, plus vult sapere quam oportet, etc. » Hinc cernitur, num jure corripiendus sit Origenes quod Semipelagianismi semina fuderit in suis libris. Porro vocabulum *fides* in hoc loco pro charismate sumitur; quae veluti causa erat sive radix, unde varia illa charismata fidelibus, aliis alia, pro Dei arbitrio provenirent. Ita Chrysostomus.

orthodoxe docuit, sicuti ubique, ita quoque in Libro III. *Periarchon*. In quo potissimum adversus haereticos argumentum tractans de rationalium libertate, angelorum nempe et hominum, (quos pares in hoc dicit, idest boni et mali capaces) statuit, nullimode horum rationalium arbitrio obstare divinam futurorum praescientiam, quoad maxime ipsius arbitrii abusum. Cum namque consideret in homine lapso animi sui infirmitatem, non solum haud excludit, sed propugnat divinae gratiae necessitatem in exercendis actibus suis erga Deum: « Quod quidem Dominus (ait in c. I. n. 12. hujus Libri) unicuique confert, ut conditionem suam et Dei gratiam sentiat. Qui vero propriam imbecillitatem et Dei gratiam non sentit, etsi adjuvetur, nisi suarum virium experimentum ceperit, et seipsum condemnarit, suum esse facinus existimabit, quod ei divino munere concessum est. »

Tandem circa doctrinam de creaturis rationalibus deque libero earum arbitrio, in quo a Creatore positae sunt, ac de rerum futurarum divina praescientia, quae nullimode nec libertati earumdem obstat, neque divinae gratiae erga eas coercet actionem (quam doctrinam exposuit in *Periarchon* Libro II. c. IX. et in Libro III. c. I. n. 20. 31.), siquis adhuc dubitet, qua mente ea dictavit Origenes, et quomodo intelligenda sint, legat Libellum *De oratione* n. 5. 6. ubi precum necessitatem adstruens, duabus his respondet difficultatibus: 1. *Si Deus futurorum praescius est, et ipsa oportet fieri, vana est oratio.* 2. *Si omnia juxta voluntatem Dei fiunt, et stabilia sunt ipsius decreta, nec eorum quidquam quae vult, mutari potest, vana est oratio.*

In his igitur expediendis difficultatibus, in natura rationali admisso libero arbitrio, haec pro nostro argumento docet: « Itaque, si nostrum servatur liberum arbitrium, quo innumeris modis vel ad virtutes vel ad vitia, vel ad ea, quae decent, vel ad ea, quae ab officio sunt, aberrant, propendemus, seu ab eisdem declinamus, necesse est hoc cum reliquis, antequam sit, Deo notum esse a creatione et constitutione mundi quale futurum sit; et in omnibus quaeque praeordinavit Deus, consequenter ut unumquodque vidit in nostra futurum potestate, praeordinasse etiam, prout exigit

quilibet nostri arbitrii motus, quid ipsi debeat ex providentiae parte respondere, quid juxta connexionem rerum futurarum accidere: non quod praescientia Dei causa sit eorum omnium, quae futura sunt, et quae proprio motu, arbitrioque nostro effecturi sumus. Etsi enim (id modo supponere liceat) futura Deus non cognosceret, non eo minus sumus effecturi, haec volituri; rebus tamen id accidit ex praescientia divina, ut ordine ad universi gubernationem, orbisque statum utilissimo disponantur singula, quae in nostra sunt potestate etc. »

Hac posita discussione, si quaedam obscura vel difficilia videantur in *Periarchon* exposita, hïc nova luce clarescunt. Hinc namque, nec secus aliunde, sicuti roboratur dogma de divina praescientia, ita pariter non infirmatur doctrina de libero arbitrio; nec amplius huic arbitrio officit Dei providentia erga ea, quae ante mundi constitutionem futura praeviderat in ordine liberorum nostrae voluntatis motuum et effectuum his succedentium: quin nec nostra libertas laederetur; nec multo minus tolleretur aut negaretur divinae gratiae auxilium unicuique hominum impertitum post Adami lapsum.

Porro quae in c. X. Tomi II. de natura animae Christi et in c. XIX. de animarum descensu et ascensu, et in c. XX. de Apostoli dictis *ad Ephesios*: *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, ubi item agitur de praesumpta animarum praeexistentia Origeni inscripta, haec eadem seorsim tractavi, animadversa potissimum varietate lectionis codicum graecorum; quibus s. Hieronymus et Ruffinus usi sunt. Et hinc sancito genuino Ruffini codice, altero Hieronymi excluso quippe falsato, diligenti insuper cura nonnullas (quibus saepe Auctor utitur) dicendi formulas notavi: quarum sensus ab interpretibus corruptus, extra suam genuinam significationem translatus est. Nec proinde arbitrii nostri quaestionem proprie pertingunt; nec multo minus pelagianorum, aut semipelagianorum inducunt doctrinam, sicuti nec fabulas, quas veteres Origenis obtrectatores commentati sunt.

3. Item (sicuti exposui in Tomo II. c. XXI.) non video

cur culpandus sit Origenes, aut dubitandum de sua doctrina circa materiae seu mundi creatione ex nihilo, quando ex suae fidei professione in *Periarchon* Prologo docet n. 7. *Est praeterea in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus est, et a certo tempore coeperit* etc. Quod deinde in Libro III. c. V. n. 1. innovat: *Post haec,* inquit, *jam quoniam quidem de ecclesiasticis definitionibus unum habetur praecipue secundum nostrae historiae fidem quod mundus iste factus sit, et ex certo tempore coeperit* etc. Similiter in c. III. n. 1. ejusdem Libri I. creationem et mundi dispositionem expendit, ut in n. 3. concludat: « *Quod autem a Deo universa creata sint, nec sit ulla creatura, quae non ab eo hoc ipsum ut esset, acceperit, ex multis Scripturae assertionibus comprobatur, repudiatis atque depulsis his, quae a quibusdam falso perhibentur, vel de materia Deo coaeterna, vel de ingenitis animabus, quibus non tam subsistendi naturam, quam aequalitatem atque ordinem a Deo insitum volunt.* Et paulo post: *Deus, cum nihil esset prius, esse fecit omnia.* Et hoc idem docens in Libro II. c. I. n. 4. incredulos et haereticos huic dogmati infensos refutans ait, *nescio quomodo tanti ac tales viri ingenitam idest non ab ipso Deo factam conditore omnium putaverunt materiam; sed fortuitam quamdam ejus naturam, virtutemque dixerunt* . . . . Deinde *reos impietatis nuncupat, quod ingenitam materiam, Deoque ingenito coaeternam dixerint.*

Porro si de materia a Deo creata non clare nec accurate tractasse dicendum esset, ita ut in partem deduci possint iis contrariam, quae tam fidenter statuit (cum ceterum alia ipsius verba contraria visa, convenienti explanatione discussa sint) nimium dura foret illatio, Aucforem vel negasse, aut dubitasse, quod saepe indubie asseruit et coram hujus doctrinae oppositoribus confirmavit. Ideoque, ne dicatur Origenes mente captus in hujusmodi antilogias pluries incidisse, criticae dandus est locus, ut, quae videntur, tollantur contradictiones.

4. Item circa Origenis irreverentiam erga Demetrium ac nonnullos Aegypti episcopos, sicuti notatur in suis litteris ad amicos alexandrinos, de qua ait Censor me frustra illum

excusare studuisse, rogo, in hoc Adamantii conflictu cum Demetrio, ac de eo, quod inde subsecutum est exilium, ac postea ejusdem amotio a clero illius regionis, rogo ego, jure ne hoc decretum sancitum est adversus Origenem? Reapse reus fuit vir ita ut hac multaretur poena? Si a quavis immunis fuit culpa; et si tantummodo ob invidiam talis commota est adversus eum, ut ipse ait, tempestas, siculi coaevi testantur fideles viri et aliarum regionum antistites, non video quomodo culpandus sit, dum amicos hortatur, ne credant Demetrio, et aliis ab eo illusis Aegypti episcopis, qui adversus eum convenerant. Nec ideo immerito ad Scripturae verba appellans eosdem amicos monet, et inquit: « Quid necesse est de prophetarum sermonibus dicere, quibus saepissime pastoribus et majoribus natu et sacerdotibus ac principibus populi comminantur; et arguunt eos? Quae absque nobis de sanctis Scripturis elicere potestis, et liquido pervidere, quod forsitan hoc tempus sit, de quo dicitur: *nolite credere amicis nec speretis in principibus:* et nunc impleatur vaticinium: *duces populi mei me nescierunt*, *filii stulti sunt, et non sunt sapientes. Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nesciunt.* Quorum magis misereri, quam eos odisse debemus; et orare pro illis, quam eis maledicere. »

Quae verba duo continent. In primis cum ait Origenes non esse credendum sacerdotibus et primoribus populi, increpat Demetrio et aliis episcopis, qui iniquam sententiam decreverant adversus eum. Quae cum talis reapse fuerit, ex Scripturis docet, etsi lata sit ab ecclesiae primoribus, tamen nullius esse auctoritatis: proindeque amicos hortatur (et istud ex suae innocentiae jure) ne in ipso decreto confidant. Deinde vero subdit evangelicum mandatum de inimicis diligendis ac pro iis orandi, de se loquens, ac de ceteris: ne illi odium ex sua parte adversus episcopos cogitarent, nec multo minus ideo ad odium provocarentur alii. *Ad benedicendum enim*, ait, *et non ad maledicendum creati sumus.* Et quid in hoc sermone redarguendum est? Ceteroquin publica erat culpa ei inscripta, ita et excommunicationis poena. Si tacuisset, frustra praedicationis evangelicae ministe-

rium ei creditum esset ab episcopis Palaestinae et Achajae. Quis ex suo zelo pro Christi nomine profecisset? Perperam suum in Christi Ecclesiam infideles et haereticos congregandi, ac reducendi studium insumptum fuisset, cum ipse jure ab Ecclesia amotus esse crederetur. De ceteris conferatur Tomus III. c. II.

5. In c. III. Tomi III. dixi valde dubitandum esse de lectionis sinceritate in Epistola 33. Hieronymi ad Paulam, circa Origenis damnationem in Synodo Romana sancitam post alteram eidem a Demetrio inflictam: « *Quis enim*, inquit Hieronymus, *unquam tanta legere potuit, quanta ipse conscripsit? Porro hoc sudore, quid accepit pretii? Damnatur a Demetrio episcopo, exceptis Palaestinae episcopis, Arabiae, et Phoenicis atque Achajae sacerdotibus. In damnatione ejus consentit Urbs (Romana). Ipsa contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter haeresim, (ut nunc rabidi canes adversus eum simulant) sed quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant: et illo dicente, omnes muti putabantur.* » Ex hoc testimonio dixi vocabulum *Romana* tanquam intrusum excludendum esse, successiva praesertim Ruffini discussione usus. Nihilominus ex adverso potius inde hanc lectionem firmari, quam de ea dubitari posse existimarunt nonnulli. Quapropter denuo ad tanti momenti (quod nemo ignorat) quaestionem reversus, dico ex historicis nullum istud memorasse factum, seu ex catholicis, sed ne ex haereticorum quidem et schismaticorum parte: quorum admodum intererat hujus iniquae damnationis monumentum in Ecclesiae Romanae vituperium. Nullum legimus tunc, nec postea, nec ipsum Hieronymum, postquam, mutata sententia, in Origenem irrupit, hujus egisse decreti mentionem: quod quidem s. Doctori summopere profuisset, cum ipse, instante Theophilo, per suas epistolas totum orbem christianum concitarit adversus eum.

De reliquo cunctae circumstantiae in ea epistola notatae ad duo appellant decreta a Demetrio alexandrino subscripta. In quorum primo statuitur Origenis exilium; et per alterum a presbyteris et quibusdam episcopis subscri-

ptum, a sacerdotio idem amovetur. Quae duo decreta manifeste indicantur in citatis Hieronymi verbis; prius cum dicit: *Origenes damnatur a Demetrio*: postea dum ait, coactam non Romae, sed Alexandriae synodum ejusdem consensisse damnationi. Eusebius et Pamphilus in Apologetico praeclare testantur, Alexandriae omnia patrata adversus Origenem, quae in praefatis litteris Romae acta esse dicuntur: ac potissimum inspectis ejusdem Demetrii rationibus, quibus in virum probum invectus est. Ob invidiam inquam, qua Episcopus maxime et alii aestuarunt, satis conscii ubique Origenis nomen celebrari, undique ad ejus scholam adventantibus fidelibus et infidelibus viris doctis: qui ejus doctrinam admirati sunt et sapientiam in divinis Scripturis exponendis et christianis enucleandis mysteriis, et ejusdem vitae probitatem et evangelicam perfectionem. Quapropter non Clerus romanus ob invidiam, quod ferre non poterat scientiam et gloriam eloquentiae suae, synodo adunata, damnavit Origenem; sed senatus alexandrinus, urgente valde Demetrii invidia, damnavit non solum, sed ab Aegypto illum amovit. Non in schola romana, ipso disputante et docente, sed in schola alexandrina, undique illuc convolantibus philosophis ad illum audiendum, tantam sapientiam mirati, tacebant, et quasi muti putabantur. Quare livore capti Demetrius aliique, commoti sunt contra eum non propter haeresim vel dogmatum novitatem sed ob invidiam. Et sane Alexandriae, ubi eousque docuit, hoc factum esse legitur non Romae ubi non docuit, neque ideo suspicio neque accusatio ob haeresim in Origenem inferri poterat.

Utique, antequam ab Aegypto discederet et damnaretur a senatu alexandrino, Romam, Zephyrino Papa, se contulit Adamantius: quum, teste Eusebio, sibi in optatis erat hanc visendi Ecclesiam, non docendi sed discendi causa, nec scholam erigendi, ast hujus Ecclesiae vetustissimae apostolicam assequendi traditionem. Idcirco, admissa Eusebii auctoritate, si dicatur semel tantum Romam venisse, et quidem Ecclesiam regente Zephyrino, tunc errasset Hieronymus, asserens Romam consensisse damnationi Origenis, a Demetrio antea Alexandriae subscriptae, cum hac ipsa Zephyrini ae-

tate Demetrius nondum illum condemnasset; nec ideo Roma consentire potuisset ejusdem decreto.

Si vero admittatur, ad quam confugiunt, hypothesis, Romam advenisse Origenem postquam Demetrii subiisset excommunicationem, tunc dicendum esset, denuo Romam venisse; idest postquam ab Aegypto profectus est in Palaestinam. Quo tempore jam ab Ecclesia alexandrina amotus Romam repetens, et coram Clero romano disserens, aliam subiisset damnationem, et quidem ob eamdem invidiae causam, qua a Demetrio damnatus erat. Quod omnino dissonat ab Hieronymi mente et amplius ab istius reverentia erga Ecclesiam Romanam. Ceterum Ruffinus Hieronymi dicta exponens non ait, jam aetate Demetrii Alexandriae et Romae ob invidiam damnatum Origenem fuisse. Verum Hieronymum corripit, quod vellet tunc, idest an. 400. Romae innovari in Origenem antea Alexandriae a Demetrio. expletum circa an. 235.

Et re quidem vera, si Ruffinus, quem haud latuit factum, Hieronymi verbis insertum legisset vocabulum *Roma*; tunc cum paulo post ipsius s. Doctoris dicta repetit, non scripsisset: *hunc, quem negas a Demetrio in causa fidei damnatum, et hunc, quem negas pro dogmatum novitate incusatum etc.* sed, addita voce *Roma* juxta locutionis ordinem, dixisset: *hunc, quem negas a Demetrio in causa fidei damnatum, et hunc, quem negas pro dogmatum novitate Romae a Clero romano incusatum:* duobus nempe citatis damnationis locis *Alexandria* et *Roma,* sicuti duabus personis *Episcopo alexandrino* et *Romano Pontifice*, qui decreto subscripsissent.

Praeterea, hac posita lectione genuina, cum, paulo postquam ab Aegypto discesserit, teste Eusebio in Libro VI. Hist. Eccl. c. XXIX. constet Origenem ad episcopos et ad Fabianum Papam epistolas misisse de sua orthodoxïa, videretur ipse prius Romam venisse, ubi damnatus est, ac postea ad Fabianum scripsisse; aut ex adverso antea litteras dedisse, ac deinde Urbem profectus disputasse coram senatu romano. Quae circumstantiae praesumpto illius Romam itineri sicuti et in hac urbe damnationi majorem conferunt difficultatem.

Similiter relate ad verborum usum, si Hieronymus scripsisset: *Pontifex Romae cogit synodum adversus Origenem*, apta et canonica latina formula usus esset. Cum vero ait: *ipsa (Roma) cogit senatum adversus eum*, considerata Urbis conditione tunc sub gentili imperio, satis peregrina talis appareret dictio. Ac tantumdem vox *senatus* Clerum indicans ab ecclesiastica latina nuncupatione abhorrens, suam repetit derivationem a vocabulo graeco *πρεσβυτέριον senatus*, idest *presbyterorum coetus;* quem revera adunavit Demetrius Alexandriae ut Origenis damnationi subscriberet. Et hinc jure admittenda videtur emendatio vocis *ipsa* in *ipse*. Non enim *ipsa* civitas sed *ipse* episcopus presbyteros urbis collegit contra illius scholae Magistrum. Item s. Hieronymus de sacro presbyterorum aut episcoporum conventu locutus, nunquam *senatus* voce usus est, sed altera in Ecclesia probata *synodus* vel *concilium*, veluti saepe occurrit in suis scriptis. Tantummodo in hac epistola scribens ad Paulam eique narrans ex graeco Pamphili Apologetico, quae a Clero alexandrino in eumdem statuta sunt, verbotenus graeci Scriptoris vocem *presbyterium* in *senatum* transtulit, eousque in Ecclesia latina inusitatum.

Quamobrem non immerito existimavi, ab epistola Hieronymi vocabulum *Roma*, alias *Romana*, uti amanuensium glossam arbitrarie et intempestive intrusam, amovendum esse, ut historiae serventur ordo, integritas et cum ceteris de hac re monumentis convenientia.



## CAPUT III.

*Expediuntur a c. Professore Hergenröther objecta circa Concilii V. acta in Tomo IV. discussa. Et primum de Anastasii Bibliothecarii auctoritate in vita Agapeti, Silverii, Vigilii et Pelagii I.*

Cum parvi momenti reputetur censura a c. viro exacta in tres Tomos Apologiae Origenis, (de qua tamen alibi erit aptior disserendi locus) ejusdem subeo animadversiones perscrutari, quas sibi visum est objicere circa acta Concilii V. Quorum plura considerans intrusa, aut falsata ex tria Capitula defendentium opera, ad genuinam suam formam redigere studui, ostendendi causa nec Origenem damnatum esse in ea Synodo, nec Vigilium Papam inconsultum se gessisse in trium Capitulorum quaestione, nec Justinianum quidquam temere, nec violentiam admisisse in ipsum Vigilium, sed cuncta canonice fuisse definita, concordia servata inter Pontificem et Imperatorem.

Ac interim objectis respondens, nescio quare c. Censor corripiat ordinem discussionis. Duo enim praecipua argumenta suscepi expedienda, quaestionem scilicet trium Capitulorum et alteram origenianam per se ab altera distinctam. In singulis capitibus notantur, quae deinde congrua discussione expenduntur, nec extra propositum erravi. Ab initio usque ad caput VI. acta Concilii V. enarravi, maxime animadversis circumstantiis, quibus Vigilii Papae prudentia praeluxit in tam ardua quaestione, donec subscriberet trium capitulorum damnationi, quin hanc definitionem emendaret unquam, vel retractaret, ac omnimode exclusa Origenis quaestione. In sequentibus vero, pluribus instantibus oppositionibus, et inter se valde dissitis et veterum et recentiorum sententiis tum circa tria Capitula, tum circa Origenem, tum de Vigilio Papa, de Justiniano etc. ad evitandam ideo confusionem, in distinctis capitibus materiae varietatem segregavi. Idcirco, si in unoquoque capite deesset orationis nexus, ac initium fini non responderet, tunc locus esset con-

fusioni. Ast cum in singulis capitibus praemissa novissimis respondeant; nihil officit, si praecedens caput subsequenti non cohaereat. Ex. g. calumniae jactae in Vigilium quid commune habent cum iis, qui volunt in ipsa Synodo damnatum Origenem? Et ita de ceteris quaestionibus pro argumenti diversitate ab invicem disjunctis.

Deinde c. Censor abnuit se mecum convenire, quod plura documenta de Vigilio Papa et de Justiniano repulerim; et quod una historiam recensens in enarrandis Concilii V. gestis, restiterim auctoritati Anastasii Bibliothecarii, Liberati chartaginensis, Facundi hermianensis, Marcellini, Victoris tununensis, Evagrii, Procopii, Cyrilli et aliorum. Utique plura ad hanc quaestionem spectantia documenta, alia apocrypha, alia interpolata, et alia sane genuina, sed illorum manu exarata, qui ardenti zelo extra scientiam trium Capitulorum defensionem susceperunt, refutavi, his tamen alia opponens monumenta, de quibus nemo hucusque dubitavit, fide inspecta scriptoris.

Et primum quoad Anastasium, cui Censor multum defert auctoritatis, haec notanda sunt. Si Historicus, quibus usus est, documentorum indicasset auctores, et quidem aetate notos, et nomine et fide dignos, tunc non esset de eis ambigendi locus. Sed cum talia sint, quae ab eo censentur in vita Agapeti, Silverii et Vigilii, ut authenticis eorumdem Pontificum et Justiniani et synodorum statutis et aliorum hujus aetatis monumentis obstent, haud immerito rejicienda esse existimavi.

Et reapse de Agapeti Constantinopolim adventu scribit Anastasius: « In primis Papa coepit habere altercationem cum piissimo principe imperatore domino Justiniano Augusto de Domino Jesu Christo, Deo et homine, hoc est de duabus naturis in Christo. Et dum contentio versaretur, ita Dominus adfuit, ut episcopum constantinopolitanum nomine Anthimum inveniret Agapetus Papa haereticum. Cumque contentio verteretur cum Augusto et Agapeto Papa, dixit ei imperator Justinianus: aut consenti nobis, aut exilio deportari te faciam. Tunc idem beatissimus Papa Agapetus cum gaudio respondit, dicens ad Imperatorem. Ego quidem pec-

cator ad Justinianum imperatorem christianissimum venire desideravi; nunc autem Diocletianum inveni; qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterum Agapetus venerabilis Papa : tamen ut scias tu, illum non esse idoneum Religioni christianae, episcopus tuus cònfiteatur duas naturas in Christo. Tunc accersito ex praecepto Augusti episcopo constantinopolitano, nomine Anthimo; et discussione facta, nunquam voluit confiteri in doctrina catholica responsiones ad interrogationem cum Papa Agapeto duas naturas in Domino Jesu Christo. Quem cum vicisset s. Papa Agapetus, glorificatus est in omnibus Christus. » Deinde ait, Justinianum adorasse Papam, et in exilium expulisse Anthimum.

Circa hoc testimonium primo notandum est, quod hic scribit Anastasius de Justiniano, qui exilium minatus est Agapeto, vix Constantinopolim advenit, nisi subscriberet acephalorum haeresi, idem esse, quod paulo post de Vigilio narrat, vix iste (decem circiter post annos) in hanc venit civitatem. Deinde rogo ego : talis ne est Anastasii narratio, ut dicatur reapse tunc Justinianus haereticus acephalus negasse duas in Christo naturas? ac ideo cum Agapeto contendisse, eumque minis ad hanc haereticam compulisse sententiam? Admittendum ne insuper est Agapetum in ea verba processisse, ut diceret se ideo in Justiniano reperisse Diocletianum?

Adversus hanc suppositionem obtestatur antea epistola genuina Agapeti ejusdem ad Justinianum sub an. 535. scripta, ubi ait : « Gratulamur venerabilis Imperator, quod tanto catholicae fidei ardore succenderis, ut omnibus piissimae vitae vestrae temporibus piam sollicitudinem circa servandam augendamque Ecclesiae concordiam clementer exhibeas, et unam fidem suaque per omnia firmitate consimili omnibus populis christianis cupias praedicari etc. » Item Justinianus anno sequenti 536. in fidei Confessione, quam Constantinopoli Agapeto dedit, haec dicit: « Quapropter sicuti praefati sumus, sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quae ab ea statuta sunt, praedicamus. Et profitemur ista inconcusse servare, et compellere, ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi. »

In Libello Synodi constantinopolitanae sub Menna contra acephalos, a qua rogatur Agapetus ut amoveat Anthimum ab ea sede quippe intrusum, legitur: « Cognoscentesque et Deo custoditum Imperatorem nostrum tanquam Christi discipulum, approbatam animam habere, et participem vobis hujus boni operis fuisse; qui a primordiis regni sui usque nunc studuit custodire omne corpus Ecclesiae sanum et perfecte integrum, et ab omni morbo haeretico liberum; et propter hoc statuit quatuor sanctas synodos in divinis et sacris initiationibus, quando fiunt, magna voce a sacris praedicatoribus praedicari: quae fortificant corda fidelium et haereticorum compungunt; sperans ipse ex clementia secundum naturam suam, et putans, quod sicut eos, qui ex simplicitate errore subducti sunt, decet in tempore converti: ita et hujus inventores immo diaboli discipulos et nunquam veritatem agnoscentes, (expulsionem) haereticorum a principio praeviare rogamus. »

Deinde Agapetus scribens ad Petrum episcopum Hierosolymae praeclare notat, quae egit ut primum ingressus est Urbem regiam, amovens a sede constantinopolitana Anthimum, *adjuvantibus fidelissimis imperatoribus;* ac eorumdem suffragio dicit se illius sedis emendaturum injuriam, intruso Anthimo substituens Mennam. Et haec omnia luculenter exponit Justinianus in Novella 42. ubi ait: « ab Agapeto Anthimum ejectum esse a sede Urbis regiae, eo quod nullo modo sibi ipsi convenienti (contra omnes sacros canones) se intruserit sedi; sed et communi sententia ipsius sanctae memoriae viri primum, atque etiam sacrae Synodi hic celebratae condemnatus et depositus fuit, eo quod a rectis dogmatibus recessit. Et quae prius multoties diligere videbatur, haec demum diversis (fraudibus) lustrationibus fugit, simulans sequi sanctas quatuor synodos . . . . At quidem non istarum dogmata, nec nostram clementiam et condescensum, quem propter ipsius salutem habebamus, suscipere voluit; neque ipse abdicare impiorum dogmatum auctores, qui prius a sanctis synodis fuerant expulsi. Sed putavit oportere secundum ipsum et in aequali ducere et condemnatos et condemnatores. Nam semel alienus ab Eccle-

sia . . . . reverti non valuit, etiam ad hoc incitatus a nobis, et directus; qui omni studio usi sumus ad ipsius salutem. Propter haec igitur omnia sententiam depositionis in ipsum a sancta synodo factam, occasione non liciti, neque a sanctis canonibus adprobati raptus sacrarum sedium hujus regiae Urbis, et aversionis a rectis et veris dogmatibus, et firmam reddet nostrum imperium, et contra istum praesentem scribet legem. » Postea eidem vetat habitationem in Urbe regia, ne aliquibus communicet, neque eos imbuat dogmatum falsitate.

Ex cunctis inter se collatis Agapeti, Concilii et Justiniani testimoniis, plane infertur orthodoxus ipsius Justiniani sensus; ac nonnisi ejusdem in bona fide error ( cui omnes subduntur mortales) ob Anthimi simulationem et perfidiam, quacum eidem illudere conatus est. Qua tamen Anthimi simulatione ab eo detecta, statim damnatus expulsus est. Hoc autem manifeste et sine ambagibus declarat Imperator in citata Novella. Testantur Patres in Synodo congregati, asserentes ipsum quatuor synodorum fidem profiteri, haereticis quibusvis refutatis. Testatur Agapetus Papa inquiens se, *adjuvantibus fidelissimis imperatoribus* a sede Urbis regiae amovisse Anthimum, eisque Mennae arrisisse electionem. Proindeque nec unquam acephalorum haeresim professus est Justinianus: neque Anthimo utpote haeretico convenit unquam Imperator, ut partes illius susciperet, eumque restitueret in sedem episcopalem.

Cum ergo ita se habeat res, quomodo ex genuinis fontibus emanans acceptanda erit Anastasii narratio, ubi dicitur Justinianus acephalus duas negans in Christo Jesu naturas? et ubi dicitur violentiam intulisse Agapeto, ut acephalorum subscriberet haeresi, ac Anthimum restitueret in sedem Urbis regiae; et unde Papa subderet se *non Principem christianissimum sed Diocletianum reperisse in Justiniano?*

Insuper pro sincera Justiniani orthodoxia facit Anthimi perfidia simulantis externam verae fidei professionem, cum intus esset lupus rapax. Sciebat enim quo fervore erga fidem catholicam aestuabat Princeps; nec ideo a perversitate do-

ctrinae facile superandus. Quapropter cum unus hypocrisia usus est, ut illuderet Justiniano; et cum iste fateatur se ab Anthimo illusum subdola fidei professione, non ut ea sentiret, quae ille profitebatur, sed putans ipsum sincere credere, ne suspicandum quidem est, Imperatorem aliquando errasse, aut Anthimo convenisse erroris sui participem, vel in Agapetum insurgentem coegisse ad haereseos patrocinium. Et ab his interim luculentis et fide dignis testimoniis ruit Anastasii narratio.

Similiter dicendum est de Vita Silverii Papae, ubi Anastasius discordat a praefatis authenticis documentis; et quod amplius firmatur a Vigilio, cujus gesta ab ipso Bibliothecario narrata variant ab expositione in epistolis ejusdem Papae et Justiniani decretis exacta circa acephalorum haeresim et maxime Anthimum. Scribit Anastasius (anno circiter postquam Imperator publico decreto condemnavit una cum eodem Anthimo haeresim acephalorum) Vigilium, priusquam Pontifex esset, Theodorae et Justiniano secrete promisisse se haeresi subscripturum ac Anthimum restituturum in sedem episcopalem. Et hinc narrans quae in Vigilii adventu Constantinopolim facta sunt, ait: « Per biennium vero fuerunt contentiones de Anthimo patriarcha, quomodo promisisset Vigilius Theodorae et Justiniano revocare et remittere eum in locum suum: et cautionem manus suae ostendebant, quomodo promiserat eum in ordinem suum revocare. Sed Vigilius nullatenus voluit eis consentire. Sed tanto roboratus virtute, magis ille mori desiderabat, quam vivere. Tunc Vigilius dixit: ut video, non me fecerunt venire ad se Justinianus et Theodora piissimi principes; sed hodie scio, quod Diocletianum et Eleutheriam inveni. Facite, ut vultis; digna enim factis recipio, etc. » Liberatus porro hanc descripsit impiam conventionem a Vigilio cum eisdem principibus secreto pactam pro Anthimi restitutione ejusque haereseos defensione.

Interim ab hac Anastasii expositione sequeretur, intra unius anni spatium, immo antequam Silverius esset Papa, et statim ac acephalos condemnavit et Anthimum expulit Justinianus, istum, mutato consilio, haereticorum suscepis-

se partes et condemnasse, quae coram Ecclesia et imperio fideliter professus erat: ac insuper denuo retractasse, quae coram Agapeto sanciverat de Anthimi haeretici expulsione. Praeterea nec lateat, quae Anastasius hic narrat de Justiniani et Theodorae contentionibus et minis in Vigilium, ut acephalorum haeresi subscriberet et Anthimum restitueret in sedem suam, eadem legi in Vita Agapeti eisdem notata circumstantiis. Agapetum enim inducit Historicus cum Imperatore questum, quod non ad principem christianum venisset sed ad Diocletianum. Item Vigilium coram eodem Justiniano et Theodora alloquentem profert, quod non hos invenisset piissimos; ast ex adverso in illis Diocletianum reperisset et Eleutheriam.

Ceterum nonne stultum esset, postquam Justinianus, testibus Agapeto Papa, Petro hierosolymitano, Menna et Concilii Patribus ab eo adunatis, et ipsius Principis epistolis, confessus est fidem catholicam et anathematizavit acephalorum haeresim et quascumque alias; et postquam testatus est se illusum fuisse non ab haeretica Anthimi doctrina, iterum dico, non ab haeretica Anthimi doctrina, quasi haeresim, etiamsi nolens, adprobasset Imperator; sed inquiens se ab Anthimi ejusdem simulatione captum, asserentis se quatuor conciliorum profiteri fidem, cum revera chalcedonense decretum et s. Leonis epistolam refutaret; nonne, ajo stultum esset, tot et tantorum testium detrahere fidei, ut dicatur cum Anastasio Justinianus haereticus et amplius Pontificum Romanorum hostis et persecutor?

Hoc autem magis ex sequenti patefiet Vigilii epistola ad Justinianum circa an. 540. scripta: in qua Pontifex litteras memorat sibi ab eo datas de sua fide orthodoxa, et ubi inter alios haereticos, ab eo anathematizantur Anthimus et omnes acephali. Ait Vigilius: « Unde nos in Domino gloriari nimium convenit quod non imperialem solum sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est . . . . Ex qua re venerabilis Imperator devota venerationis gratulatione suscipimus, quod ardore fidei et suavis iracundiae commotione succensi nobis etiam pios direxistis affatus; in quibus beatae recordationis Coelestinum

et Leonem Apostolicae Sedis praesules; qui singulas haereses, pro divina sibi dispensatione commissa, cum synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi debeant christiani, mansura in aevum lege sanxerunt, laudabili commemoratis affectu .... In his vero, in quibus Mennam fratrem et coepiscopum nostrum memorem libelli sui, quem praedecessori nostro beatae memoriae Agapeto ordinationis suae tempore vestrae clementiae consensu porrexerat, sequitur revera Sedis Apostolicae disciplinam, haereticis inferius comprehensis Severo eutychiano, Petro apameno et Anthimo ecclesiae constantinopolitanae pervasori .... et aliis anathema dixisse pietas vestra mandavit, in nullo a nobis quidem moleste suscipitur a praedicto fratre nostro vel a quolibet alio in haereticos dicta damnatio; sed et libenter amplectimur, et Sedis Apostolicae auctoritate firmamus etc. »

Simul itaque consertis, quae Justinianus de se, et Pontifices Agapetus et Vigilius de seipsis et de Principe indubiis ac mutuis asserunt testificationibus ab anno 535. usque ad annum 540. patet unam tantum fidem, et unum studium in haereticorum insectatione horum permovisse animum; quin nec in uno nec in aliis aliquod defectionis indicium manifestetur a Synodo chalcedonensi. Undenam ergo Justiniani cum Vigilio occultum pactum et illius in hunc violentia pro restauratione Anthimi in sedem episcopalem, et pro acephalis et pro abolitione epistolae s. Leonis? Attamen Anastasius hujus impietatis reos utrumque corripit et Imperatorem et Papam. Cui ergo credendum est?

Deinde, his ita se habentibus de Vigilii concordia cum Justiniano in Anthimi et acephalorum damnatione, tres circiter annos innovata post Pontificis ascensionem in Petri Cathedram, ne sincera quidem fiunt Anastasii dicta, ubi ait Vigilium Constantinopolim profectum circa an. 547, per duos annos contendisse cum Theodora et Justiniano, *ut, quod antea* (idest ab initio Pontificatus an. 538.) *promiserat,* restitueret Anthimum acephalum in sedem suam. Justinianus enim post Vigilii electionem circa an. 540. per litteras ipsi Papae acceptissimas, fidei suae professionem emisit; ubi

quatuor acceptis synodis, cunctos damnavit haereticos, in quibus Anthimum et socios acephalos. Quomodo ergo postea instans denuo rogavit Pontificem ut Anthimum haereticum restitueret in sedem episcopalem?

Interea non abs re erit meminisse quae ipse Vigilius sub an. 545. ad Aurelianum arelatensem scribit de Imperatore et uxore sua: « Oportet ergo, ait, fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut domnos filios nostros clementissimos principes Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat: qui pro his vestrae charitati mandandis . . . . pia praebuerunt devotione consensum. »

Nonne jure ergo refutanda erit narratio Anastasii, qui ab anno 536. ad 547. quater, diversa aetate, Justinianum ut Anthimi et acephalorum patronum arguit, cum ex praefatis ejusdem Principis et Pontificum ineluctabilibus documentis perpetuo aversatus est. Quapropter ipse Vigilius de eo gloriatur, *quod non imperialem solum sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est Dominus*. Et haec pro fidei integritate a Justiniano servata et pro ejus obsequio in Romanos Pontifices coram imperio et Ecclesia jugiter patefacto adversus Anastasii illusiones satis.

Quae vero de exlege Vigilii electione narrat Bibliothecarius, refutantur ab ipso Pontifice: qui in persona beati Petri Apostoli ad orbis catholici episcopos scribens, manifeste testatur, se non per ambitum, nec principum haereticorum favore, neque per occultas nefandas sponsiones ad Pontificatum ascendisse; sed a Deo, licet immeritum, tanquam Aaron vocatum. Et hoc ait, fortasse sentiens in vulgus furtive introductas adversus se falsas criminationes: quas jure praeveniens, in litteris ad Auxentium arelatensem asserebat in eo expletum esse Apostoli dictum: *nec quisquam sumet sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Deinde de se, *superest*, ait, *ut Deus, qui nos immeritos ineffabili misericordia honorem pontificalem miserans pro sua pietate concedit, donet et praemium*. Item ad Galliae episcopos: *quantum*, scribit, *nos divina potentia apostolorum primi Sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suae*

*misericordiae pietate habere constituit; tantum nos de universarum ecclesiarum dispositione et pace et statu curam habere convenit etc.* » Alibi item dicit: *A Deo vocatus ad Catholicam regendam Ecclesiam. Quem constituit Dominus super familiam suam.* Similiter: *Cui (Sedi Apostolicae) Deus nos praesidere voluit.* Non ita sane Ecclesiae Catholicae illusisset Vigilius, quin saltem erroris sui (magni sane momenti) sicuti et emendationis indicium aliquod proderet, si reapse contra Canones, ac tantorum scelerum auctor Petri Cathedram ascendisset.

Ast, si, ut vulgaris sententia tenet, dubitatur de canonica ejusdem electione, quamvis postea putetur, emendatis erroribus, legitime sacro ministerio functus; non ignoratur quoque Petrum adhuc discipulum errantem, negasse Magistrum suum. Attamen statim in se factus, errorem suum confessus est, et amare flevit. Vigilius errasse dicitur, Pontificatum ambiens, ac pacta sacrilega iniens cum haereticis. Nihilominus ipse deinde in persona Petri regens Ecclesiam, nec errorem suum confessus est, nec amare flevit. Sed ex adverso in conspectu totius orbis negans se fuisse in ovile ovium intrusum, asserit se a Deo clementissimo vocatum ad regendam Ecclesiam suam. Ac insuper coram malevolis et obtrectatoribus testatur se jugiter Petri tenuisse fidem, et nunquam ab ea defecisse.

His itaque limpidis, genuinis et ingenuis Vigilii roboratus declarationibus, suo loco singillatim discussis, satis me fecisse existimavi, ut heterodoxi et orthodoxi sibi persuaderent, quam immerito a tractatoribus Historiae ecclesiasticae correptus sit Pontifex, tum ob praesumptam intrusionem, tum ob impiam Theodorae et Justiniano praestitam sponsionem de abolenda Synodo chalcedonensi: et hinc quanto jure Anastasii et aliorum, ab his nefandis actis asserentium Vigilium auspicatum esse Pontificatum, refutarim auctoritatem. (Confer Tomum IV. c. XX.)

Ego utique cum c. Censore Libri pontificalis auctoritati detrahere nollem, quoties praestantioris auctoritatis non obstarent documenta citata et discussa, nec pauca sed plurima: quoties circumstantiae in illo expositae, sive quae

spectant ad Pontifices Agapetum, Vigilium, Pelagium, et ad Justinianum, genuinis coalescerent horum dictis: et quoties frequentissima in his non occurrerent indicia praeclara, quae cunctas excludunt dubitandi rationes de recto Justiniani sensu, de ejusdem perpetua concordia cum episcopatu catholico, sicuti de Vigilii et Pelagii I. animi integritate et firmitate in tractanda quaestione trium Capitulorum et in eorumdem condemnatione.

Quapropter, et si dicatur Anastasius in Vita praefatorum Pontificum ab Archiviis Ecclesiae Romanae collegisse, quae ipse enarrat; ne ambigendum quidem est extitisse in ipsis Archiviis praefatas epistolas aut decreta tam Pontificum quam Justiniani (de quorum sinceritate nemo hucusque dubitavit) contraria omnimode capientia iis, quae a Bibliothecario notantur, documentis. His adde, eorum, quae scribit Anastasius 300. fere post annis, adhuc ignorare auctorem et aetatem, si tunc vel postea vixerit, qualis fuerit ejusdem fides, et fontes unde ea decerpsit: et si reapse ab Archiviis romanis, vel aliunde ea collegerit; et si scripta aut vulgares traditiones secutus sit; ac praecipue quoad trium Capitulorum negotium supra modum agitatum ex partium studio in Africae et Occidentis ecclesiis, ubi alii ea defendebant, expugnabant alii, vicissim se lacessentibus haereseos nota. Et si dicendum foret, ut verisimillimum est, Anastasium ab eisdem Liberati fontibus ea deduxisse, quae narrat de Vigilio et de Justiniano, tunc ad tollendam illusionem, in Tomo IV. c. XX. XXI. XXII. discussa sufficerent. Ac ideo, quamvis ea ipsa aetate vixisse dicatur iste Pontificum et Justiniani historiae concinnator: nihilominus cum ex adverso stent certa et luculenta eorummet testimonia, qui pro seipsis coram Ecclesia et imperio obtestantur aliter quam scribit Anastasius, jure istorum fides alteri praeferenda est.

Demum circa Anastasii Bibliothecarii illusiones in collectione vitae Romanorum Pontificum conferantur, quae scribit c. Joannes Baptista De Rossi *Roma sotterranea*. Tomo I. c. II. n. 3 p. 122.

## CAPUT IV.

*Sequuntur animadversiones in ceteros scriptores, quorum aliis c. Censor ait me nimium concessisse, aliorum non animadvertisse sensum, et aliorum modo admisisse, nunc repulisse auctoritatem.*

Hucusque expositum est, quanti faciendum sit Anastasii testimonium in historia Vigilii, praesertim quoad versatilem ejusdem animum in quaestione trium Capitulorum, ejusque discordiam cum Justiniano, et quae ideo ab eo passus dicitur Papa, ubi perperam eum accusari ostendi; tamen c. Censor perrexit, asserens non esse a silentio Pontificum successorum, quos vocavi testes, inferendam, quam propugnavi Vigilii stabilitatem et concordiam inter ipsum et Imperatorem.

Respondeo, et dico non modici momenti esse, quod Pelagius II. in epistola ad Istriae episcopos scribit, eadem schismaticorum dicta repetens, quibuscum asserebant antistites occidentales una cum Vigilio damnationi Capitulorum obstitisse. Nihilominus praeter hanc excusationem, altera ab eis et quidem potissima addenda erat petita a versatili Vigilii animo et a violentia Justiniani, ut ab eo extorqueret assensum pro illorum condemnatione, quod iterum iterumque dico, majorem pervicaciae in schismate praebuisset praetextum, si reapse post Vigilii adventum in Urbem regiam, hujusmodi supervenissent circumstantiae.

Alioquin absurdum videtur authenticas Vigilii epistolas ad Rusticum et Sebastianum, ad Valentinianum et Aurelianum paulo ante Synodum datas, tum circa trium Capitulorum damnationem jam subscriptam ab ejus ingressu in Urbem regiam, tum relate ad Justinianum, cujus probitatem et fidem orthodoxam celebrat, et quem tuetur a maledictis undique ex schismaticorum perfidia in eum vulgatis (quos ait ob praesumptas discordias, *sacrilegas injurias irrogare Principi tentasse, ut populum christianum astutia diabolica deciperent*) absurdum dico videtur putare has epistolas ex-

torsisse a Vigilio Justinianum; et Papam contra sensum suum talia scripsisse de se et Imperatore, ut fidelibus illuderet.

Et si obiter admittatur Vigilium epistolis citatis et Constituto novissimo subscripsisse non ex conscientia sed ex metu Justiniani, cur postea Pelagius I. Pelagius II. et s. Gregorius Romae degentes, liberi in muneris pontificalis exercitio, nec quidem ignari eorum, quae Constantinopoli facta erant, quare obtestati non declararunt irritas tam epistolas quam Constitutum vi a Vigilio exactum in damnatione trium Capitulorum? Et cur tantopere deinde propugnarunt coram schismaticorum pervicacia synodalem definitionem et Papae sanctionem? Et cur demum s. Gregorius imperitos vocat, qui ea Capitula defendebant?

Neque his perspicuis documentis obstat, quod mihi objicit c. Censor ex Vigilii epistola ad Aurelianum depromptum, ubi inter cetera dicit: « Sed quantum possumus per filium nostrum Anastasium, de his quae gesta sunt, breviter nos indicare necesse est. Et cum nos Dominus filius noster clementissimus Imperator, sicut promisit, Deo, qui cor ejus tenet, juvante, reverti praeceperit, hominem qui vobis ad singula subtiliter innotescat, Deo propitio, destinemus. Quod ideo adhuc non fecimus, quia et hiemis asperitas, et Italiae, quae vos non latet, necessitas praepedivit: donec serenissimus Princeps, sicut desiderat, Domino sibi auxiliante, subveniat. »

Ex hac pericope non est ut suspicemur, aliquid occultare voluisse Pontificem adversus Justinianum, quasi ab eo vim passus sit in trium Capitulorum anathemate. In praemissis enim hujus epistolae inquit Papa se ea Capitula damnasse, addens per hanc damnationem integra manere definita in quatuor synodis generalibus. Proinde in hac orat Aurelianum ut cunctos episcopos hortetur, ne a falsis scriptis vel mendacibus verbis turbentur, et hoc ex parte schismaticorum. Ideoque cum ingenue ita scribit, non est praesumendum in sequentibus ipsius dictis aliquid occultari, superioribus suis contradicens contestationibus; idest de violentia, vel carcere, quae passus esset Justiniani jussu, donec

decreto damnationis subscriberet. Verum secus ea exponenda sunt. Dicit enim Papa se breviter de gestis ob hanc quaestionem scribere, confidens se cito Romam reversurum, et tunc per litteras cuncta expositurum singillatim: cum eo usque reditu praepeditus fuerit ab hiemis asperitate et ab Italiae necessitate a gotthis oppressae. Quod in sequentibus firmat inquiens: « Et quia gotthi cum rege suo in Civitate romana perhibentur ingressi. » Ac ideo Vigilii vota ad Deum pro Justiniano erant, non ut evaderet ab ejus persecutione; ast ut ille Italiae ac Romae simul oppressae a gotthis consuleret. Quod quidem in ipsius Imperatoris votis erat, per haec expressis: *Donec serenissimus Princeps, sicut desiderat, Domino sibi auxiliante, (Italiae) subveniat.* »

Et cum in Italia haec acciderent, et hinc cohiberetur Vigilius a reditu, non minor sollicitudo Pontificis animum angebat ob ecclesiarum Africae, Superioris Italiae, et Illyrici defectionem, subscribere renuentium trium Capitulorum anathemati per Judicatum sancito. Quamobrem Constantinopoli indicta est Synodus oecumenica: ad quam vocati praesertim illarum ecclesiarum antistites, integre servatis, quae definita erant Chalcedone, convincerentur de legitimo Capitulorum anathemate; etsi Synodo pauci interfuerint, ceteris reluctantibus, contra Pontificis spem. Ob haec tantum Vigilius in Urbe regia, non captivus, non vi adactus, non vexationibus affectus, mansit, sed liber in sua persona in suae potestatis exercitio, honoratus a Principe. Qui alter alterum in fide concordes ac mutua reverentia prosecuti, studiose incumbebant ad Ecclesiae pacem et episcoporum consensum in praefata quaestione. Quousque, Papa adprobante, atque Concilio adunato, confirmata est Capitulorum trium condemnatio cum ipsius Vigilii sanctione. Et id plane intelligitur ex novissimi Constituti verbis; ubi Pontifex ait n. 26: *Quorum* (Nestorii et Theodori mopsuesteni) *venena diuturnis temporibus occulta serpentia, nunc aperta professione manantia, nostros et christianissimi Principis omniumque orthodoxorum animos permoverunt, attendentium non esse amplius differenda remedia, ubi, per patientiam dissimulatione nutrita, tam magni mali videtur crevisse pernicies.* »

Et ita explicatur praecipue, cur diu Constantinopoli moratus sit Vigilius, aliter a vana praesumptione, quam historici incauti conceperunt, a schismaticorum perfidia illusi.

Itaque non est attendendum quod legitur in *epistola legatariis*, ubi dicitur Vigilius scripsisse ad Aurelianum sub custodia positus, nec ei licuisse significare quid in ea causa Capitulorum ageretur, « nisi tantum *de aliis causis*: et quia fidem catholicam et quatuor synodorum reverentiam secundum traditionem Patrum custodit atque conservat. » Et haec dicit anonymus illius epistolae Auctor.

Nequaquam, dicam ego, non *de aliis causis* extra quaestionem Capitulorum, sed expresse et absolute de tribus Capitulis tractat Vigilius in his litteris ad Aurelianum, eadem repetens quae scripsit de Judicato ad Rusticum et Sebastianum et ad Valentinianum. Et ob hoc insuper instat vehementer hortatus Galliae episcopos *ne a mendacibus verbis et nuntiis et falsis scriptis turbarentur*. Quae *mendacia verba, nuntii mendaces et falsa scripta*, ea ipsa erant a me discussa et refutata in c. XVIII. et praesertim haec eadem *epistola legatariis*. Deficiunt igitur quae vulgo creduntur de Principis violentia in Vigilium, ita ut talia ex metu noluisset scripto mandare. Non enim in secreto scripsit Vigilius epistolam, nec occulte tradidit Anastasio ut nemo hanc legeret nisi Aurelianus. Ab ipso enim Imperatore paulo post haec eadem citatur; et in Synodo legitur cum ceteris, quas Papa de eisdem Capitulis scripsit. Siquid adversus Principem ille indicasset, idest quod captivus in Urbe regia teneretur Vigilius, nec scribere ob metum auderet quae de seipso erant, sperans se nihilominus post reditum suum facturum; fortasse Justinianus, hac in eum violentia usus, non dubitasset saltem de se et contra se verti ea verba? Proindeque hunc haud ignorans epistolae tenorem, nec ita scribere ei permisisset, nec multo minus coram Synodo hoc protulisset Vigilii documentum in suipsius condemnationem.

Nihilominus c. Censor circa dissensum Vigilii cum Justiniano et hujus violentiam in eum et in Pelagium, testes appellat Marcellinum et Victorem; et ait me alias admisisse horum testimonia, alias eisdem negasse fidem.

Respondeo, utique Marcellinum adhibui testem in iis quae in Chronico notantur ante annum 534. Quae vero in eo leguntur post hanc aetatem, ubi ait: « *Post consulatum Basilii v. c. XIII. Vigilius Papa tandem ab imperatoribus romanis et a Narse de exilio relaxatus, cum Romam redire coepisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit*, non pertinent ad Marcellinum: « Quae deinceps post 534. sequuntur (scribit Jac. Sirmondius in Tomo II. p. 268.) ad finem usque principis Justiniani, ab alio postea quopiam adjecta sunt, et a Panvinio primum, deinde ab aliis, nullo discrimine, pro Marcellinianis edita . . . . Quo factum est, ut in reliquis ad finem usque panvinianam editionem sequi necesse fuerit, demptis annorum ad calcem epilogismis: quod idcirco praetermittendos censuimus, qua nihil ipsos, neque ad Marcellini Chronicon neque ad ejus Appendicem pertinere constabat. » Nomine ergo incertus, aetate, et fide Chronici Continuator, incertos nos quoque relinquit, quanti facienda sit ipsius auctoritas. Ceterum ad quos iste respiciat citans imperatores romanos, nescio, ac tantumdem quod scribit de Narsete, qui cum praefatis ab exilio Vigilium revocavit, cum jam ab anno praecedenti pugnaret in Italia contra gotthos.

Item Victor, in postrema Chronici parte ait Pelagium romanum archidiaconum antea trium Capitulorum defensorem ac dein ex Justiniani persuasione damnatorem, rediisse ab exilio (Tomus IV. p. 290). Liberatus vero alter Capitulorum defensor contra commilitonem suum, asserit Pelagium inter primos insurrexisse adversus ea Capitula. Et ita revera est: nam Ferrandus et Vigilius in litteris ad Rusticum et Sebastianum plane hoc testantur. Cur ideo in exilium relegatus erat? Ceterum quod de Appendice anonyma Chronico Marcellini addita dictum est, idem innovandum de Victoris libro, cujus novissima pars alteri quam huic inscribenda est. Ibi enim bis mentio agitur de Pelagio. Primum dixit Victor hunc ab exilio reducem, damnatis tribus Capitulis, dudum antea constantissime defensis, a praevaricatoribus Ecclesiae Romanae praefectum fuisse episcopum. » Ac paulo post iterum ac simpliciter dicit: « Anno 33. Imperii

Justiniani Pelagius Romanus ordinatur episcopus. » In his cernito inanem repetitionem ac varimode expressam de eadem persona. Ac amplius cernito quomodo schismatici a veritate devii inter se decertent seque mutuo collidant in enarrandis hujus quaestionis circumstantiis: et quanta perfidia usi sint in Romanorum Pontificum Vigilii et Pelagii gestis obscurandis eorumque falsandis dictis.

Ad cunctas vero refellendas calumnias contra hos Pontifices jactas, satisfiunt Pelagii I. dicta in epistola VI. ad episcopos Tusciae, ubi (sicut antea Vigilius) ait: *satis mirati sumus ita vos apostolicae auctoritatis oblitos, ut divisionem vestram ab universali Ecclesia, meo etiam volueritis (quod absit) consensu firmari.* Et cur Tusciae episcopi fatentur, se tria Capitula defendere, nisi quod illusi a falsis vocibus et scriptis per sycophantas vulgatis, quasi Pelagius schismati adhaesisset? Et cur Pelagius bis obtestatus est coram Ecclesia, se numquam illis adhaesisse Capitulis, intime sentiens illorum impietatem? Et si praeterea numquam Pelagius mentem suam mutarit; quare a Justiniano mittitur in exilium? Ubi non est reatus, neque poena infligenda est. Quapropter si praefata ut apocrypha et falsa rejecerim testimonia, in Marcellini et Victoris Chronico citata, nec inconsulto nec temere egi.

Quod vero de Victore dixi et de Facundo, quorum ob praefatas causas aliquando usus sum testimonio, cum in ceteris restiterim; item dicatur de Procopii *Historia Arcana* in Justiniani vituperium congesta: ubi nec praesumpta discordia inter Principem et Vigilium, nec notantur injuriae huic ab altero inlatae. Quas, si reapse contigissent, minime silentio praeteriisset Historicus. Valde enim sua intererat has Principis indicare improbitates. Et qui plura falsa commentus est adversus Justinianum; eo magis ista, quae vera reputantur, his adjecisset. Et ideo quid hoc officit argumento, si universim in isto Procopii libro maledicta repulerim; et in hac parte illius acquieverim silentio, ab eo pro Justiniano inter cetera testimonium petens, ubi contraria et explicita expectanda erat ipsius sententia?

Praeterea circa hunc Vigilii et Justiniani dissensum, ubi

unus defendit et alter condemnat tria Capitula, nemo orthodoxorum (quos appello) ignorat hanc quaestionem non ad imperii laici judicium, sed ad Ecclesiam pertinere, non ad Imperatorem, sed ad Pontificem. Si itaque, ut volunt adversarii, dissentiebat Vigilius a Justiniano; et si dissensus talis erat, ut Papa tria Capitula pie statuta defenderet, et Justinianus impia refutaret; quid concludendum superest, nisi quod dicatur laicorum principum in rebus fidei decreta praeferenda esse definitionibus Romanorum Pontificum, quibus Jesus in persona beati Petri dedit claves regni coelorum? Nam Justiniani sententia (quae alteri Vigilii dicitur praevaluisse) in condemnatione trium Capitulorum, accepta fuit deinde et probata ab ipso Pontifice in Constituto non tantum, sed a Pelagio I. Pelagio II. a s. Gregorio I. suisque successoribus; et altera Vigilii sententia in eorum Capitulorum defensione ab eisdem refutata. Et quidem ad hanc conclusionem cogimur, admissa discordia inter Pontificem et Justinianum, istius accepto et alterius repudiato decreto. Si vero, ut pietati christianae decet, de medio tollatur inter Principem et Papam hujusmodi dissensio, ac merito statuatur (quod amplissimis argumentis propugnavi) Ecclesiae Magistrum Vigilium et ejus discipulum Justinianum convenisse in refellendis his pravis et impiis Capitulis, tunc tollitur ab Ecclesia scandalum, et restituitur Pontificatus Romani decus.

Ita porro se continuisse Justinianum in hac quaestione constat ex litteris datis ad Eutychium pro convocatione Concilii, cum inquit se vocasse in Urbem episcopos et interrogasse, ut proferrent judicium suum. Insuper in epistola ad quosdam trium Capitulorum defensores, miratur quod non suum, sed universorum Ecclesiae Dei antistitum judicium nihil faciendum existiment: « *Quamquam igitur*, ait, *Capitulorum impietas manifesto pateret; tamen Ecclesiae Dei antistites in unum congregatos rogavimus quid decernerent sentiendum.* »

Quanto porro jure fuisse ea Capitula damnata in Synodo V. contra praesumptionem, ignorantiam et perfidiam defensorum, conferantur peculiari disquisitione discussa in

Tomo IV. cc. XVI. XVII. ubi tanti scandali praesertim in Africa, in Italia Superiori et Illyrico causae potissimae, hucusque fortasse ignoratae, patefiunt; quae ideo lectori summopere commendantur.

Siquis autem velit hujus fictae discordiae et persecutionum, quas passum esse Vigilium a Justiniano in vulgus spargebant nonnulli, investigare causas, has invenerit a Victore et Facundo notatas. Qui utique testes, dum negant hanc Vigilii discordiam cum Justiniano et hinc suppositas persecutiones, quas passus dicitur; fatentur tamen aerumnas tales procaces trium Capitulorum defensores pertulisse, quod decreto damnationis obstiterint. Inquit Victor: « Post Consulatum Basilii an. XII. . . . . Verecundus ecclesiae nicensis episcopus in defensione memoratorum Capitulorum, Chalcedone urbe, ubi refugium fecerat, in diversorio gloriosae matris Euphemiae de hac vita migravit ad Dominum. » Item de suo et aliorum episcoporum schismatis promotorum exilio loquitur. Et cum ambo de se et de suis ita narrant, aperte negant talia a Justiniano pertulisse aliquando Vigilium. Quod sibi vult, utrumque concordem parique zelo egisse adversus tria Capitula.

Similiter dicatur de decretis a Vigilio editis, stante Synodo, circa ea Capitula. Tria enim numerantur. Unum, quod incipit *inter innumeras sollicitudines* ab eo subscriptum et novendecim episcopis extra Synodum, cum ceteri in plenario coetu discuterent. In hoc namque decreto Theodori mopsuesteni scripta damnantur ut haeretica, ipsius tamen persona absolvitur. Item Ibae inscripta Epistola orthodoxa declaratur quippe a Patribus chalcedonensibus ita declarata est. In secundo *Decretum confirmationis Synodi* inscripto, ait Pontifex, se a daemone illusum errantemque ea defendisse Capitula; attamen addit se non erubescere erroris sui confessionem, ea condemnans. In cujus fine ad litteram eadem enunciantur lecta in tertio decreto, eodem tempore eademque de causa edito, quod incipit *Aetius*: et quod genuinum facimus, uti Judicato, epistolis Vigilii ad Rusticum et Sebastianum, ad Valentinianum, ad Aurelianum et synodali definitioni consentaneum, et maxime a Pontificibus Pe-

lagio I. Pelagio II. et successoribus et ab Ecclesia Catholica acceptum ac probatum.

Et sane in hoc est Constituto, ubi refutantur Vigilio adscripta in duobus praemissis: ubi anathematizatur, quae dicitur, Ibae Epistola; ac simul damnantur, qui adstruere nituntur, hanc fuisse a Synodo chalcedonensi susceptam et orthodoxam declaratam: ubi paulo post iterum dicit a se, et a Patribus in Chalcedone jure fuisse damnatam: ubi subdit, « absit ut quisquam asserat, tria Capitula fuisse a Synodo chalcedonensi suscepta, vel eos, qui talia sapuerunt, fuisse susceptos. » Et ubi demum concludit, se hoc decretum damnationis emisisse, *ne plebs Christi Dei nostri amplius seducatur*.

Cum igitur ita doceat Vigilius, suspicari quis poterit, ipsum antea illusum ea propugnasse Capitula? Inquit enim non se sed haereticos machinatos esse, ut adstruerent Ibae Epistolam fuisse a Patribus chalcedonensibus susceptam. Praeterea dicit, absit ut quisquam asserat hujusmodi blasphemias huic Epistolae insertas ab ea Synodo comprobatas esse. Nec ullimode dicit se aliquando eas suscepisse ac postea refutasse. Item ait se hoc emisisse damnationis decretum *ne plebs Christi Dei nostri seducatur*. Nec confessus est, se eo usque a daemone illusum; sed veretur ne alii illudantur. Non se vocat seductum; ast curat ne plebs Dei amplius seducatur. Non dicit se hucusque ea defendisse Capitula, et dein, mutata sententia, reprobasse; sed jam pridem ab eo fuisse refutata. Jure ergo inter scripta nota duo priora documenta remisi, ut tantummodo hoc superesset authenticum novissimum Constitutum, cum alia praeclare pateat, collatione facta, elaborata fuisse ex hujus genuini falsatione et mutilatione.

Haec porro apocrypha, falsa documenta et aliae chartae de controversiis inter Vigilium et Justinianum, stante Synodo, ortis, amplissime refutantur ab Eustathio omnium teste oculato quae in ipsa Synodo facta sunt. Dicit enim: quatuor patriarchas, in quibus Vigilium, convenientes, *cunctis dubitationibus et controversiis non violentia atque partium studio, et affectione, sed demonstrationum et cohortatio-*

*num vi dissolutis, summa pax et magna tranquillitas in Ecclesia Dei consecuta est.* Et paulo post: *Cum igitur ex quatuor pastorum concordia, rectoque sensu factum esset veluti unum ovile* etc. In his verbis ubi discordiae daemon, ubi contradictiones, ubi comminationes, ubi violentia, ubi carcer ubi perjurium, ubi simulatio, ubi scandalum, prout jactat schismaticorum perfidia? Nec aliter ab Eustathio expectandum erat, cum ejus testimonium de Synodi concordia in damnandis tribus Capitulis consonat dictis Vigilii in Constituto novissimo (1).

Praeterea contra praesumptam Vigilii instabilitatem in hac quaestione et discordiam cum Justiniano, et hujus minas et violentiam in alterum ut illorum Capitulorum subscriberet anathemati, prout legitur in praefatis documentis, aliud audiatur testimonium Victoris et Facundi. Quorum etsi in quibusdam refutavi dicta, in hoc tamen quod vertitur de Pontificis inconstantia et ejus dissensu cum Principe, eisdem annuo, et lubenter illorum accipio et probo testificationes: et utpote tales accipiendae sunt. Cum enim valde eis profuisset has orthodoxis objicere circumstantias, ii tamen nedum praeterierunt, sed prorsus mentiti sunt, specialem ex adverso, post subscriptum anathema, notantes Vigilii pervicaciam, quin ab ejus ingressu in Urbem regiam usque ad obitum, se emendaret aut retractaret.

Reapse Facundus in epistola pro tribus Capitulis scripta post synodum V. ubi confirmatum est Judicatum contra eadem, duo notat animadversione digna. Unum adversus Vigilium, Pelagium I. et Principem, quos acephalorum consortes nuncupat; et alterum, ubi breviter memorat Vigilii

(1) Photius in Libello de Spiritu Sancto, Pontifices appellans, quos suae doctrinae favere putat, Damasum, Coelestinum, Leonem, Vigilium, de isto scribit: « Considerate etiam Sedis successorem, non minori gloria fulgentem, Vigilium inclitum; qui et ipse Synodo V. praefuit, quae oecumenicis sanctisque decretis claruit. Hic ceu regula inculpabilis rectis ejus Synodi sententiis consonans etc. » Conferas Tomum I. Novae Collectionis veterum Patrum per Card. Angelum Maji in 4.° p. XXIV.

ipsius Constitutum novissimum. In primo damnatores Capitulorum rogat ut intelligant et cognoscant : « quod egerint; et sentiant se ab ea Ecclesia praecisos, cujus decreta, quantum in ipsis est, convellentes, haereticorum se catervis, favendo eorum votis, pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab haereticis acephalis, idest semieutichianis, exquisita et elicita Capitulorum damnatio, et Vigilii atque Pelagii romanorum praevaricatorum, et Primasii byzaceni praecipui doctoris acephalorum, edita contra Ecclesiam scripta protestantur. »

Cum in his dictis Facundus vellicet praesertim Vigilium et Pelagium I. quid sibi vult, rogo ego, illud vocabulum *pertinaciter*, nisi quod ex certa scientia noverit, ambos Pontifices et maxime Vigilium post suum in Urbem regiam adventum, subscripto Judicato in trium Capitulorum damnationem, numquam postea resipuisse, nec unquam retractasse, nec emendasse, nec dubitasse? Ac insuper cum ibidem Facundus Vigilii scripta appellet in testimonium illius pervicaciae; quomodo sumenda erunt genuina et authentica ea Pontificis vel aliorum documenta, in quibus dicitur ipse nunc tria Capitula probasse, modo condemnasse; et nunc suspendisse, modo temperasse decretum: modo illos condemnans qui ea refutabant, nunc qui ea defendebant?

Rursus dico, satis sibi utilitatis comparasset Facundus, si unum tantummodo ex his documentis genuinum objecisset, ut vigiliani decreti imminueret auctoritatem coram Ecclesia. Attamen Facundus a Pontificis scriptis hanc tollens instabilitatem et contradictionem, illius pertinaciam increpat, in iis Capitulis anathematizandis.

Praeterea ex hac epistola sicuti ex Libro contra Mocianum et in aliis ad Justinianum intelligitur quomodo Facundus de Judicato a Vigilio subscripto adversus tria Capitula, vix Constantinopolim advenerat, disputans, ait vel melius supponit, quod vulgo dicebatur, Pontificem vel ex pollicitationibus Justiniano factis, aut ex venalitate, vel ambitione, sive ex ignorantia, seu ex violentia, anathematis obsignasse decretum. Ita sane, sicuti de aliis episcopis, fingit. Nihilominus, postquam Vigilius subscripsit anathemati, Fa-

cundus, qui aliquot annis post Synodum oecumenicam dedit hanc epistolam, nec ab aevo Judicati nec postea nec unquam carpit Pontificem ob decreti retractationem, nec ob inconstantiam; sed illius carpit pervicaciam in patrocinando et servando anathematis judicio. Et ob hoc, dixi, Facundus in testimonium hujus pervicaciae citat Vigilii scripta. Quomodo ergo genuina et authentica fient a me refutata documenta, ubi contrarium statuitur ipsius Pontificis pervicaciae? Quam pervicaciam ille ipse fatetur et corripit Facundus, qui negare debuisset, coram Ecclesia ea ostentans scripta, ut suum invalesceret in Vigilii redargutione propositum.

Ceterum nec Victor nec Facundus posteris mandantes, quae ob oculos suos de hac quaestione evenerant post Vigilii Judicatum usque ad Concilii V. terminum, conticuissent, sed ad extremum usque terrae publicassent hujuscemodi momenti circumstantias. Quamobrem, aut dicatur Facundus praecipue, contra seipsum agens, mentitus esse, Vigilium *pervicacem* nuncupans post Judicatum, quippe numquam a decreto damnationis discessit, cum reapse ex ipsis documentis retractasset et rursus se deinde emendasset: aut dicatur falsa tenenda esse cuncta scripta, in quibus dubius et versatilis notatur Vigilii animus, et quae hinc consecutae sunt Justiniani cum eo discordiae et vexationes.

Alterum vero animadversione dignum in eadem Facundi epistola eruitur ex sequentibus dictis; ubi appellat ad Constitutum ultimum adversus tria Capitula a Vigilio subscriptum: in quo brevi sermone, ipse ait, concludit synodalem et pontificiam definitionem: ubi alteram excludit de Origene quaestionem et anathema; et ubi ut apocryphum repellit Constitutum supra citatum cujus initium *inter innumeras sollicitudines;* quocum restrictione quadam de Theodori mopsuesteni scriptis, defenduntur tria Capitula, unde plures illusi sunt, in quibus c. Baronius.

Idem dicatur de Theodori Ascidae Caesareae Cappadociae episcopi, Mennae et aliorum damnatione ex Vigilii rescripto: quod primus Theodorus nempe, ceteris ei assentientibus, decretum contra tria Capitula per *Judicatum* expressum, publicarit, et relegerit coram quibusdam graecis

episcopis; quod non erat publicandum sed reservandum futuro judicio, asserens insuper ex hac publicatione orta esse scandala in Ecclesia. Hujus autem excommunicationis tenor legitur in Encyclica ad universam Ecclesiam ipsi Vigilio inscripta, in altera ejusdem epistola de Theodori Ascidae damnatione, et in alio fragmento, quod idem decretum continet, a Baluzio citatum.

Quomodo vero ut genuina et sincera sumenda erunt hujusmodi Vigilii scripta edita post suum *Judicatum* et post epistolam ad Rusticum et Sebastianum? Pontifex enim in his litteris ait se Judicato adversus tria Capitula subscripsisse, non ut in secreto custodiretur, nec ut futuro reservaretur episcoporum judicio; sed hoc ipso tempore coram universa Ecclesia notificandum (quod ipsi quoque fatentur Victor et Facundus) ut cuncti fideles scirent, et agnoscerent, ea Capitula ut impia fuisse damnata, et praeterea anathematizatos, qui huic restitissent decreto: sicuti reapse ibidem notat Vigilius, quosdam a communione a se suspensos, in quibus praesertim citatos Rusticum et Sebastianum: qui antea *Judicatum* susceperunt, et postea perfide refutarunt, scandalum undique ecclesiarum excitantes. Jure ergo inter alia commentitia scripta, ista quoque duxi committenda.

Quapropter ab his scriptoribus, et quidem pervicacibus, trium Capitulorum patronis abstuli auctoritatem: quorum auctoritatem antea repulit Vigilius. In ceteris vero extra hanc quaestionem, pari suscipienda duxi auctoritate, quae in aliis scriptoribus vulgo servatur: et hoc docet ars critica. Aut melius, si documenta refutata, ab ingenuo et noto scriptore dictata fuissent, et quidem definitioni consentiente adversus tria Capitula latae, tunc deficeret argumentum. Sed cum Facundus, Liberatus, Victor aliique coaevi et successores, aut incauti, vel ex animo ab illorum testimoniis capti, simul insurgerent acerrimi defensores trium Capitulorum etiam post synodale decretum damnationis, totisque viribus in Vigilium et Justinianum irrumperent; ubicumque non reperi concordes cum genuinis Vigilii et successorum Pontificum epistolis et decretis, sed aperte pugnantes, haud immerito, quippe catholicus, illorum de hac re testimonia du-

biae vel potius malae fidei tenenda esse existimavi. Quare jure Vigilius (nuper dicebam) saepe adversus istos obtestatus est, hos vocans mentitores, falsatores, detractores; quibus titulis cumulatos legimus et a Pelagio I. et Pelagio II.

Liberatus ex. g. ardentissimus trium Capitulorum defensor in c. XXIV. *Breviarii* de istorum conquestus damnatione inquit: « Illud liquere omnibus credo per Pelagium diaconum et Theodorum Caesareae Cappadociae episcopum, hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum. Quod etiam publice ipse Theodorus *clamitavit, se et Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.* » Attamen Pelagius ipse Diaconus ac deinde Papa in epistola ad Childebertum hujus dicti meminit, refutatque falsitatem: « *Nam et huc in Italiam, quamdiu nos in Constantinopoli fuimus, de nomine nostro chartas mittebant dicendo, quasi nos dixerimus fidem catholicam esse corruptam.* » Et ab uno disce omnes. Et sane hoc Pelagii testimonium adversus Liberati impudentiam jactum, non est parvi momenti.

Siquando autem tria Capitula defendentium usus sum testimoniis, hoc egi non absolute, sed ceteris subjungens, quae aliunde ab ipso Vigilio et ab aliis orthodoxis sincera admittuntur. Sicuti tantumdem adversariorum de hac re se mutuo collidentium documenta notavi, ut magis assertionum suarum pateret falsitas, et nostrum polleret argumentum. Et sane aegreferendum est, tunc plures extitisse scriptores praesertim latinos, qui vel ex ignorantia, vel data opera, tria Capitula propugnantes, pessumdata Vigilii definitione, probrosis insimulationibus illius personam prosecuti sunt, de quibus valde conqueritur in suis epistolis. Quorum documenta Anastasius inconsulto in Bibliothecam suam traduxit cum Pontificatus Romani detrimento: et unde posteri, etiamsi nolentes, Ecclesiae hostibus obtulerunt arma, quibus validius contra nos dimicarent; et usque modo nostram fidem sugillant.

De ceteris, nemo inficiatur illorum, quorum testimonia refutavi circa hanc quaestionem, alios schismatis primores fuisse nomine et professione notos, alios anonymos sed ad eamdem pertinere classem, ac praesertim in latinis Africae,

Superioris Italiae et Illyrici regionibus, penes quos miserandum schisma diuturnius perduravit. Ac tantumdem neminem lateat, illorum documenta a Vigilio et Pelagio I. citata (in quibus *chartae* numerandae sunt huc illuc in orbe christiano volantes, et quarum in actis Concilii occurrunt exemplaria) ab eisdem pariter repetenda esse, qui tria Capitula mordicus defendebant. Quapropter cum uterque Pontifex saepe et instanter in persona Petri Apostoli obtestatus sit coram Ecclesia adversus hujusmodi perfida et sacrilega scripta; vir quisque orthodoxus (mihi donetur a Censore) temeritatis reus efficitur, auctoritatem in ipsis collocans, merito et amplissime ab utroque Papa propulsatam.

Immerito igitur c. Censor, qui alioquin (grati animi sensu dico) ceteras meas pro Origenis doctrina discussiones exactas probans, encomiis exornavit, immerito igitur me praecipitem vocat in amovenda a scriptoribus trium Capitulorum patronis auctoritate, vel in aliis corripiendis documentis apocryphis et mendacibus sub illorum patrocinio editis. Non ego praeceps fui, sed antecessores nostri (ab Anastasio incipiens, qui a coenosis fontibus hausit de Vigilio narrata) praecipites in judicandis hujus Papae gestis se dederunt; et hinc in ignominiae barathrum dejecerunt Romani Pontificatus decus, aurem praebentes dolosis et perversis schismaticorum suggestionibus, undique per orbem diffusis in posterorum illusione. Non ego, iterum dicam, praeceps rui in vindicanda memoria Vigilii; ast ii praecipites nuncupandi sunt, qui hujus Papae dicta praetereuntes neglexere, cum quater contra suos obtrectatores obtestatus sit, et potissimum in litteris ad Valentinianum; quibuscum monuit *iis convocatis, quos scandalizari diversis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos forsitan seducantur: qui sub praetextu catholico, nequissimo spiritu simplicium christianorum corda, fallacia sua decipere moliuntur; et patris sui diaboli consuetudinem maligno spiritu sectantes, ecclesiam tibi commissam diversis mendacibus scriptis conturbare desiderant.* » Et hujus generis erant trium Capitulorum defensores. Cum igitur ita obtestetur conquestus Pontifex de falsis rumoribus contra se vulgatis in fidelium scandalum; et

cum tantumdem, quos recensui, maledici scriptores adversus Vigilium inter se discrepent et unus contra alterum pugnet in enarrandis illius gestis; quid amplius superest, nisi ut cuncta dicantur fictitia de eo in vulgus prodita?

Ideoque ab his et aliis hujusmodi munitus adminiculis, si plura documenta inter flammas comburenda tradidi, non abs re feci. Absolute namque refragantur sinceris praefatorum Pontificum assertionibus. Proindeque jugiter paratus incedam, promptusque calamum obstringendo et cum iis congrediendo, qui in Vigilio pontificiam dignitatem vituperant. Non enim de aliquo peregrino dogmate tunc disceptabatur praeter tria Capitula; non alia quaestio potissimum in regionibus Occidentis promota fuit, nisi de Ibae Epistola ad Marim persam, ceteris silentibus haeresibus sub orthodoxo Justiniani imperio. Ideo cuncta, quae notantur saepe a Vigilio ac deinde a Pelagio falsa scripta maligno et diabolico spiritu dictata, et undique diffusa ad fidelium illusionem, tantummodo repetenda sunt a praefatis manifestis et occultis auctoribus, qui valde aegreferentes trium Capitulorum damnationem, animose et nil intentatum relinquentes, irruperunt, vim expugnaturi illius decreti.

Et quid probabilius (quod negat Censor) Rusticum et Sebastianum Ecclesiae Romanae diaconos, quorum Vigilius rebellionem a Judicato publice exprobrat; et quorum refutat maligna scripta: et quid insuper probabilius, ceteros schismatis fautores, qui tanto iniquo zelo Capitulorum contradixere proscriptioni, tam impudenter voce et libellis communi opinioni illudendi causa, istud conatos esse? Nihil certe probabilius.

Quamvis vero cuncta scripta, quorum auctores vel noti sunt vel anonymi, ceu a schismaticis edita, refutanda sint, parum historiae nocet: nobis tamen superest vox Petri. Nostris quotidie, inquam, personant auribus genuina et fidelia Pontificum Romanorum Vigilii, Pelagii et aliorum decreta pro juridica trium Capitulorum damnatione: ac ubi praecipue illorum limpidae iterantur obtestationes adversus eadem, et istorum patronos, schismatis provocatores, ignorantes et perfidos.

Et quis demum renuerit his sinceris explicitis et implicitis subscribere tantorum virorum testimoniis? Et quis una nobiscum istud nolit? Pontificem Vigilium cernens tam probrosis cumulari conviciis seu in persona privata, aut in Petri cathedra situm, Ecclesiae Catholicae Magistrum; ob cujus gesta prava et ignobilia iis aequiparandus foret, quos aliquando historici de quodam perditissimo viro locuti, ceu singulare monumentum posteritati tradunt? Cernens, dico, Papam in conspectum populorum traductum, judicandum ut intrusum in ovile ovium, ut haereticum, ut simoniacum, ut homicidam, ut perjurium, inque suis decretis quasi folium a vento raptum, huc illuc errantem, modo asserentem, nunc negantem quae antea affirmavit?

## CAPUT V.

*Adversus c. Censoris opinionem probatur Origenem nullimode fuisse ab oecumenica Synodo V. damnatum.*

Si hucusque in historia Sinodi V. minus propitium animadversionibus meis se gerat c. Censor; haud secus egit in quaestione origeniana; ubi, postquam validis argumentis in c. IX. propugnavi intrusionem Origenis inter alios haereticos damnatos in Canone XI. Synodi V. et postquam in cap. sequenti satis ostendi in ejusdem Concilii Collatione V. intrusam pariter, et quidem adversus argumentationis ordinem, pericopem, ubi dicitur damnatus Origenes a Patribus in ea Synodo et a Vigilio: et quamvis Censor mecum fateatur extra locum insertam dictam pericopem, quippe sermonis abrumpit nexum; nihilominus episcopi disserentis in Synodo imperitiam potius corripit, quam intrusoris perfidiam. Et ob hoc subjecit asserens hujusmodi aberrationis exempla reperiri aliquando apud Ecclesiae scriptores. Attamen cunctis perpensis hujus historiae circumstantiis, et maxime viri disserentis peritia, audax mihi videtur opinio, adeo ut huic communicare nequeam, quin sanae criticae praetergrediar leges.

Et quidem cum ita putet Censor se difficultati satisfecisse; non tamen sensit, se paulo post, alia majore praepediri, quae manifestatur in Programmate, seu in Confessione fidei Justiniani: quae talis est, ut amplissime confirmetur, revera falsatam fuisse genuinam lectionem actorum synodalium, nec disserentis fuisse errorem. Et hinc nisi credatur intrusioni, credatur saltem genuinae Justiniani expositioni, ubi sole splendidior coruscat interpolatio Collationis V. hujus Synodi. Et non solum ex Programmate patefiet Adamantii nominis et anathematis intrusio in loco citato, sed et falsatio canonis XI. ubi item extra locum notatur ejusdem nomen inter haereticos inscriptum: supra quod prius aliquantulum immorari interest.

Ac interim nemo nescit, hanc Justiniani Confessionem summarium continere totius quaestionis de tribus Capitulis;

ubi praeclara ad haec spectantia citantur veterum testimonia, eademque sparsim in Concilii V. actis lecta: ubi adversariorum argumenta refutantur; ubi manifestissime origeniana quaestio excluditur; et ubi amplius inspicitur Programmatis convenientia cum Vigilii Judicato ac novissimo ejusdem Constituto.

Ac revera Justinianus coram Ecclesia integram suae fidei emittens Confessionem, quatuor synodorum oecumenicarum decreta appellat, nicaenae, constantinopolitanae, ephesinae, et chalcedonensis, ac una nomina censet haereticorum, qui in illis anathematizati sunt, Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychis cum suis asseclis, qui cum illis eadem senserunt et sentiunt: « Ita se habentibus, subdit, visum est et κεφάλαια capita subjicere, quae per compendium et rectae fidei confessionem, et haereticorum continerent condemnationem. » Deinde distinctis capitibus, haereticos et haeresim notans et expendens, in capite speciali damnatos a quatuor synodis recenset et ait.

*Textus Programmatis ex Chronico alexandrino edito a c. p. Radero p. 827. c. X.*

Εἴ τις μὴ ἀναθεματίζει Α'ρειον, Ε'υνομιον, Μακεδόνιον, Α'πολινάριον, Νεστόριον, Ε'υτυχέα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτοις φρονοῦντας, ἢ φρονήσαντας, ἀνάθεμα ἔστω.

. . . . . . . . . . . .

*Textus Collationis VIII. Synodi V. Canon XI.*

Εἴ τις μὴ ἀναθεματίζει Α'ρειον Ε'υνόμιον, Μακεδόνιον Α'πολινάριον, Νεστόριον, Εὐτυχέα, καὶ Ωριγένην, μετὰ Ἰῶν ἀσεβῶν αὐτῶν συγγραμμάτων, καὶ τοὺς ἄλλους πάντας αἱρετικοὺς, τοὺς κατακριθέντας καὶ αναθεματισθέντας ὑπὸ τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ε'κκλησίας, καὶ προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τῶν προειρημένων αἱρετικῶν φρονὴσαντας, ἢ φρονοῦντας, καὶ μέχρι τέλους τῇ οἰκέιᾳ ἀσεβέιᾳ ἐμ-

| | |
|---|---|
| . . . . . . . . . . . . . | μείναντας· ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα |
| . . . . . . . . . . . . . | ἔστω. |
| Siquis non anathematizet | Siquis non anathematizet |
| Arium, Eunomium, Macedo- | Arium, Eunomium, Macedo- |
| nium, Apollinarium, Nesto- | nium, Apollinarem, Nesto- |
| rium, Eutychen, . . . . | rium, Eutychem, *Origenem* |
| . . . . . . . . . . . . . | *cum impiis eorum conscriptis* |
| . . . . . . . . . . . . . | *et alios omnes haereticos dam-* |
| . . . . . . . . . . . . . | *natos et anathematizatos a san-* |
| . . . . . . . . . . . . . | *cta Catholica et Apostolica Ec-* |
| . . . . . . . . . . . . . | *clesia et a praedictis sanctis* |
| et quicumque cum his eadem | *quatuor synodis*, et eos, qui |
| sentiunt, vel sensere . . . | similia *praedictis haereticis* sa- |
| . . . . . . . . . . . . . | puerunt vel sapiunt, *et usque* |
| . . . . . . . . . . . . . | *ad mortem in sua impietate* |
| . . . . . . . . . . . . . | *permanserunt, vel permanent,* |
| anathema sit. » | anathema sit. » |

In primis nescio quare in horum capitum aut canonum expositione, eaque considerata discrepantia inter Justiniani Programma et Collationem VIII. et hinc, quae patet, glossa istius super Programma conflata, ne animadversa sit quidem, ob Origenis intrusionem, altera difficultas, qua dicendum foret non in Synodo V. sed in quatuor oecumenicis praecedentibus conciliis eumdem damnatum fuisse : unde magis augeretur solutionis labor. Ex actis enim illarum synodorum sive graecis seu latinis nullibi legitur istum ab illis fuisse aliquando anathematizatum : et cum insuper tantus labor tria defendentium Capitula, ut tunc ille condemnaretur, frustra insumptus foret, quando Ecclesia universalis jam anathematizatum sciebat, nullaque aetate nullaque ratione retractatum, sive emendatum fuisse anathema.

Sed non est in hoc tantum, quo detegitur manus infidae intrusio in falsandis genuinuis synodi V. actis : sed aliud maximum superest indicium, etsi c. Censor imminuere conatus sit momentum. Istud enim, siculi de antecedente dictum est, eruitur ex Collatione V. et ex eodem Justiniani Programmate ; ubi idem argumentum occurrit tractatum, sed in quibusdam variat ob intrusionem damnationis Origenis, quae

et jure deest in Programmate. Pergens enim Justinianus in refutandis tribus Capitulis, Patrumque adversus ea exquirens documenta, ut ostendat nihil officere canonicae haereticorum damnationi, siquando et a quibusdam laudati sint viris orthodoxis, scribit ( Idem Chronicon ex Radero p. 851.)

*Εὑρίσκομεν γαρ, ὡς πολλὸι τῶν ἁγίων πατέρων τινὰς τῶν αἱρετικῶν ἀπέδεξαντο, ὥσπερ καὶ ὁ ἐν αγίοις Δάμασος, καὶ Αθανάσιος, καὶ Βασίλειος Απολινάριον, καὶ Λέων δὲ ὁ τῆς ἁγίας μνήμης Ε'υτυχέα. Καὶ ὅμως ἐπειδὴ φανερὰ γέγονεν ἡ τούτων ἀσέβεια, ὀυκ ἐξέφυγον διὰ τὴν τοιαύτην ἀποδοχὴν αἱρετικοὶ τὴν μετὰ ταῦτα ἐις ὀικεῖον πρόσωπον καὶ τὴν ἀυτῶν ἄσεβειαν γενομένην κατάκρισίν τε καὶ ἀναθεματισμόν. Τοσάυτη δὲ ἐστὶν ἡ μανία τὸν Θεόδωρον ἐκδικούντων, ὅτι τολμῶσι καταψεύδεσθαι καὶ Γρηγορίου τῦυ Θεολόγου, καὶ Ιωάννου τῦυ Κωνσταντινουπόλεος, ὡς ἐπιστολὰς πρὸς ἀυτὸν Θεόδωρον ἀποστειλάντων πεπληρωμένας ἐπαίνου· ὅπερ ψεύδους ἐστὶ μεστόν.*

*Versio latina hujus pericopae Programmatis ex Radero.*

« Deprehendimus enim a multis aliis Patribus quosdam haereticorum laudatos seu receptos fuisse, velut a ss. Damaso, Athanasio, Basilio, Apollinarium; a s. Leone Eutychen; sed tamen postquam illorum patuit impietas, condemnationem, et anathema in personam propriam et impietatem illorum, quamvis antea laudati et recepti fuerint, non evaserunt haeretici . . . .

. . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . .

*Versio latina repetita ex citata Collatione V.*

S. Basilius enim quaedam scripsit de Apollinario; sed non propter hoc eum a condemnatione liberavit . . . Et Athanasius diversas epistolas ad Apollinarium scripsit tanquam eadem in fide sapientem; et tamen postea libros integros etiam post mortem illius scripsit adversus eum, cognitis illius blasphemiis in libris ejus. Sed etiam Leo s. memoriae Papa antiquioris Romae et suscepit Eutychen et rescripsit comprobans, et tamen postea condemnavit et anathematizavit eum tanquam

. . . . . . . . . . . . . haereticum. *Et multos quidem etiam invenimus alios post mortem anathematizatos, nec non etiam Origenem. Et si ad tempora Theophili sanctae memoriae, vel superius aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum. Quod nunc in ipso fecit et vestra sanctitas et Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romae.*

Tantus porro furor est eorum, qui Theodorum defendunt, ut audeant mentiri a Gregorio Theologo et Joanne constantinopolitano epistolas ad eumdem Theodorum laudis plenissimas esse missas, quod merissimum est mendacium. »

Praesumpserunt vero Theodori defensores etiam Joannis s. memoriae episcopi constantinopolitani litteras proferre, quasi ad Theodorum factas laudes ipsius continentes. Quod vero falsa ista sunt, testantur etc. »

His positis, non erit amplius puto dubitandum de intruso Origenis nomine et anathemate in actis Synodi V. sicuti nec tantumdem ambigendum de illorum perfidia et inscitia, qui hoc ausi sunt opus, extra tempus et locum hanc explentes intrusionem. Et cum haec ita sint, nonne manifestissime sequitur quod quaerimus, ab hac nimirum Synodo, damnatis tribus Capitulis, exclusam fuisse quaestionem origenianam; ac proinde adversarios horum Capitulorum defensores in ultionem Patrum, qui ea Capitula damnarunt ac Origenem orthodoxum defendebant, acta Concilii adulterasse, intruso in anathematis decreto Origenis nomine, ac etiam quandoque ab ipsa Synodo abrasis tribus Capitulis, posteris tradidisse, Origenem tantum fuisse in hac Synodo anathematizatum?

Ceterum quid facilius, trium Capitulorum defensores, pro more suo acta falsasse Synodi V. ut una tolleretur illorum Capitulorum anathema, ac in horum locum intruderetur Origenis condemnatio, vel simul et Capitula et Origenes

anathematizarentur; sicuti a quibusdam monumentis apparet? Si vero hoc fieri potuerit, ac revera factum sit; ex adverso satis difficillimum mihi videtur, quod in citata Collatione V. Theodorus Ascida Caesareae Cappadociae episcopus contra ea Capitula disserens coram Patribus, ac rationes perscrutatus, ut ostenderet quosdam haereticos etiamsi a viris orthodoxis quandoque celebratos, non effugisse tamen canonicam Ecclesiae damnationem, difficillimum mihi videtur, inquam, quod ipse episcopus, alioquin vir doctus, contra sensum suum in hac quaestione irrumperet, et extra argumentum vagaretur. Extra argumentum quidem vagaretur, de iis disputans haereticis, quos ait, etsi quandoque a piis viris laudati sint, nihilominus postea, horum detectis erroribus, fuisse ab Ecclesia excommunicatos; et ita dicens, extemplo in medio orationis, abrupta argumentationis serie, ostendit, quosdam haereticos fuisse post obitum anathematizatos; quod praemissis contradicit. Item ipse Theodorus contra sensum suum processisset, hac proposita coram Concilii Patribus Origenis damnatione, cum ille inter primos, testibus trium Capitulorum defensoribus ac Palaestinae monachis, antea firmiter et quidem jure obstiterit hujus iniquae sententiae in Origenem ferendae, quem orthodoxum sciebat et in Ecclesia Catholica defunctum.

Siquis tamen adhuc instet pro Origenis damnatione in Synodo V. eisque accedat, qui subtractum fuisse putant illius nomen a Synodi actis; tunc dicendum foret hujus subtractionis auctorem in primis manum apposuisse novissimo Vigilii Constituto universae Ecclesiae dato, ubi nulla Origenis damnati mentio: quaeque ceterum nullimode omittenda erat. Dicendum nempe esset, hunc in principio, in medio et in fine Constituti subtraxisse a Pontifice exposita et decreta de hoc viro, prorsus resecto totius argumenti ordine. Et huic operi se applicuisset evirationis auctor, veluti suo loco dictum est. Num vero hoc fieri potuerit, judicet lector.

Et hoc idem factum esset in *Forma* Justiniani lecta coram Patribus a Synodi initio, et in epistola Vigilii pro ejusdem Synodi congregatione: ubi similiter excluditur Origenis mentio, nec tamen negligenda pro discussionis et definitio-

nis ordine. Ideoque siquis putet revera sublatam fuisse a Vigilii epistola et a novissimo ejusdem Constituto, et a Justiniani *Forma* origenianam quaestionem, concludendum foret, tria ista documenta ab imo ad summum subversa fuisse et corrupta a sua originali expositione, ut ab iis subtraherentur cuncta de persona et doctrina Origenis disputata ac definita : quod est absurdum.

Cum igitur ex his praemissis magis fulgeat viri intrusio in Synodi V. acta, non videtur dubitandum, trium Capitulorum patronos ob odium in Theodorum Ascidam orthodoxum et Origenis orthodoxi propugnatorem, istius nomen inter haereticos numerasse, sicuti tantumdem conati sunt modo Justinianum modo Vigilium falsis appetere scriptis et aliorum sincera interpolare, undique semina spargentes suae perfidiae et stoliditatis.

Et quis tantumdem non miretur stolidum illorum opus insumptum de Origenis erroribus et condemnatione, ac Justiniano inscriptum? Is enim, quamvis incessante zelo in haereticos pugnarit, nomina illorum in suis genuinis decretis saepius repetens ac errores refutans, nunquam tamen mentionem agit de Origene haeretico. Illum inquam Tractatum vel epistolam ad Mennam datam; ubi Auctor anonymus in odium illorum, qui Origenem orthodoxum habebant, priscis innovatis criminationibus, alia adjecit futilia; et ubi falsator, obtrectator insignis, et historiae et litterarum graecarum ignarus apprime comperitur.

Falsator, cum hanc epistolam sub Justiniani nomine vulgavit, quam ipse non scripsit. Obtrectator, ideo volens non solum Origenem sed et istius patronos ( qui tria Capitula refutarunt ) vellicare tanquam praesumptorum errorum participes, cum ipsi orthodoxi orthodoxa sentirent et orthodoxum Origenem propugnarent. Linguae graecae ignarus, cum s. Basilii verba Origenem ( tacito, ut videtur, nomine ) nuncupantis, *qui fuit ab Ecclesia* idest *catholicus*, in contrarium sensum vertit, inquiens eumdem haereticum *extra Ecclesiam Christi factum*. Historiae imperitus, dum ait Origenem *fuisse presbyterum ecclesiae alexandrinae*. In Palaestina enim ordinatus est, ac ideo a Demetrio ab ea ecclesia amo-

vebatur. Item illusus, subdens Heraclam *Origenem evulsisse de medio segetis.* Non enim Heraclas, sed Demetrius ob invidiam a Clero alexandrino separavit. Nequaquam Heraclas evulsit Origenem de medio segetis; ast Origenes in aliam provinciam profectus, agros dominicos ab haeresium dumetis purgaturus, in medio segetis alexandrinae a se excultae, plantavit Heraclam discipulum suum, ut seges fructus ederet suavitatis. Mentitor et obtrectator, asserens Origenem expulsum, *in Palaestinae regionem navigasse, ibique evomisse tenebricosum atque atrum vitae venenum.* Non enim venenum atrum in Palaestina evomit Origenes; sed divini verbi praeco vivificantem coeli rorem super illam et ceteras regiones effudit, veritatem et vitam; adeo ut vir fere divinus nuncuparetur, vir apostolicus et magister ecclesiarum. In regionem Palaestinae venit, non atrum impietatis venenum, sed sanguinem pro Christi nomine effusurus: et pro quo revera usque ad vincula et acerbissima tormenta pugnavit ipse, et discipuli ejus quam plurimi. Et num inveniri poterit vir audacior et stolidior hujus epistolae concinnatore, qui tanta mendacia et convicia excogitavit in pium virum?

Ceterum, quemadmodum scriptoris perfidia cunctam historiae diruit auctoritatem, ita historici in rebus enarrandis error aut illusio nunquam a posteris accepta fuit, aut probata ut haereditas legittima. Et ad hanc illusorum classem pertinent praefati de Palaestina monachi cum auctore epistolae Justiniano inscriptae de Origenis erroribus, qui circa hanc Concilii V. aetatem, quae ignorabant blasphemantes, ac nescii quae de *palingenesïa* seu regeneratione vel restitutione creaturae ad pristinum statum in resurrectionis aevo, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam ab Origene sapienter explicata fuerant, insurrexerunt adversus hunc virum orthodoxum, et alios pios cum eo recte sentientes, has easdem stultas, quae antea a Theophili aetate apud quosdam invaluerant, innovantes criminationes, amplissime a me refutatas in Tomo I.

Quamobrem, si in Synodo VI. post canonicam damnationem monothelitarum, adversus quos Synodus congregata est, nonnulli Patres interlocutores, aut quaestionis origenia-

nae ignari, seu genuinae Concilii V. historiae imperiti, et incaute sese committentes aliorum narrationibus, inter haereticos citarint Origenem suosque asseclas, nihil officit nostris disquisitionibus, quibus a Concilio V. amovimus origenianam quaestionem : eoque magis quod ex variis, quae occurrunt, citationibus a Concilio VI. repetitis, diversa et incerta notantur ejusdem acta.

Ex. g. in Actione VIII. legitur epistola Macarii haeretici monothelitae; qui inter haereticos post Severum et Themistium numerat Origenem, Evagrium et Didymum, quos anathematizatos ait ante Synodum V.

In Actione XI. lecta est epistola Sophronii episcopi Hierosolymorum : ubi ait in Concilio V. damnatos Origenem, Didymum et Evagrium una cum tribus Capitulis.

In Actione XIII. citatur *Satisfactio* inter Cyrum et theodosianos, in qua sicuti in Programmate Justiniani, renovantur adversus haereticos decreta quinque Synodorum cum exclusione Origenis.

In Actione XVIII. dicitur Synodus consonuisse quinque praecedentibus; quarum ultima congregata fuit adversus Theodorum mopsuestenum, Origenem, Evagrium, Didymum, scripta Theodoreti, et Ibae Epistolam.

In eadem Actione legitur Sermo *prosphoneticus* acclamatorius a sacro Concilio compositus ac Constantino nuncupatus, qui incipit *a dextris Dei*. In hoc enim instaurantur acta omnium, quae praecesserunt, synodorum. De Concilio V. dicitur: « Sicut et Vigilius post haec Justiniano piissimo consonuit; et quintum Concilium constitutum est, *ut quorumdam opuscula, quae latenter reperta sunt, abhominatione repleta, anathematizarentur*. Hinc patet hujus *Sermonis* auctorem Theodori mopsuesteni libros, Ibae Epistolam ad Marim persam et Theodoreti scripta adversus duodecim Capitula s. Cyrilli alexandrini, solummodo anathematizata considerasse, exclusis Origene et sociis.

In Edicto Imperatoris ex eadem Actione XVIII. a Concilio V. dicuntur damnati Origenes, Evagrius, et Didymus, Ibae Epistola et Theodoreti scripta. Excluduntur tamen ab anathemate persona et libri Theodori mopsuesteni. Item in

epistola Leonis II. ad Constantinum imperatorem (si tamen genuina habetur) cum eadem exclusione Theodori occurrit anathema trium Capitulorum et Origenis: quod sane mirum est, cum Theodorus mopsuestenus constitueret maximum negotium in Concilio V.

Ab hucusque expositis sexies constat a Patribus in Synodo VI. mentionem fieri decretorum Concilii V. quin tamen sibi coalescant. Alius enim dicit in hoc Concilio damnatum Origenem, Evagrium et Didymum una cum tribus Capitulis. Alter ait damnatum Origenem cum suis sed extra hanc Synodum. Alius nec a Synodo V. nec unquam memorat anathematizatum Origenem. Alter notat a concilio V. anathemate percussos Origenem et socios, Ibae Epistolam et Theodoreti scripta; sed ab hoc anathemate excludit personam et libros Theodori mopsuesteni. Cuinam ergo istorum credendum est? Hinc colligas quid putandum sit de similibus quaestionibus ab historia repetitis: et quanti illorum facienda sit opinio, qui inde Origenem damnatum propugnant in eadem Synodo.

Attamen c. Censor confugit ad testimonium Cyrilli monachi; qui in fine vitae s. Sabbae scribit: « Itaque cum sancta et universalis quinta Synodus Constantinopoli esset coacta, communi et generali anathemati submissi sunt Origenes et Theodorus mopsuestenus cum iis, quae de praeexistentia et restitutione dicta sunt ab Evagrio et Didymo, praesentibus quatuor patriarchis, atque decreta comprobantibus. » Deinde subdit decretum Hierosolymam missum fuisse et confirmatum ab episcopis: unde factum est, ut monachi neolauritae a catholica communione se separarent.

Hoc porro documentum inter falsa rejeci; et quidem jure. Accepto enim Cyrilli testimonio supponendum esset, duo concilia oecumenica eodem tempore Constantinopoli adunata fuisse: unum de quo loquitur Cyrillus, et ubi disceptatum est de Origenis erroribus; et aliud de tribus Capitulis. Nihilominus saepius laudati Romani Pontifices unum tantummodo asserunt in horum Capitulorum damnationem adunatum esse. Et saepius hoc obtestati sunt. Quibus ergo credendum est? Haud arbitror Censorem potius Cyrillo fi-

dem exhibere velle, quam Patribus in Synodo collectis: quinimmo puto, dictis Cyrilli posthabitis, Vigilii, Pelagii I. Pelagii II. s. Gregorii Magni limpidis accessurum declarationibus. Vigilium dico, qui in epistola de Synodi adunatione et in Constituto pro ejusdem confirmatione unum oecumenicum Concilium, et unam de tribus Capitulis quaestionem memorat.

Item de s. Gregorio, (in cujus vita haec facta sunt) dico, qui unam tantum quaestionem de his Capitulis motam, et unam Synodum oecumenicam collectam statuit. In Libro I. epistolarum n. 25. scribit: « Quintum quoque Concilium pariter veneror; in quo et epistola, quae Ibae dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quae beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiae prolata refutantur. » Insuper in epistola 51. Libri II. ait: « Nam in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, aperte liquet, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum. Sed sicut scitis, de quibusdam illic personis solummodo est actitatum. Quarum una, cujus scripta evidenter a rectitudine catholicae fidei deviabant, non injuste damnata est. » Et profecto, cum s. Pontifex unum appellet Concilium V. et ait unam personam cum tribus Capitulis ab eo damnatam idest Theodorum mopsuestenum, excludit apertissime Concilium alterum, et alteram Origenis personam; quae perperam putatur a Synodo condemnata.

Cotelerius in notis hujus s. Sabbae vitae a Cyrillo conflatae scribit: « Quare merebatur iste pro virtutibus suis, ut minus a Simeone Metaphraste contaminaretur. Poterat quidem, si ita videbatur, minus graeca mutare . . . Sed cur (nihil dico de additionibus et mutationibus) quam plurima historiae magnique momenti et scitu dignissima detraxerit, rationem et excusationem nequaquam video. » Et quidem in suis illusionibus pergens Auctor confudit personam Theodori mopsuesteni cum Theodoro Ascida: et amplius ignorat quid sibi velit vocabulum *restitutio*, de qua loquitur Origenes; cum nec iste, nec Evagrius, nec Didymus *praeexistentiam*

nec *restitutionem* admiserint. Et quare c. Censor Cyrillo monacho et Evagrio Scholastico circa Concilii V. acta, credidit potius quam (praeter praeclara Pontificum testimonia) Victori et Facundo, quorum valde intererat in odium Theodori Ascidae Origenis condemnatio? Attamen isti confessi sunt, tria solummodo Capitula fuisse a Patribus communi decreto anathematizata, et alteram exclusam Origenis condemnationem. Victorem dico, qui in Chronico, ab initio Pontificatus Vigilii usque ad exitum, singillatim notans et Pontificis et Imperatoris pro unoquoque anno gesta, nec Synodum nec decretum aliquod adversus Origenem memorat. Demum summatim loquar de hujus Cyrilli scriptis: vel is prorsus ignarus fuit historiae Concilii V. vel inter defensores trium Capitulorum numerandus est, qui, data opera, illius acta falsavit.

De ceteris, quae ad Vigilii vitam et assumptionem ad Pontificatum, vel ad acta Concilii V. seu ad Justiniani fidem pertinent, conferatur Tomus IV. ubi distinctis capitibus cuncta enucleantur.

## CONCLUSIO

Demum quid proficit illorum documenta rimari, consure, interpretari, qui Vigilii Papae et Concilii V. acta enarrunt; cum universim hujus historiae tractatores pro tris Capitulis pugnarunt? Et quid ex illorum testimoniis eemus? Cuncti enim perfidiae coeno involuti in Vigilii ipae atque aliorum tria Capitula expugnantium vitupeim tantummodo incumbunt. Nisi quod super mendacium itruentes illorum dicta, unus contra alium dimicat. Unus cit, Vigilium sponte Roma discessisse, alter invitum et vi actum Constantinopolim profectum. Alius ait Papam saepe itentiam suam circa tria Capitula mutasse, modo defenden·n, nunc ea refutantem. Alter subdit nunquam Vigilium ractasse sententiam, sed ab initio Pontificatus usque ad timum se firmiter continuisse in Capitulorum damnatione. ius ait Pontificem secreto cum Justiniano convenisse, ac rasse se ea Capitula proscripturum, ac deinde pejerasse. ter narrat Vigilium carcere detentum, ac variis afflictum ie aerumnis donec subscriberet decreto damnationis. Alius erit in exilium relegatum Papam, donec revocatus subipsit anathemati Capitulorum. Unus scribit Pelagium quoe ab exilio revocatum a Justiniano, illorum damnationi ivenisse; alter negat. Unus ait Vigilium se finxisse aegron ne Synodo adstaret; alius subdit illum Synodo adunatae tare noluisse, quod plures ibi adessent episcopi orientales paucissimi occidentales. Alii de tribus Capitulis in Syno· V. tantummodo disputatum existimarunt. Alteri vero oriianam quaestionem in ejusdem actis voluere consertam, alii negarunt.

Sed quid opus est huc illuc discurrere inter discordes es? Quid necesse est impervias calcare semitas, per quas am nunquam assequi contingit? Vel quae utilitas calumores et perfidiae magistros aut illusos interrogare, quid um sit in Synodo V. cum illorum adserta commentitia r se mutuo contendant ac refutentur?

Sed huc adsint, siqui adhuc dubii: audiant vocem Magi· qui sine fraude, absque ambagibus in simplicitate ser-

monis universam docet Ecclesiam : ac limpide exponit quidquid disputatum est inter Patres in Synodo V. congregatos: et quod Synodus decrevit et Papa sancivit. Auscultent Vigilii vocem, cui resonant Pontifices successores. Auscultent vocem Principis pastorum , qui aperiens os suum locutus est. Et ita locutus est, ut, si cuncta periissent veterum documenta de hoc Concilio, ac ea potissimum superius citata, et tantum superessent nonnulla, et hoc unum Constitutum novissimum : istud satis foret, ut omnia tollerentur ab Ecclesia scandala, in quae plures offenderunt, et hucusque offendunt.

Non sane mentitus est Vigilius, cum asseveranter ait, omnia, quae in vulgus a perfidis Capitulorum defensoribus de se voce et scripto ferebantur, nec fecisse nec dixisse unquam. Nec mentitus est, dum testatur, se nunquam tria Capitula defendisse quippe profana et impia. Non mentitur Vigilius, cum inquit, se aliquot annis Constantinopoli moratum, nec vi ibi detentum sed fiducia, si forte ea ipsa Capitula defendentes plures ex episcopis Africae, Illyrici et Superioris Italiae illusi resipiscerent, priusquam anathematizarentur. Non mentitur Vigilius coram Ecclesia, quando ab initio Pontificatus ad exitum usque erga se obsequentissimum incessanter Justinianum laudibus prosequitur, fidei unitatis, Ecclesiae pacis zelatorem, et in profligandis haereticis studiosum.

Haud mentitur Papa in Constituto; ubi praemissa fide s. Leonis, ait : « Posteaquam beati chalcedonensis Concilii expositionem, vel beati Leonis epistolam de sancta et orthodoxa fide posuimus . . . . et, Deo juvante, in ea nos omni sincerae mentis devotione persistere fraternitas vestra et universalis cognoscit Ecclesia : necessarium valde credimus pro ejus servanda per omnia reverentia, de suprascriptis trium Capitulorum quaestionibus diligenter debere nos cuncta discutere et cauta promulgatione definire etc. » Non mentitur, inquam, Pontifex in hoc Constituto, appellans a Synodo discussa de tribus Capitulis : et hinc epistolae suae pro illius adunatione consentaneus, penitus ab ea amovit alteram Origenis quaestionem. Nullus enim ei locus extitit in Concilio; nec de eo nihil disputatum est.

Non mentitur Vigilius, cum testes vocans episcopos et :cclesiam Catholicam, ait plures illusos et seductos in trium apitulorum defensione, et hanc inter fideles progredi illuonem, quasi in Synodo chalcedonensi ea Capitula comproata forent. Et quum dicit alios ex animo, alios errore ita redidisse: nullibi tamen de sua persona locutus, subdit se uandoque vel a diabolo illusum, seu ab ignorantia graeie linguae, sive a quorumdam dolo (veluti in falsis et perdis sub ejus nomine vulgatis scriptis dicitur) ea defendisse apitula, et hinc se emendasse. De aliis loquitur illusis. lios dicit credere, in Synodo chalcedonensi Ibae epistolam rthodoxam declaratam fuisse. Ipse vero, absit, subjungit, t ita de se dicatur.

Non mentitur Vigilius in hoc Constituto, quod a se sub:riptum, acceptum et probatum fuit ab orientali et occidenli Ecclesia, etsi plures obstarent Africae, Illyrici et Italiae aperioris episcopis. Non mentitur per hoc solemne decreım explicite vel implicite cunctis derogans falsis documen›, quae c. Censor refutanda esse non existimavit.

Non mentitur Vigilius, nec poenitentiam agit quasi erıns, ad Justinianum scribens, ubi ait se s. Leonis epistolas l Flavianum constantinopolitanum et ad Leonem Principem nnino amplecti ac defendere; eosque damnare, qui quoıo modo contradicerent aut dubitarent: et quibuscum damıt Severum eutichianum, Petrum apamenum, Anthimum, alios haereticos, addens *non dignos censeri antistites, qui aefatorum praesulum sedis apostolicae inviolabiliter constita minime servaverint.*

Et non tantum in hoc Constituto nequaquam mentitur ıgilius exponens quae ab eo facta sunt in trium Capituloım causa; sed ne mentitur quidem, quando saepe in epi›lis coram Ecclesia testatus est, se a Dei clementia eleum fuisse et vocatum ad regendam Ecclesiam suam.

Quapropter aut credatur Vigilii confessioni et protestaınibus de sua canonica electione, de sua fide in genuinis is scriptis coram Ecclesia exhibitis, et praecipue sensibus culenter expositis in novissimo Constituto adversus tria pitula: aut dicatur Vigilius Papa universae illusisse Ec:siae.

De ceteris, cum inde trium Capitulorum defensores ob canonicum anathematismum illis inflictum, deliri et mente capti, in Vigilium insurgentes, falsa et calumniosa sibique contraria commenti sint, undique orbis christiani fusa; et cum hinc Vigilius ipse suique successores saepius obtestati sint contra hujusmodi falsitates: nonne pii et catholici viri munus est horum assentiri dictis, ac per ea redarguere schismaticorum *ignorantiam, vaniloquentiam, pervicaciam et perfidiam?* Et sane super ista elementa sese erexerunt isti, inquit Pelagius I. in suis epistolis, ut dirimerentur ab Ecclesia Catholica et pugnarent adversus eam. Et ob hoc de illis conquerebatur Pelagius II. in litteris ad Eliam aquilejensem. « *Quae enim*, ait, *mei spiritus requies esse potest, si ab occulto hoste inflictum vulnus mederi non potest? Ecce in cunctis mundi partibus sancta et universalis Ecclesia unitatis suae radiis fulget. Sed tamen adhuc umbram vestrae divisionis sustinet. Ubique in fidei statu perdurat; sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat.* »

Hanc porro divisionem, et hoc vulnus Pelagius I. Pelagius II. s. Gregorius Magnus non repetebant a Vigilio intruso, haeretico, et vago in suis decretis, non a Justiniano sacrilego et ecclesiastica invadente jura, non a patribus in Synodo V. adunatis, vel donis, seu violentia superatis, ut anathemati subscriberent trium Capitulorum. Nequaquam, dico, ab his, quorum memoriam pie reveriti sunt, repetebant Pontifices Ecclesiae vulnus: sed aliter ab illis, qui subscribere detrahentes illorum Capitulorum damnationi, incessanter voce et scriptis maligno spiritu acti, suas et fidelium mentes perverterunt. Ideoque, quoties, iterum dico, nolimus, sicuti pietati convenit, Vigilium in judicium vocare simulationis reum in hoc ultimo Constituto, necessario ab eo, quod hucusque vulgo putatur, recedendum est, et inter commentitia scripta releganda citata monumenta.

Cunctis itaque perpensis, quae c. Censor scripsit adversus, quam studiose texui Vigilii, Origenis et Justiniani, apologiam, cum sentio illum inveteratae et adhuc praevalenti obsecutum esse opinioni, ita ut quae a me citata et discussa pro iis sunt testimonia, vel cum dubio susceperit, seu abso-

lute refutarit: aliter atque aliter sciat factum esse ab aliis, qui in publicis lectionibus, admissis a me allatis genuinis documentis, et propterea ceteris abjectis infido calamo elaboratis, sollicitos se praebuerunt in patrocinanda Pontificis et aliorum causa. Alioquin Censor, cum in quaestione de Vigilio universim meae thesi, in qua maculas a charactere illius sacro et suae dignitatis celsitudine abstergere nisus sum, contraire studuit, haud sensit se idcirco inimicis Ecclesiae Romanae convenisse, ne illae tollerentur labes; sed magis effecisse, ut auctoritate sua fixae et indelebiles superessent in illius Pontificis condemnationem.

Ideoque si c. Censor nequaquam putet se mecum convenire in Origenis et Vigilii apologia; neque ego eidem assentiri potero; ulterius pati nolens primo, quod a sua aetate praeclarum et venerandum Origenis nomen ignobilibus maculetur titulis, et haec ignominia dicatur sancita a Synodi V. Patribus. Secundo pariter nolens, quod in Vigilio Pontificatus Romani sanctitas subjiciatur haereticorum irrisionibus, et hodiernis Ecclesiae christianae majestatis profanatoribus. Ac insuper nolens, ut Vigilius in munere pontificio explendo vocetur *dormitans*, veluti a quodam heterodoxo dictus est ob innumeros ei inflictos reatus, et animi sui levitatem. Verum a somno diuturno velim excitare virum, ut nomine et actu vigilans, inspiciat, quanta contra se confinxerint malevoli; et ut in persona Petri vigilans obtestetur se a tot criminationibus fuisse immunem; et ut evigilarent omnes velim hucusque illusi et confusi a perversis obtrectatorum machinationibus in sanctum Pontificem excogitatis.

Denique huc summarie redactis clarissimorum Censorum judiciis circa Origenis defensionem, etsi fateantur me plurimum laborasse ac profecisse in ipsius memoria vindicanda ab haereseos labe: nihilominus plura adhuc asserunt deesse. Ita reapse, respondeo, deest quod praecipuum est, quod summum est, quod totum est. Deest nempe, ut aliquando patefiat, Origenis adamantii et origenistarum haeresim, in quam Theophilus et Hieronymus ac nonnulli circa Concilii V. aetatem tanto studio inclamarunt, fictitiam fuisse

et imaginariam, ac nunquam in Ecclesia extitisse. Ad quam demonstrationem lubenter accedo.

Hoc autem eo lubentius agam, cum quidam (*) in recensione hujus Operis, fortasse vetustis praejudiciis captus, opinionem suam adversus Origenem et hinc contra quam suscepi Apologiam, tanta putavit pollere auctoritate, ut, propitio multorum clarissimorum virorum (in quibus de eadem Societate numerantur plurimi) contempto judicio, ex se, nullis adductis argumentis, locutus pronunciarit reprobationis sententiam, inquiens hanc Apologiam condemnari a tribunali sanae criticae.

Attamen c. vir, cum ita putet, haud ignoret se nullam mihi intulisse injuriam, sed sanctis Ecclesiae Patribus, qui, uno excepto Hieronymo, ob antiquitatem, rerum sacrarum eruditionem, Origenis historiae peritissimi et ceteris inferioris aetatis doctoribus praestantes, inter sanctos ac pie defunctos honorarunt Origenem. Ac insuper sciat, se ita sentientem, maledicis, imperitis ac illusis convenisse in tanti viri condemnatione. Porro ut, quod dico, sibi suadeat me non mentiri, sequentes meas discussiones animadvertere dignetur.



(*) Etudes religieuses historiques et litteraires par de Peres de la Compagnie de Jesus.

# APPELLATIO AD THEOLOGOS

PRO

# RECOGNITIONE CAUSÆ ORIGENIANÆ

IDEST

*Origenes, monachi nitrienses aliique ejusdem vindices, orthodoxi viri, ab omni haeresi immunes, in albo sanctorum confessorum et martyrum inscripti, cum violatione legum canonicarum in Synodo alexandrina extra Ecclesiam facti ob quorumdam perfidiam et aliorum illusionem.*

*Quanto rectius agerent obtrectatores isti, si absque ulla animi praeventione, cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate jubemur expendere, intelligerent et ipsum unum de proximis esse, quibus charitatem ex mandato debemus: et assumptos ejus libros legerent cum ea venia, quam ipse in Praefationibus suis deposcit, sicubi venia dignum aliquid invenirent.*

S. Pamphilus in Praefatione Apologetici Origenis.

## PROLOGUS

Nemo miretur nec aegreferat, quod ego, postquam in Tomo III. et in fine Tomi IV. ex veterum testimoniis doctrinae Origenis et monachorum nitriensium integritatem et vitae probitatem a calumniis vindicavi, denuo hanc repetam quaestionem. Cum enim nonnulli adhuc perstent, Origenem asserentes ob haeresim damnatum, ac in haeresi defunctum esse, et hinc frustra laborare illius patronos: perstringendi ideo causa oppositores, et luculentius illorum refutandi adserta; nova quadam forma quaestionem adornabo, priscorum praecipue considerans Patrum testimonia, qui cum eo vixerunt, illius dicta audierunt, atque illorum, qui oretenus doctrinam ipsius excipientes scripto mandarunt, simul consertis ac sub uno intuitu collocatis, quae in quatuor Tomis disputata sunt.

Profecto hic vanus videretur labor, cum s. Pamphilus vir fide et probitate insignis, quinquaginta circiter annos post Origenis obitum, praeclaram ac ingenuam susceperit istius Apologiam, undique adversariorum conatibus retusis. Sed cum ex sex libris, in quibus tota comprehendebatur Apologia, tantummodo portio illius supersit, et hujus quoque desideretur textus graecus; et cum insuper in dubium ejus versionis vocata sit fidelitas, ceteris postea commotis, qui vel illusione, vel perfidia capti, animo vehementi insurrexerunt Origenis oppugnatores ejusmodi, visa est causa acta esse, et viri memoria penitus conculcata. Quapropter ad suum principium causa revocata, studio eodem, quo illius conati sunt expugnationem, ego quoque hinc exorsus, illorum aggrediar castra, quo se receperunt, eaque diruere conabor, illis potissimum armis adjutus, quibus ex temporum injuria et praesertim mediae aetatis conditione, carentes antecessores nostri in hominum et rerum contexenda historia, haud satis tunc arte critica aliisque praesidiis muniti, in odium tanti viri conversi sunt.

In hoc sane quam maxime incumbam, sedulo perscrutatus illorum ingenium, qui ab ipsius Origenis aetate ad initium seculi V. usque, vel pro eo, aut contra eum pugna-

runt, horum ideo utrinque conditione librata: fide scilicet, qua in Ecclesia versati sunt: muneribus, quibus decorati sunt: scientia, qua praestitere: aetate, qua alii aliis viciniores fuerunt Origeni: fama, quae in orbe christiano de iis invaluit: codicibus Operum origenianorum, quibus usi sunt: regione, ubi degerunt relate ad locum, quem incoluit, et ubi mortuus est Origenes: numero, quo alii aliis superarunt: causis, unde ad hoc judicium compulsi sunt: studio et utilitate, quibus ad hanc vel illam partem accessere: et monumentorum auctoritate, quibus singuli usi sunt. Cunctis istorum cribratis dictis manifestum fiet, cum numero tum auctoritate et omnium virtutum splendore micantium, eorum antecellere opinionem, Origenem praedicationis apostolicae custodem et vindicem, ecclesiarum magistrum et Christi martyrem in fide catholica supremam obiisse diem.

Deinceps eadem cura praefatisque usus adminiculis causam dicturus incedam monachorum nitriensium et aliorum, qui Theophili aetate ac postea usque ad Synodum V. Origeni patrocinati sunt, ostendens una cum magistro discipulos frustra argui haereticos, cum sint catholici, ac omnes simul inter sanctos viros in veteris Ecclesiae monumentis numerentur, eisque adscripta haeretica dogmata vel perfidiae, vel ignorantiae, vel illusionis fuisse opus.

Ac interim pro quaestionis ordine praemittenda sunt quae de haeresi et haereticis docent Theologiae magistri. Primum, *haeresis*, inquiunt, *est error intellectus liber et pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit.* Secundo, *nemo est haereticus, quamdiu paratus sit judicium suum Ecclesiae submittere; aut nescit contrarium tenere veram Christi Ecclesiam, esto ex ignorantia etiam culpabili et crassa sententiam suam mordicus tueatur.* Similiter, cum in hac quaestione testimonia in medio proferenda sint Patrum, qui vel pro, sive contra Origenem stetere, ob oculos praecipue tenenda sunt ss. Hieronymi et Augustini dicta. Unus in Epistola vel Libro adversus Joannem hierosolymitanum inquit: « *Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare.* Augustinus in Libro I. adversus Julianum c. II. *Alia sunt*, ait,

*in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulae catholicae defensores, salva fidei compage, non consonant: alia vero quae ad ipsa fidei fundamenta pertinent.*

Et hinc aliud sane est cujusdam auctoris haeretici opiniones haereticas defendere contra definitionem catholicam: et aliud est disceptare utrum illius auctoris liber, ubi haeretica dogmata exponuntur, sit nec ne genuinus, aut apocryphus, vel mutilatus. In primo casu stat haeresis, in altero nequaquam. Et hinc alia insuper subsequitur regula, cui studiosissime in hujus generis disceptationibus vacandum est: quae consistit in secernenda quaestione critica a quaestione dogmatica. Et haec petra scandali, in quam prisci et maxime recentiores valde offenderunt, hac neglecta differentia in dijudicandis monachorum nitriensium et aliorum sensibus quoad Origenis doctrinam et ejusdem patronos.

Ex his praemissis aeque quaestioni nostrae accommodatis, limpide consequetur, quatuor magni momenti errores admisisse Origenis et origenistarum adversarios, Theophilum suosque gregarios illius et successivae aetatis.

Primus, quod accuratam neglexerint veterum Patrum investigationem: quum, probis testibus et sinceris horum documentis omissis, unum Demetrium ex invidia motum citarunt Origenis expugnatorem.

Secundus, quod, ut dixi, quaestionem dogmaticam confuderint cum quaestione critica.

Tertius, quod haeresi infectos et reprobatos decreverint origenistas monachos nitrienses et alios sanctos viros ex praesumpta cognitione tantummodo intimae istorum conscientiae soli Deo notae, non vero ex manifesta eorum prava confessione contra catholicam fidem.

Quartus, quod inconsulto putatum sit, omnes, quotquot a Theophili aetate usque ad seculum septimum et ultra, recte vel oblique causam susceperint Origenis, praesumptis illius communicasse erroribus; et quod scriptores praesertim ex occidentalibus nimium auctoritatis detulerint Hieronymi scriptis: qui in omnibus incautus Theophili cessit fraudi et perfidiae.

Haec diligenter excussa semitam nobis inter praerup-

tas vias aperient ad optatum pertingendum scopum nostrae demonstrationis in hac conclusione sitae, fictitiam et imaginariam fuisse Origenis et origenistarum haeresim.

Nemo porro aegreferat, siquando in hac discussione sanctorum virorum et praesertim Hieronymi auctoritati restitero. Hoc enim postulat quaestionis essentia inter hujusmodi viros agitatae, alios pro, alios contra Origenem disputantes, adeo ut alter alteri cedat necesse sit. Ceterum non est occultandus, etiamsi excusandus, error alicujus, quisquis ille sit, sive doctus, sive sanctus, eo magis cum hic error vertatur in ignominiam alterius, coram Ecclesia in pari constituti aestimatione. Singulis jus est fidei suae integritati consulere. Nulli ergo fit injuria. Unicuique suum.

Ac interim quoad discussionis ordinem, non a Theophili aetate ineunda quaestio est, illorum praetermissis, qui huic praecesserunt, authenticis et omni fide dignis testimoniis. Non a Theophilo viro fraudulento, nec a Hieronymo istius fraudibus capto, nec multo minus a posterioris aetatis commentitiis et injuriosis enarrationibus repetenda est genuina hujus quaestionis historia: sed ab illis quamprimum, qui vitae probitate, zelo, ac scientia socii Origenis ejusdemque successores fuerunt in propaganda Christi Religione, et proterendis inimicorum suorum conatibus. Quapropter in duas periodos visum mihi est dividere quaestionem, idest ab Origenis aetate usque ad Theophilum, et a Theophili ejusdem aetate, et successive.



PERIODUS PRIMA

*quaestionis origenianae ante Theophilum.*

Horum primus, qui Origenis gesserunt causam adstat, nobis s. Dionysius alexandrinus, cujus pietatem, doctrinam, animique alacritatem, qua pro Christo pugnavit usque ad obitum, totus Romam usque miratus est orbis christianus et usque modo miratur. Iste sane est, quem Origenis ipsius actus et doctrina, qualiscumque fuisset, latere non poterant. Uterque namque Alexandriae degit Origenes et Dionysius, unus magister, alter discipulus fide concordes. Deinde Dionysius Scholam alexandrinam rexit, alter in Palaestina docuit: in fide pariter consoni, parique zelo incesserunt in domo Dei, infideles haereticosque expugnantes, donec eos mors separavit. Origenes Tyri fidelis Dei servus mortuus est. Alter ecclesiae alexandrinae pastor, defuncti viri probe callens singulares ejus virtutes, pia dogmata, et quanta ideo passus erat pro Christi nomine, illius post obitum intexit elogium, teste Photio in Bibliotheca Cod. 232. ex Libro Stephani Gobari tritheitae. In hoc variorum Patrum expositis sedulo sententiis, de Origene haec leguntur: « Origenem et Theognostum magnus ille Athanasius in multis tractatibus adprobavit. Et Titus bostrensis et Gregorius Theologus in epistolis eumdem *φιλόκαλον philocalum* nominat: et Nyssenus laudabiliter ejus mentionem facit. Et Dionysius alexandrinus ad eumdem ipsum scribit. Ετι δὲ καὶ μετὰ θάνατον ἐκείνου πρὸς Θεοτέκνον τὸν τῆς Καισαρέιας ἐπίσκοπον γράφων, δι' ἐπάινων τὸν Ωριγένην ἄγει i. e. Adhuc autem etiam post mortem illius scribens ad Theotecnum Caesareae episcopum, per laudes ducit Origenem. Et alexander Hierapolis episcopus eumdem per litteras λίαν ὀικειοῦνται τὸν ἄνδρα τοῖς λόγοις verbis plurimum delinit virum. » (*)

(*) Ita porro loquitur de Origene Gobarus miratus, quod ex sua aetate alii pro, alii contra illum disputarent.

Interim, prae ceteris Dionysii instante testimonio in laudem tanti viri, dubitare quis poterit de Origenis obitu in Ecclesia Catholica? Numquid s. Dionysius vir doctus illusionem passus est, cum ita pro Origene pugnet? Aut fortasse adeo laudibus eumdem extulerit quod falsa et impia dogmata docuerit, quae et ipse postea Dionysius sentiret? Non enim praesumendum est, Dionysium tunc ignorasse, quae prave de Deo, de Verbo Dei, deque similibus pronunciasset Origenes, si revera blasphemasset. Praeterea s. Dionysius ita locutus de Origene, nec errores ejus corripit, sed ex adverso virum laudibus prosequitur. Nec amplius s. Dionysii illusio fingi potest, quasi haud sentiret, quae docuit Origenes: nec multo minus cogitare fas est scientibus, quae Dionysius scripserit, quae professus est dogmata, quae refutaverit in libris suis, et quae de illo obtestati sunt posteri. Dionysius ex. g. pugnavit contra Sabellium, contra Paulum samosatenum. Et cum ita dimicarit contra hos haereticos: cur Origenem encomiis ornaverit ut orthodoxum, asserens ita obiisse, nisi pro certo haberet, eumdem ab omni haereseos culpa immunem, supremum obiisse fatum? Quapropter non nisi temere rejicienda est s. Dionysii auctoritas in elogio erga Origenem defunctum cumulato ob sinceram illius fidei confessionem. Alioquin nec mirum videtur, Dionysium laudasse Origenem post mortem, cum paulo ante istius obitum eidem inscripserat librum *De martyrio*, amicum solatus ob tormenta, quae passus erat in persecutione Decii. De Dionysio loquor, qui in haereticorum opinionibus perlegendis, seduli trapezitae instar, qui argentum probat, uti divinitus edoctus (teste Eusebio in Hist. Eccl. Libro VII. c. VI.) satis perite falsa a veris secernebat. Eoque magis, hoc addam, cunctis tunc Origenis pietati suffragantibus in Ecclesia sanctis viris et martyribus.

Utique, tunc suffragantibus sanctis viris, dixi, Origenis discipulis: quorum alii confessores alii martyres in regimine ecclesiarum valde scientia, fidei integritate, zelo atque pietate insignes profecere, Gregorius Neocaesareae, Athenodorus, Alexander hierosolymitanus, Theoctistus caesariensis, Firmilianus Caesareae Cappadociae aliique. Isti nunquam

ab Origenis doctrina discesserunt: nec unquam ei restiterunt erranti, nec multo minus anathematizarunt. Sed eidem adhaerentes, cum in vivis degeret, fideli praeceptori, sibi ipsius dicta compararunt: ac post mortem nec ejus vituperarunt memoriam, neque illius refutarunt scripta. Et siquando opus fuit errores confutare (de quibus tunc culpatus Origenes ab adversariis dicitur) illorum tamen nemo nec ante, nec post ipsius obitum significavit unquam errasse. Et quum isti, Sabellii et Pauli samosateni blasphemiis auditis, alacriter cum universa Ecclesia haereticos condemnarunt; nec in Origene fontem hujus erroris adinvenerunt: nec haeretici potissimum unquam Origenem vocarunt sui erroris patronum. Quod valde in istorum votis fuisset, si forte vir sermonibus, aut scriptis antea blasphemasset de Filio Dei. Sino loqui de Beryllo, quocum disputavit Origenes de divinitate Christi. Nec enim huic restitit Beryllus quasi similia professo: sed ille cessit Adamantio, qui validis argumentis Christum Deum contestatus est. Cuncti praefati qui, praeeunte Dionysio, in haereticos decertarunt, utique adversus Origenis praesumptos errores decertassent, qui sane magis ac magis magna in ecclesiis provocassent scandala. Nihilominus ne unus quidem istorum verbum in Origenem oblocutus est aliquando.

Ceteroquin quoad Origenis encomium a Dionysio contextum post illius decessum, nequaquam ulla animo fingenda suspicio est, iterum dico, quasi eidem ignota forent seu arcana, vel captu difficilia prava Origeni adscripta dogmata, adeo ut ipse laudes illius texens, illusione praeventus, non comprehenderit quae impie de sanctissima Trinitate docuisset, ac cetera absurda de creatione, de aeternitate materiae, de anima, de libero arbitrio, de poenarum termino apud inferos, de secunda redemptione, et de ceteris hujusmodi. Quapropter cum post obitum Origenis s. Dionysius encomiis illum ornarit, jure hoc exegit, probe sciens, bonum in tota vita sua certasse certamen pro Catholica Ecclesia, ac in ea usque ad obitum permansisse perpetuo.

Quos hucusque memoravi ex Origenis schola profectos eique superstites, hoc amplum perhibuere testimonium san-

ctitati, doctrinae et ejus vitae, sicuti ipsius mortem explicite aut implicite in Ecclesia Catholica obsignarunt. Deinde eodem ordine circa Origenis ultimum fatum, illorum monumenta exploranda sunt, qui proxime ei successerunt; praesertim eamdem Palestinae regionem incolentes, ubi plurimum docuit et mortuus est. Horum primus numeratur s. Pamphilus martyr: qui non solum ipsius Origenis genuina scripta legit, sed et cum ejusdem discipulis et amicis versatus est. De isto sane Martyre, qui testatus est Origenem in Ecclesia Catholica senuisse, agit s. Hieronymus in Libro *De viris illustribus* c. 75: « Pamphilus presbyter, inquit, Eusebii caesariensis episcopi necessarius, tanto Bibliothecae divinae amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit: quae usque hodie in Bibliotheca caesariensi habentur. Sed in duodecim Prophetas viginti quinque volumina *Exegeseon* Origenis, manu ejus exarata reperi: quae tanto amplector et servo gaudio, ut Croesi opes habere me credam. Si enim laetitia est, unam epistolam habere Martyris: quanto magis tot millia versuum, quae mihi videtur sui sanguinis signasse vestigiis. Scripsit (antequam Eusebius caesariensis scriberet) Apologeticum pro Origene; et passus est Caesareae Palaestinae sub persecutione Maximini. »

Et quidem hoc instante Hieronymi testimonio de Pamphili studio in colligendis et describendis Origenis codicibus, ac amplius martyris sinceritate in dijudicanda Auctoris doctrina, adhuc genuina invalescente in ea regione, ut dixi, illorum memoria, qui cum eodem conversati sunt, ac testes fuerunt obitus sui, non est praesumendum ex illusione aut temere Pamphilum statuisse, in orthodoxïa defunctum Origenem; sicuti dubitare nefas est, quin reapse ipse Martyr auctor fuerit hujus Apologiae. Attamen s. Hieronymus centum fere annis post, a Theophilo alexandrino deceptus, mutato consilio, bellum aggressus est adversus Origenem, inter haereticos mandans nomen illius. Et hinc contra se stare sentiens s. Pamphili Apologeticum, ubi dicitur in Ecclesia senuisse Origenes, totis viribus nisus est hanc scripturam Martyri abjudicare, ostendens Eusebium tantummodo habe-

ri auctorem. Ita enim arbitratus est imminui libri momentum. Sed frustra. (*)

Et in primis haud necessarium duco talem Hieronymi refellere sententiam, cum veteres scriptores una fateantur s. Pamphilum primum ac deinde cum eo Eusebium hanc conflasse Apologiam: nec ullus praeter Hieronymum huic inficiatur opinioni. Non enim video cur Ruffinus potius Pamphilo quam Eusebio adscripserit Opus: nec item video cur Eusebius dixerit se sextum Apologetici librum scripsisse, ac priores quinque redegisse maxime s. Pamphilum. Nec item video cur Eusebius, cum ab eodem tempore Apologia nomen praeferret Pamphili, qui hanc fratribus suis ad metalla damnatis, dedit, non video cur Historicus personae suae, conditioni et circumstantiis mentitus sit, alteram Pamphili assumens personam, et cunctis illudens, quin tunc illius revelaretur dolus. Nec insuper video in Eusebio dolum, quo lectoribus illuderet, inter alia asserens Origenem recta docuisse ac cum pietate mortuum. Fortasse suspicandum est, Eusebium, excluso Pamphilo, partes suscepisse Origenis errantis, quasi ipse similia profiteretur impia et absurda dogmata? Absit.

Quamobrem alibi in Tomo III. ex ss. Patribus et ex libris suis ab erroris nota vindicavimus Eusebium, testimonio usi illorum, qui Synodo nicaenae interfuerunt. Alexander alexandrinus in epistolà notat, qui ab Ecclesia defecerunt, Arii discipulos; et ab his excludit Eusebium Pamphilum. Socrates in Libro I. Hist. Eccl. duos memorat Eusebios, unum Nicomediae episcopum factionis arianae principém; et alterum Eusebium Pamphilum Caesareae antistitem, qui nicaenae fidei subscripsit. Deinceps in Libro II. c. XVIII. miratur cur Eusebius et Eustathius inter se di-

(*) Eusebius in Libro VI. *De praepar. Evangelica* c. IX. Origenis testimonium adversus Fatum citans, ita praevenit illius dicta: « Audisti quippe quantus fuit ille Origenes, quem non negaverim, laboribus suis persuasus, ineffabili aeternae gloriae uti gaudio: quem exteriores etiam propter mirabilem in omni genere rerum doctrinam minime ignorant. »

sceptarent de vocabulo *homousion;* quamvis uterque Symbolum nicaenum amplexus diceret Filium Dei cum Patre subsistere, et in Patre esse: et unum Deum in tribus personis confiteretur. Insuper in Libello adversus Nestorium et Eutychetem, ab aliis Gelasio Pontifici, ab aliis Gelasio cyziceno inscripto, citatur Eusebius Pamphilus inter Ecclesiae Patres; ac ejus contra duos haereticos legitur testimonium, asserentis Christum Deum et hominem fuisse, Dei Verbum, Deum ante omnia secula et hominem ob incarnationem in tempore. » Ideoque fallitur Hieronymus qui ita Eusebium Pamphilum arianum facit, ut ideo Origenem hujus haereseos magistrum existimet. Nec enim de Trinitatis Mysterio, nec de Christi divinitate, nec de ceteris fidei articulis aliter ab Ecclesia docuit ille, ut videatur idcirco pro Origene praesumpto haeretico stetisse, quasi eadem sentiret. Sed gratis hoc asseritur: nec ille ita sensit, nec Eusebius, veluti ejusdem testantur scripta, et vetus Ecclesiae traditio, quae inter sanctos Confessores honorat virum. De quo conferas, quae scribit Valesius in illius vita.

Ceterum contra Hieronymi de hac re auctoritatem, admodum facit quod in Monito Apologiae scribitur n. VIII: « Ex his intelligere licet, quaenam sit Hieronymo fides adhibenda, cum in hanc Origenis *Defensionem* tam acriter invehitur. Nullibi sibi constat s. Doctor: ubique sibi adversatur. Hanc Apologiam primum dixerat solius esse s. Pamphili, postea solius Eusebii. Modo eam Eusebio tribuit, modo vel Didymo, vel Ruffino, aut alteri cuilibet, qui, libri primi Eusebii capite detruncato, cetera membra sociarit. Modo hanc esse ait ipsummet Eusebii primum volumen, modo sextum: modo eadem et iisdem verbis in primo Eusebii libro contineri, modo ejus scriptorem de ipso Eusebii libro quaedam immutasse; modo sensus dumtaxat: modo ipsa testimonia subtraxisse, et alia substituisse modo pauca, modo multa: modo denique in ipsa Ruffini latina interpretatione multa etiamnum scandala et apertissimas blasphemias reperiri: modo Pamphilum nicaenae fidei per eam ostendi defensorem. Undequaque se versat s. Doctor, cuncta movet ne liber ille Pamphili sit. Atque tamen non po-

terat ignorare ipsum Eusebium, cujus scripta assidue versaverat, in suo Libro VI. Hist. Eccl. c. XXXIII. aperte testari a se et sacrosancto martyre Pamphilo Apologeticum pro Origenis defensione communi studio atque opera fuisse elaboratum etc. » Itaque concludit Hieronymum nihil profecisse contra Eusebii auctoritatem, qui hoc Opus s. Pamphilo inscripsit.

Cum igitur frustra laborarit s. Hieronymus ad imminuendum Apolegetici momentum, in sua integritate manet genuinum s. Martyris testimonium circa Origenis mortem in Ecclesia Catholica. Et quidem magis in proposito nostro proficiemus, dum scimus Pamphilum nequaquam suscepisse Origenis partes, quasi eo usque dubitaretur de ipsius novissimo in Ecclesia. Absit: hoc non vult Apologista. Sed secus dimicat in Origenis accusatores, miratus cur tunc nonnulli temere ei adscriberent prava dogmata, cum ipse in Ecclesia Catholica senuerit, testes eos fideles vocans, qui oculis suis viderant, vel auribus suis audiverant pium Origenis ex hac vita exitum.

Testes eos vocat, qui eum audiverant docentem, suoque novissimo adstitere: et jure quidem. Circa annum 249. obiit Origenes Tyri; et circa annum 306. scripsit Pamphilus non longe ab ea civitate Apologiam adversus ipsius doctrinae detractores. Ubi in primis conqueritur, quod nonnulli eumdem increparint errantem, qui magister ecclesiarum extitit, et pie mortuus erat. Ceterum tantummodo anni circiter sexaginta ab obitu Origenis transierunt usque ad Apologetici aetatem. Idcirco, nisi s. Martyr adstiterit Origenis ultimo fato; profecto illos vidit et cum iis versatus est, qui Origenem viderunt, audierunt, ejusque exitum noverunt. Insuper ipse Pamphilus ait se genuina Origenis scripta perlegisse, eaque transcripsisse ad usum ecclesiarum: ita ut in praefatione ideo alacriter loquatur: « Ubi autem ejus ipsius, qui accusatur, vocibus utimur, et ad omnes objectiones accusatorum suis verbis eum, non nostra assertione, defendimus, quae ultra relinqui potest criminationis occasio, saltem his ipsis, qui non veri studio, sed velut libidine quadam culpandi semper agitantur? Et quoniam de eo nunc

sermo est, qui utique apud homines defunctus est, quid apud omnes judices pro defuncto fortius et firmius valere debet, quam et litterae et scripta defuncti? » His adjutus praesidiis Pamphilus, pergit impavidus in adversarios, eorum malitiam exprobrans, quod, editis libellis, tanto derogassent viro.

Quid ergo nos prohibet, quominus hujusmodi conveniamus sinceris contestationibus? Numquid animo aliquando confingi potest, talia pro Origene scripsisse Pamphilum et edidisse contra famam jam vulgatam in eadem regione, ubi mortuus est Origenes? Numquid jam jam moriturus s. Martyr pro Christo, qui est ipsa veritas, coram aliis in passione sociis mentitus erit, asserens fidelem Dei servum Origenem obiisse, cum jam ob haeresim extra Ecclesiam factus esset, et in errore decessisset? Quamobrem cum s. Hieronymo (de eo dico priusquam a Theophilo illuderetur) cum s. Hieronymo, qui tantam inspexerat auctoritatem in Origenis libris a s. Pamphilo transcriptis, ut ei viderentur sanguinis sui vestigiis obsignati, concludendum est, valde praestare s. Martyris testimonium de Origenis decessu in Ecclesia Catholica.

Quamvis vero aliquis velit (quod non probo) Apologiae auctorem aut solum Eusebium vel Didymum, non dubitatur tamen de istorum animi candore in tractanda causa origeniana, et in citandis verbotenus suis scriptis, praesertim *Periarchon*, adversus ejusdem maledicos et obtrectatores, uti constat ex obtestationibus in ejus exordio praemissis, et ex illorum libris, quibus Ecclesiae Catholicae causam fideliter egerunt: quod et alibi et speciatim in Tomo III. ostendimus. Tantumdem dicendum est de Ruffino Apologetici interprete; quod de graeco ingenue, testem Deum advocans, in latinum vertit. Nec is graecam libri dictionem corrupit; nec alii Origenis transcribentes verba, Auctoris sensum mutarunt.

Ceterum quoad Apologiae auctorem, praeter extrinsecos testes, qui Pamphilum vocant ejusdem conflatorem, intrinsecis omnibus circumstantiis diligenter expensis, quibus hoc suum explevit opus, sive fidem velis, quam profiteba-

tur, sive locum, ubi scripsit, vel exilii conditionem, aut aerumnas, quas passus est, seu eruditionem qua pollebat, aut viros, quos consuluit, vel codices Origenis, quos legit, aut ipsius animum omni dolo immunem, seu alacritatem in hoc suscipiendo labore, non nisi temere alter quam Pamphilus dicendus est.

Ideoque quaquaversus circumspiciatur haec Apologia, talis est ut nulli ambigendum sit de orthodoxo Origenis sensu, nec de mentis suae integritate in cunctis discussionibus expressae, nec de zelo in custodienda apostolica Traditione et Ecclesiae unitate, neque de horrore, quo perpetuo prosecutus est haereses: quibus confutatis, *unam solam catholicae veritatis sententiam tenuit*, adeo ut nemo sit inter Ecclesiae Patres, qui tanto ardore adversus haereses dimicarit per omne suae vitae tempus. Secus vero fatendum esset haereticorum, quotquot ab Ecclesiae initio hucusque insurrexere, nullum tot et tantorum pravorum dogmatum magistrum fuisse, quae totum ab imo ad summum dispensationis evangelicae aedificium diruunt, humanae societatis ordinem perturbant, et generis nostri praestantiam deprimunt, sicuti extitisset Origenes, si, superante malevolorum perfidia, dicerentur ejusmodi nefandis doctrinis sua scripta genuina inspersa fuisse. Ast invalescente morbo, invaluit quoque salutis pharmacum in persona Pamphili, qui morbi invasioni restitit, ac profligavit.

Et re quidem vera, hujus Apologetici authentia et auctoris illius probitate positis, satis satisque factum est, ut Origenis nomen, sicut antea in ecclesiis acceptum fuerat, pergeret venerandum inter sanctos Patres inscriptum. Nec ulterius disputatum esset, nisi s. Hieronymus a vafritie Theophili captus contra illum foret. Qui simul sentiens plurimum suae opinioni adversari citatum librum, totis viribus nisus est Martyrem abstrahere ab hoc labore, hinc inde colligens argumenta, ut communem et praevalentem de eo destrueret sententiam circa ejusdem auctorem. In quo tamen studio, ob sui judicii instabilitatem minus fecisse probatur, veluti praediximus, nec tulisse punctum.

Porro dixi ex Apologistae cura factum esse ut de Ori-

gene opinio propitia pergeret sicut antea in ecclesia, et detractorum suorum et invidorum pateret fraus. Nam ad centum fere annos perduravit integra Auctoris fama, ex Martyris studio in integrum restituta, nemine contra eum tanquam haereticum pugnante. Et hoc cuncti fatentur Patres huic subsecuti aetati, et cum his ipsi iidem ex obtrectantium fallaciis illusi; qui ex Pamphili Apologia persuasi, priscum emendarunt errorem, in quibus Methodius, de quo infra. Et quantumvis nonnulli putarint in quibusdam parvi momenti quaestionibus, ut hominis est, deliquisse Origenem; attamen nec ut haereticum damnarunt, scientes eum in Ecclesia defunctum: quemadmodum s. Basilius, cui visus est Auctor nimium in exponendis Scripturis indulsisse allegoriae. In reliquis communis pro eo perstabat opinio viri apostolici et ecclesiarum magistri; quod et s. Hieronymus nequaquam negavit. Et quod maxime monachi aegyptii, Joannes Chrysostomus et Theotimus, de quibus infra, propugnarunt.

His praemissis de Auctore et auctoritate Apologetici, admodum interest ad ea incumbere, quae s. Pamphilus enarrat de vario obtrectatorum studio adversus Origenem. Qui quidem, cum alios ait ob invidiam criminari virum, alios ob imperitiam, alteros ob pravum eorum sensum, penitus tamen quod valde nos quaerimus vel ex sua, seu ex criminatorum parte, Origenis damnationem omittit per Demetrium ob praesumpta ipsius haeretica dogmata, uti velint Theophilus et Hieronymus. Nec istud memorant in Apologetico adversarii, nec ejusdem apostasïam inter cruciatus, nec illius in Ecclesia opinionem pessumdatam ante et post mortem suam ob hujusmodi errores. Quae notae quippe oppositoribus valde utiles in Auctoris ignominiam, haud erant praetermittendae. Nihilominus, veluti ex libri praefatione colligitur, Pamphilus tantummodo describit, quod tunc, ipso praesente circa an. 307. factum est ex quorumdam malevolorum cura contra Origenem, non vero quod antea cum in vivis degeret, vel immediate post illius obitum. Quinimmo s. Martyr conqueritur cur tanta adversus tantum virum obloquerentur; qui presbyterii munere honoratus fuit; qui in Ecclesia Catholica senuit; qui fortiter dimicavit adversus haereses.

Haec sane proferens Pamphilus, ut obtrectatorum ora obstrueret in Origenem, conditionem adversariorum suae aetatis tantummodo pertingit tam ex se quam ex illorum dictis, iniquum horum judicium ostendens, ignorantiam, ac temeritatem: et praesertim eos arguit, *quod haereticis materiam praebeant, cum illos, quos assertores christiani dogmatis et defensores putabant, confutari nunc videant.* Quae verba magis ac magis opinionem excludunt ante Pamphili aetatem vulgo creditum fuisse, Origenem aliquando haeresim voce vel scripto aut docuisse, vel propugnasse proindeque ab Ecclesia profligatum, ut praesumit Theophilus.

Deinceps circa hoc Pamphili studium, sedulo comparatis, quae ab eo recensentur, variis criminationum generibus, quibus ab adversariis impetitur Origenes, easdem probatur esse, quas postea Theophilus in epistolis synodica et paschalibus objecit monachis nitriensibus, Joanni hierosolymitano, Epiphanio: et deinde s. Hieronymus per litteras exposuit s. Augustino aliisque Romae familiaribus, et Avito hispano, antea vero cunctis ecclesiis Africae et Occidentis prorsus ignotas. Eadem sunt accusationis capita ab eisdem speciatim *Periarchon* libris redacta, unde, ut idem ait s. Martyr, conflati sunt libelli, editique adversus Origenem: ubi ipsius revelatur doctrina impia et haeretica de Deo omnipotente, de Christi divinitate, de Spiritu Sancto, de Dei unitate ac personarum divinarum Trinitate, de Incarnatione, de divina et humana Christi natura, de divinorum Bibliorum sensu, de resurrectione, de aeternitate poenarum in futuro seculo, de animae conditione etc. Eumdem fontem, eosdem *Periarchon* libros falsatos, eadem dogmata impia Origeni inscripta ab obtrectatoribus citatis a Pamphilo, prae manibus habuerunt primum Methodius, deinde Epiphanius aliique praefati. (*)

(*) Porro de integritate doctrinae origenianae in *Periarchon* expositae, facit quod ex Eusebio Marcellus ancyranus notavit de hoc Opere: ubi velut judicem se sistit, quaedam arguens Origenis genuina dicta, nec tamen refutatione digna, ut Eusebius aeque ostendit. Cum igitur Marcellus et quidem vir doctus ob oculos graecum habens *Periarchon*

Iidem libelli sunt ab aetate Pamphili vulgati, quorum summarium legit Theophilus in Synodo alexandrina, et quorum syntagma descripsit saepe idem Hieronymus. Nisi quod Theophilus tanquam ex his consequentes, alios commentatus est errores, ut magis infirmaretur Auctoris fama. Quapropter cum satis superque fuerint ab eodem Martyre refutatae praedictae criminationes per sanam Origenis doctrinam in genuinis ipsius libris expositam, superfluum videbatur, quod Theophilus centum fere annos post, sopitam excitasset adversus eum et libros ejus aversionem, eorumdem maledicorum eisdem innovatis maledictis, denuo insidiatus illius famae; et amplius impossibile putabatur, quod plures Theophili maledictis crederent. Attamen tum ex ipsius Theophili perfidia ac praepotentia, cum ex quorumdam simplicium illusione, ac temporum calamitate aliter factum est. Sed de hoc infra.

Ac interim, ut constet quid profecerit in Ecclesia s. Pamphili et Eusebii Apologia pro Origene, testis est s. Methodius Lyciae episcopus: qui primus numeratur, cujus scripta *De resurrectione* et *De creatis*, errantem, sed perperam, arguunt Origenem; deinde vero palinodiam recinens virum laudavit. S. Hieronymus in Libro I. n. II. contra Ruffinum scribit: » Eusebius caesariensis episcopus, cujus supra memini in Libro VI. Apologiae Origenis, hoc idem objicit Methodio episcopo et martyri (quod tu in meis laudibus criminaris)

textum, in quibusdam etsi immerito exprobrare putet Origeni erranti, nequaquam cessasset ulterius ipsius notare impia de Deo dogmata, absurdas opiniones de animarum lapsu, de resurrectione, de secunda redemptione, de impiorum et daemonum sorte, et de aliis ejusmodi erroribus, quibus, ut vult Hieronymus, insperguntur citati libri, si reapse tales exhibuisset graecus originalis textus. Insuper Socrates in Libro II. c. XXVIII. et Sozomenus in Libro IV. c. XI. de Aetio locuti, statuunt hunc atheum cum Ario ejusdem fuisse opinionis asserentem Filium Dei creatum esse, ex nihilo ortum et Patri dissimilem, ac ideo Clementem, Aphricanum, et Origenem prorsus refutare. Ut quid ergo Aetius refutavit Origenem, si is in *Periarchon*, ut velint Theophilus et Hieronymus, eamdem cum Aetio de Verbo Dei propugnavit impietatem?

et dicit quomodo ausus sit Methodius nunc contra Origenem scribere, qui haec et haec de Origenis locutus est dogmatibus. » Hoc autem magis explanatur a Socrate; qui in Libro IV. c. XIII. inquit: « Methodius quidem, cum in libris suis Origenem diu multumque insectatus fuisset; tamen postea ceu ex palinodia miratur virum in Dialogo, quem *Xenonem* inscripsit. » Nec aliter putari licet de Methodio, meis inspectis in Tomo I. diuturnis investigationibus circa Origenis doctrinam *De resurrectione*, praesertim quoad *palingenesïam* sive *regenerationem*. In quo vocabulo, nobis suffragante quam maxime s. Pamphilo in c. VII. Apologetici, consentaneam doctrinae catholicae perspectam fecimus ipsius fidem; nec ullimode accommodandam illationibus, quas Methodius deducere putavit. Quamobrem haud immerito conjicimus s. Methodium, s. Pamphili et Eusebii lecto Apologetico, ac certiorem factum de Origenis fidei et doctrinae integritate in his et similibus tractatibus, quos adversus eum scripserat, se emendasse, et probra in laudes convertisse.

Ac reapse, cum inquit s. Pamphilus quosdam, editis libellis, derogasse Origeni, ac inter ceteras criminationes etiam quam maximam (uti in fine capitis VI.) notari, quod resurrectionem denegaret mortuorum, verisimillimum de iis loqui, quae Methodius non satis caute perlegens in illius scriptis, vel in quibusdam commentariis super ejusdem libros arbitrarie conflatis, objecit viro, qui (sicuti Methodius ipse) orthodoxe profitebatur carnis resurrectionem, et sapientissime adversus haereticos propugnavit.

His adauctum testimoniis ex s. Pamphili et Eusebii studio de adversariis suis triumphum ducens pergebat in Ecclesia venerandum Origenis nomen, ita ut Pierius presbyter alexandrinus vir pius et virtutibus spectatissimus ob ingenii felicitatem, ob assiduas ad populi conciones, alter Origenes vocaretur. Ita Eusebius in Hist. Eccl. Libro VII. c. XXVI. Cui subdit Photius in Cod. 119. « Valde enim tunc reputabatur Origenes. » Quasi diceret: adhuc istius nomen gloriosum resonabat in Ecclesia: nec ulla haereseos nota ita inustus erat, ut periclitaretur ejus bonus odor in fidelium coetu. Item Athanasius paulo post, quem non latuit viri fi-

des nec librorum suorum orthodoxía, adversus arianos catholicam propugnans fidem in Synodo nicaena definitam, tum de Filio Dei *συναΐδιον coaeterno* Patri, Origenis formula utitur; cum Origenem virum *θαυμαστὸν mirabilem* appellat. Quo vocabulo non haereticum profecto significavit Athanasius: nec multo minus ob quaedam ipsius dicta sapienter excogitata de Filio Dei ita dixit; sed quavis de causa admiratione dignum magnificavit virum.

Circa hoc tempus Eustathius, qui etsi immodicum allegoriae usum increpare putavit Origeni, et istius Commentarium *De Pythonissa Saulis* (in qua quaestione non Origenem sed Eustathium errasse ostendi) nihilominus iste fatetur, tunc illum *amplissima in ecclesiis frui fama; totumque mundum immodica replevisse eloquentia.* Quae verba non de haeretico intelligenda sunt: nisi dicantur et ipsae ecclesiae haeresi laborasse, aut minus peritae vera a falsis discernendi fuisse: quod utrumque dicere nefas est.

Item s. Basilius virum in Ecclesia defunctum vocat Origenem. Et Socrates in Libro IV. c. XXVI. Histor. Eccl. inquit, eumdem Basilium et Gregorium nazianzenum, comparatis sibi libris Origenis, interpretationem sacrarum Litterarum ex illis hausisse: *quippe ea tempestate per universum orbem celebris erat Origenis fama.* Quod idem serius de ecclesiis africanis s. Augustinus significavit Hieronymo, dicens eousque ibidem universim ignorari prava Origeni inscripta dogmata. Quocum magis nostrum firmatur propositum.

Talis erat Origenis coram Ecclesia conditio, ac talem coram adversariis, ut infra dicetur, vindicarunt s. Theotimus Scythiae episcopus et s. Joannes Chrysostomus. Qui, etsi minis instantibus improbi Theophili alexandrini, nihilominus impavide Origenis damnationi restitere. Ex certa enim scientia eis compertum fuit, Origenem nunquam fuisse haereticum, sed orthodoxum, ac pie obiisse in Ecclesia. Et ob hoc s. Theotimus s. Epiphanio exprobravit, quod vellet tam inconsulto agere de hac re. « *Ego,* ait, *Epiphani, neque eum, qui jam pridem bene defunctus est, contumelia afficere volo. Neque impium facinus aggredi audeo, ut ea condemnem, quae majores nostri minime repudiarunt: praesertim cum sciam,*

*nihil malae doctrinae in libris Origenis reperiri.* » Ita Socrates in Libro VI. c. XII. Hist. Eccl. Et hoc sane potissimum ex Theotimi et Chrysostomi parte fulcimentum adversus Theophilum suosque foederatos erectum fuit supra perennem de Origene traditionem a sanctis viris fideliter deductam, incipiendo a s. Dionysio alexandrino (cui prae ceteris sicuti illius gesta, ita et mors innotuit) a s. Pamphilo deinde acceptam et ad hanc Chrysostomi aetatem integre pertranseuntem: ubi relatum erat, pro Christi Ecclesia perpetuo pugnasse Origenem ac in ea pie obiisse.

Adversus autem quae a praefatis Ecclesiae Patribus dicta sunt, non esse antiquiorum judicia erga Origenem reprehendenda, minime facit vetus Demetrii decretum de illius expulsione ab Alexandria. Hoc enim decretum proprie non pertigit Origenis doctrinam nec fidem, sicuti deinde falso expositum est a Theophilo. S. Pamphilus (teste Photio in Codice 118.) inde genuinam reperit causam expulsionis sive potius absentiae ab Aegypto, cum jam profectus erat, quod Theotecnus nempe Caesareae Palaestinae episcopus Origenem tunc Athenas aditurum absque Demetrii licentia ordinasset presbyterum. Quamobrem Demetrius, coacta synodo episcoporum et presbyterorum, primo decrevit Alexandria expellendum Origenem, ei ibi docendi licentia sublata. Deinde eumdem a sacerdotio quoque submovit: quod tamen non cohibuit eum ne alibi doceret, ac perseveraret in explenda missione, ad quam vocatus erat.

Ex qua narratione interim clare constat Origenem ab Alexandria fuisse et a sacerdotio amotum, quod praeter Demetrii licentiam presbyter ordinatus esset a Theotecno, non vero ob haereticam doctrinam. Nam priusquam ab Aegypto discederet Origenes, admodum diligebat eum Demetrius: nec ideo ipsum diligebat ac laudabat errantem, sed recta docentem. Postquam vero discessit, (discessit quidem acceptis *Litteris formatis* ab Episcopo) non condemnavit Demetrius Origenem a veritate devium: quum ob vitae suae probitatem ac verae sapientiae zelum cuncti episcopi et fideles valde mirarentur sanctum virum. Discessit ab Aegypto non fugatus a Demetrio tanquam haereticus, ut stulte

putavit Theophilus. Sed discessit ex licentia Demetrii, in Achajam profecturus ob haereticos illas ecclesias vexantes, teste Hieronymo *De viris illustribus* c. 54. Nec nisi successive, ut ipse cum amicis suis conqueritur Origenes, ex obtrectantium haereticorum atque invidorum studio imminuta fuit illius fama in ea regione. Ac ideo, si Demetrius haberet quid reprehenderet in Origene, vel potius in episcopo Theotecno, qui eum ad presbyterii gradum extulit, transeat. De ceteris cum longe abesset Origenes extra Aegyptum, nequaquam ad Demetrium judicium de ejusdem doctrina aut ejus actis spectabat, sed ad episcopos, penes quos docebat Origenes: proindeque non nisi temere damnare potuisset Demetrius virum inauditum, et cujus ignorabat doctrinae essentiam.

Porro nobis in hac re valde suffragatur s. Hieronymus (nondum a Theophili perfidia illusus) in epistola 34. ubi ait Origenem a Demetrio post discessum ab urbe Alexandriae, damnatum esse, contra eum coacto senatu illius regionis, non propter dogmatum novitatem, non propter haeresim; sed quia gloriam illius eloquentiae ferre non poterat; et, illo dicente, omnes muti putabantur. Unde constat Origenem tunc Scholae alexandrinae moderatorem orthodoxam propugnasse fidem: qua imbuebantur illius disciputi, in quibus Dionysius ejus successor in magisterio, ac postea illius urbis episcopus: qui perpetuo Origenis pietatem miratus est, ac post mortem altissime commendavit. Ac propterea, quae decantatur in eum inimicitia, non ex Dionysio repetenda est; sed ex Demetrii livore, qui, Origene jam profecto, decrevit eum expulsum: nec ultra ei licere Alexandriae versari et docere.

Nisi quod paulo post, Demetrio defuncto, teste ipso Origene in Joannem Libro VI. n. I. cessavit procella, ac extinctae sunt sagittae adversariorum suorum. Quocum adstruitur immerito passum esse Origenem quibusvis de causis oppositiones: quas ideo dicit cessasse, cessante earum auctore Demetrio, ac Deo illas extinguente, intime persuasus se recta sentire; nihilque docuisse a doctrina apostolica alienum. Si enim reapse haeretica docuisset Origenes,

sive in nonnullis deliquisset, unde a Demetrio jure Ecclesiae communione privaretur ac sacerdotio, non dixisset, Demetrium inimicum suum per novas suas litteras Evangelio hostiles, concitasse adversus se cunctos Aegypti ventos. Nec insuper unquam, etsi obiisset Demetrius, quievissent, qui suis obsisterent erroribus. Hujusmodi Origenis elocutio tam alacriter et fidenter coram Deo exacta, sicuti aliae protestationes, quibus Deum vocat verborum suorum testem, nullius culpae reum eum fuisse ostendunt in divini verbi praedicatione secundum apostolicum mandatum.

Insuper ex his recensionibus tam in Pamphili Apologeticum tam in libros ejusdem Origenis et aliorum testimonia exactis, alterum refellitur apostasïae crimen, in quod lapsus et perditus dicitur propter vim tormentorum in persecutione Decii. Qui enim, teste Pamphilo, in multis haereticum culparunt Origenem, non defuissent hoc maximum ei increpare delictum. Alioquin hanc fabellam prae cunctis refutavit Dionysius alexandrinus per epistolam ad eumdem scriptam *De martyrio*, eum solatus ob ea, quae passus erat in illa persecutione, et per elogium, quo eum post mortem prosecutus est. Ac amplius hanc destruit Theophili et Hieronymi silentium; quod in hac quaestione satissimum est.

Et sane Theophili et Hieronymi silentium de Origenis apostasïa inter cruciatus, et quae huic successerunt commento, serius a maledicis elaborata, ac simul veterum Patrum traditio pro illius orthodoxïa, ejusque vindiciae, quibus per s. Pamphilum triumphavit suae fidei incolumitas adversus obtrectantium linguam: haec tria argumenta non erant a criticis praetereunda, priusquam Theophili et Hieronymi dictis praeberent aures.

Expeditis hucusque, quae specialem postulabant disquisitionem circa Origenis ultimum fatum; proficere deinde valde puto succincte expromere eorum nomina, qui ab ipsius aetate ad initium seculi V. explicite vel oblique honorarunt illius memoriam: adeo ut, tum ex numero et auctoritate, tum ex scientia et eorum fama in ecclesiis, innotescat magis, quid putandum sit de Origenis fide ejusque gestis in Ecclesia. Qui sacrum ejusdem nomen inter Eccle-

siasticos viros celebrant, numerantur Dionysius alexandrinus, Gregorius neocaesariensis, Alexander hierosolymitanus, Hippolytus martyr, Africanus, Theotecnus Caesareae Palaestinae Origenis discipulus, Pamphilus martyr, Methodius, Eusebius Pamphilus, Alexander et Athanasius alexandrini, Titus bostrensis, Didymus monachus, Ambrosius mediolanensis, Eusebius vercellensis, Hilarius pictaviensis, Evagrius monachus, Basilius Cappadox, Gregorius nyssenus, alter nazianzenus, Theotimus Scythiae apostolus et episcopus, Epiphanius, Joannes Chrysostomus, Joannes hierosolymitanus, Augustinus, Isidorus monachus, Ruffinus presbyter, Palladius helenopolitanus Innocentio Papae acceptus, et venerandus vir ab Isidoro *Pelusiota* vocatus, monachi nitrienses, et ex his potissimum Fratres *Longi* nuncupati. His quoque jungendus est Porphyrius, qui etsi Christi hostis, tamen confessus est, tunc Origenis gloriam eximiam haberi apud doctrinae christianae magistros. (*)

De istis ajo, qui quo propiores aetate et regione fuerunt Origeni, horum magis crescit judicii auctoritas: et quo

(*) Hoc tantummodo Porphyrii testimonium de Origenis eximia gloria apud Ecclesiae christianae magistros, quippe testis, ob cujus oculos illius viri gesta explebantur, sufficeret contra stolida commenta, quae leguntur in epistola Justiniano inscripta de ejusdem erroribus.

Nemo porro obstupescat, quod inter Origenis admiratores numeraverim ss. Methodium et Epiphanium, qui vulgo dicuntur contrarii. Cum enim nemo inficiatur ambos refutasse Origenis doctrinam; ita pariter nemo nesciat, ambos cecinisse palinodiam postquam senserunt se fuisse a falsatis ejus scriptis illusos. Sed de his infra.

Secus autem dicatur de Augustino, qui priusquam illuderetur ab Hieronymo, veterem colens traditionem in Africa vulgatam, inter orthodoxos honoravit Origenem, sicuti in epistola 40. n. 9. ad ipsum Hieronymum circa an. 398. locutus, inquit: « De Origene autem, quod rescribere dignatus es, jam sciebam non tantum in ecclesiasticis litteris, sed in omnibus recta et vera, quae invenerimus, approbare atque laudare; falsa vero et prava improbare atque reprehendere. Sed illud de prudentia tua et doctrina desiderabam et adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa ejus errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur etc. »

magis scientia et sanctitate in ecclesiis praestitere, eo minus dubitandum est de illorum dictis. Eos inquam Origenis auditores, episcopos et martyres: alios dico, qui genuinos codices sive autographos vel apographos ejusdem legerunt; ceteros dico satis peritos vera a falsis decernendi, ac dogma catholicum separandi ab haeretico. Ex his nemo errantem arguit Origenem. Nullus unquam Origenem impietatis in Deum, in Filium Dei, in Spiritum Sanctum increpavit. Nec Alexander alexandrinus inter Arii praecursores citavit Origenem; nec Arius illum suae impietatis socium dixit. Nemo absurdas illius fabulas de animarum lapsu e coelis notans, refutavit. Nemo de eo miratus est, quod finem imponeret reproborum et daemonum poenis in futuro seculo. Nullus adversatus est Origeni, quod materiae aeternitatem admitteret, quod hominis arbitrium tolleret, quod carnis resurrectioni mentiretur. Nemo de his vel de aliquo alio dogmate substantiali incusavit Origenem; nec ideo haereticum nuncupavit. Nemo, quos memoravi, sanctorum virorum ausus est ei exprobrare a doctrina apostolica defectionem. Nullus denique eum haereticum ab Ecclesia damnatum et extra Ecclesiam mortuum adfirmavit unquam.

Fortasse tot tantique viri adeo consilio inopes fuerunt, aut mente infirmi, sive vecordes, praejudiciisque occupati, ut vetarentur quominus falsa a veris, dogmata impia a piis, orthodoxa ab heterodoxis dignoscerent, praesertim qui adversus Arium pugnarunt? Nec hoc cogitare quidem licet, sicuti de ceteris, cum totam tunc honorandum Origenis nomen pervaderet Ecclesiam, ejusque libri a fidelibus accepti, cum reverentia legerentur: et hoc ex illorum quoque confessione, qui postea adversus eum insurrexerunt. Testes voco hujus rei eosdem acerrimos Origenis hostes Theophilum et Hieronymum. Ab istorum testimoniis colligitur, neque in Ecclesia Romana, neque in Ecclesia hispanica, neque in Ecclesia africana, nec in Ecclesia hierosolymitana, neque in Ecclesia constantinopolitana, nec in Ecclesia alexandrina constare talia aliquando docuisse prava dogmata Origenem; nec multo minus fuisse, qui ex ejus nomine talia profiterentur.

Nec sane aliter Ecclesiae Patres de eo cogitare po-

tuerunt, cum ob oculos suos limpide fulgeret historia peregrinationis ejus inter gentes: ubi instar Apostoli omnibus omnia factus est, ut omnes faceret salvos. Ab Aegypto enim exorsus in Arabiam venit, in Palaestinam, in Cappadociam, ad Achajam usque profectus est, vel ab episcopis vocatus aut sponte, eo potissimum studio, ut errantes ad Evangelii veritatem perduceret, haereticos confutaret, Christi hostes confunderet, dubios in fide firmaret. Neminem interim legitur ex illorum provinciarum episcopis, quibus in ministerio Evangelii adstitit, de errore increpasse Origenem, aut nova introducentem dogmata adversus fidem apostolicam. Quotidie in scholis, quotidie in ecclesiis docebat: quotidie divinis Scripturis auditorum imbuebat animos, ita ut nuncuparetur *vir apostolicus, magister ecclesiarum*. Et cum sic vel doceret, vel scriberet, in hoc unum incumbebat Christi servus, in viam veritatis incedens, ut omnes vitam haberent et abundantius haberent. Quamobrem tantum gloriae assecutus est, ut Gregorius (postea Neocaesareae episcopus scientia ac miraculis coruscans) *virum fere divinum* diceret Origenem.

Nemo, inquam, ei restitit, nisi haeretici, qui ab eo superati, voce illius et scriptis contriti, libros suos interpolare nisi sunt, quemadmodum, ex confessione sua in epistola ad alexandrinos, Antiochiae accidit et Athenis. Quibus tamen occurrens, coram testibus exprobravit illorum perfidiam. Idcirco, si haeretici Origenis scripta maculare conati sunt: et quid sibi velit hujusmodi haereticorum conatus? nisi quod optime noverint ipsius scripta orthodoxum praeferre dictatum; nec ideo pro iis vel cum iis, sed contra eos dimicasse: cui ideo jure nomen inditum est *haereticorum malleus*.

His praemissis priscorum Patrum testimoniis, quomodo stabit quod Theophilus, summarie enumeratis erroribus et blasphemiis Origenis, scribit in epistola I. Paschali n. 6. inquiens: « Equidem scire non possum, qua temeritate Origenes tanta confingens, et non Scripturae auctoritatem sed suum errorem sequens, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre: nec aestimavit unquam ullum hominem fore, qui suis assertionibus contrairet, si philosophorum argutiis propriis tractatibus miscuisset; et a malo exordio in fabu-

las quasdam et deliramenta procedens, christianum dogma ludum et jocum fecerit, nequaquam divinae doctrinae veritate utens sed humanae mentis arbitrio: et in tantam, seipso magistro, intumescens superbiam, ut non imitaretur humilitatem Pauli etc. » Item s. Hieronymus in Libro I. adversus Ruffinum n. 12. totum ait orbem ante illud tempus simpliciter Origenem lectitasse, nec errores comprehendisse suis insertos libris.

Rogo itaque prudentes viros a praejudiciis exemptos, et sanae criticae cultores, collatis de Origene dictis Patrum, qui Theophilo praecesserunt ingenio praestantes atque in studio sacrarum Scripturarum excellentes, et doctrinae apostolicae custodes et eximii interpretes; et quorum scripta hucusque manent, integri suae religionis testes: rogo eos, inquam, num fieri potuerit, ut ex praefatis usque ad Theophili aetatem, nemo contrairet tam absurdis Origenis doctrinis: et hinc solum reperirentur Theophilus et Hieronymus, qui eas revelarent et confutarent. Illos utique compello memoratos nec numero nec auctoritate modicos Ecclesiae Doctores: quorum nullus arguit ejusdem doctrinam haereticam et impiam.

Fortasse, quemadmodum nuper dicebam, Dionysius alexandrinus, Pamphilus, Eusebius, Athanasius, Ambrosius, Gregorius nazianzenus, Chrysostomus, Theotimus aliique, ad quorum manus Origenis scripta et ad quorum aures firma pro eo traditio pervenerant, inconsulti aut nescii asseverarunt illum in Ecclesia Catholica obiisse, ac nihil malae doctrinae reperiri in libris suis; adeo ut post centum et quinquaginta annos, Theophilus primus ex eisdem eruerit *hujusmodi fabulas et deliramenta?* Et quid hoc sibi vult, nisi quod persuasum eis fuit, nec Origenem errasse, neque in suis scriptis genuinis congessisse istius generis deliramenta: quae quidem tot et tantos Ecclesiae Doctores haud poterant aliquando latere. Propterea lubenter Theophilo convenio, quando ipse de se dicit, eousque ignorasse quomodo tam falsa dogmata Origenes expromere potuit: et quare Hieronymus subdat eousque legi ipsius libros, quin dignoscerentur errores. Tamen non conveniam nec unquam con-

venire potero, Ecclesiam universam Origenis libros legisse, ( ut ipsi fatentur Theophilus et Hieronymus ) quin errores, et quidem tales, qui totum christianae fidei aedificium diruebant, comprehenderit ac refutarit. Ideoque si hos legit Ecclesia, nec reprobavit, luculenter sequitur eosdem sanam et ab haeresi immunem praeferre doctrinam.

Novissime, cunctorum Patrum ante Theophilum expositis testimoniis pro Origenis orthodoxïa, perpetuo nobis ob oculos habendum est, illos non tantum animadvertisse ipsius dicta, non tantum subtiles illius disquisitiones in Religionis Christianae mysteriis tractandis, seu similitudines ad hoc sibi comparatas pro humana illorum, quoad fieri potuit, intelligentia : ast in primis et potissimum animum intenderunt ad ejusdem simplicem, sinceram ac saepe innovatam obtestationem, vario etsi vocabulorum usu, sed uno et eodem sensu manifestam; quacum docuit, *illam solam credendam esse veritatem, quae nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat Traditione.* Quacum fatetur, *se de Ecclesia esse. Ego vero,* ait Homilia XVI. *in Lucam, quia opto esse ecclesiasticus, et non ab haeresiarcha aliquo sed a Christi vocabulo nuncupari et habere nomen, quod benedicitur super terram : et cupio tam opere quam sensu et esse et dici christianus,* etc. Illam nempe dicit Ecclesiam, *extra quam* ( ut Homilia III. in Librum Jesu Nave ) *nemo salvatur. Nam siquis foras exierit, mortis suae ipse fit reus.* Quam Ecclesiam *unam* vocat, *sanctam, immaculatam, Domum Dei, Civitatem Verbi.* Idcirco, *oportet,* ait, *secundum sententiae apostolicae auctoritatem nos, sicuti reliqua mala, quae numeravit Paulus, haereseos quoque nomen devitare : neque cum talibus orationis societate misceri.* Quos ideo dixit *blasphemos, pestiferos, immundos, diaboli socios, Ecclesiae dominicae profanatores, monetam adulteram extra Ecclesiam cusam* (*). Et hinc ex ore ipsius concludit

(*) Et quis unquam credidisset, postquam hanc fidei adversus haereses emisit confessionem, aliquando fore, qui Origeni eosdem inscriberent titulos, quibus haereticos perpetuo cumulavit? O misera, miseranda conditio hominis fidelis et probi, cui cum invidia, malevolentia et perfidia contendendum est ! Sed amplius miseranda con-

Pamphilus in exordio Apologetici, *omne alienum sibi esse, quidquid praeter fidem catholicam praedicatur*. Quam professus instantibus, cum adhuc in vivis degeret, quibusdam malevolis et obtrectatoribus, scripsit ad Fabianum Papam et ad alios episcopos, eosdem sensus depromens.

His expositis ut sol splendentibus Origenis obtestationibus undique in suis scriptis obviis, quis audebit in dubium revocare sinceram illius fidem? Necesse secus foret, ut Auctor ad annos quinquaginta tali subdola usus foret docendi agendique ratione, qua cunctis illuderet fidelibus: quod putare non licet. Hinc patet quanto jure veteres Ecclesiae Doctores ultra oralem pro eo traditionem, inter catholicos ipsius inscripserint nomen, aures obturantes perfidorum insimulationibus.

Deinde, licet locutiones quaedam de Religionis nostrae mysteriis, praesertim de Trinitate, de Verbo Dei, de Incarnatione, de Spiritu Sancto, parum aptae videantur, iis collatae posteriore aetate ab Ecclesia definitis et acceptis: nihilominus non officiunt integrae Auctoris fidei, sicuti nec, teste Petavio, fidei Patrum antinicaenorum: siquando non satis cauti nec concordes fuerint in *terminologia*, seu in exprimenda hujus dogmatis forma, salva tamen ejus essentia. Cui addatur altera difficultas, cum verba mentis humanae ac finitae conceptum exprimentia, (ait Origenes) minus significent quam vellet infinita Dei sapientia. Similiter dicatur de animae humanae origine, et de aliis quibusdam nondum tunc ab Ecclesia definitis; in quorum discussione dissentiebant Patres, nec ideo reprobandi: prout ipse ait in Commentario Epistolae ad Titum.

Siquae vero in Origenis tractatibus occurrant dicta obscura, intentis speciatim subtilibus ejusdem disquisitionibus, quibus plerumque ornat sermones suos: et quibus haeretici praesertim et obtrectatores, vel imperiti, unusquisque pro scopo suo, abusi sunt: et quid hoc? Numquid ideo haereticus Origenes? numquid ideo anathematizandus? Siquis enim

ditio, quando perfidia socios reperit vel in ignorantia, aut in simplicitate bonorum!

ita velit; tunc et ipse divus Thomas idem subiret judicium, qui plura exposuit non satis aperta communi intelligentiae. Et insuper ipse quoque Apostolus reprobandus esset, de quo beatus Petrus in Epistola II. c. III. 16. ait, in suis scriptis quaedam esse difficilia intellectu: quae indocti et instabiles depravant, sicuti et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Demum, ponatur quoque in quibusdam Origenem errasse, quod individualiter putare licet de ceteris Patribus. Nec ideo tamen vocabitur haereticus, cum in his nec voluntas, nec pervicacia appareat doctrinae repugnandi Ecclesiae Catholicae; cui perpetuo se devovit, sicuti in praemissis fidei confessionibus luculenter expressit.

Ex his igitur et praefatis cernitur, num sit locus Origenis reprobandi; cujus ad centum et quinquaginta annos Patres numero plusquam triginta (in quibus Dionysius alexandrinus et Pamphilus) non dubitarunt sanctitati et orthodoxïae patrocinari: quem istorum nemo ausus est haereticum appellare, neque extra Ecclesiam arbitrari defunctum. Qui in tota vita sua instar Apostoli bonum certamen certavit, fidemque integre servavit. Qui tot martyres Christo peperit; qui ab adolescentia martyrio exardescens, in senectute cruciatus durissimos sustulit ob Christi nominis confessionem: qui demum in pace illius mortuus est.

Et haec est periodus prima quaestionis origenianae ad Theophili aetatem usque.



*quaestionis origenianae a Theophili aetate et successive.*

ıum altera quaestionis origenianae periodus percurrenda bis sit, ob oculos prius habere praestat, quae Origenes ribens ad amicos alexandrinos, falsatoribus epistolae suae ram se convictis et refutatis, subdit: « *Siquis ergo vult edere mihi in conspectu Dei loquenti, etiam de his, quae in istola mea conficta sunt, et inserta credat. Sin autem quis n credat; sed vult de me male loqui, mihi quidem nihil mni confert. Erit autem ipse falsus testis apud Deum, adrsus proximum suum falsum testimonium vel dicens, vel dintibus credens.* »

Et quis crederet? Quamvis ejusmodi obtestationes emirit Origenes de sua fide sincera, saepius voce et scripto novatas coram Ecclesia in praesentium et posterorum aeficationem, et ut a maledictis cohiberentur obtrectatores, ıemadmodum ex s. Pamphili studio factum est: nihilomiıs post centum quinquaginta annos, in quibus de suis hoibus triumphavit, communi pro eo pugnante Ecclesiae senı, hunc virum vidimus ex tantae gloriae culmine in ignoıiniae coenum descendisse: ibique adeo volutatum, ut peletentim vix vestigium aliquod superesset illius splendoris, ıuo antea per orbem emicuit, ac ejus nomen fere univerım benedictum converteretur in maledictionem. Et quis ergo de hoc non obstupescet? neque hujus nefastae vicissitulinis rimabitur causam, vel auctorem?

In Tomo III. authenticis aptisque usi testimoniis Palladii, ieveri, Polybii, Innocentii Papae I. Socratis, Sozomeni et liorum, qui ex professo vel obiter hanc texuerunt historiam, narravimus quare Theophilus princeps oppositionis, cum rius bene senserit de Origene, repente mutata sententia, rdentissimo odio in eumdem et hujus patronos irruperit, ecum aliis, suo studio perversis, ad se accitis expugnatoibus.

Diximus enim hujus mutationis initium aliter quam a

legitima causa repetendum esse, sed prius a Theophili odio in Isidorum monachum, eo quod iste cum Petro presbytero testari renuisset, Theophilum ipsum a sorore sua haeredem fuisse scriptum. Secundo, quod Isidorus non concesserit pecunias ex offerentium voluntate pauperibus dispensandas, in ecclesiarum structuras insumi. Quare Theophilus in Isidori ultionem, hunc in judicium vocat sodomitici criminis reum, falso adhibito teste, eumque ab Ecclesia dejicit. Qui discedens sese recepit apud monachos Nitriae, ubi antea commoratus erat. Quo audito, Theophilus non solum cogitat Isidorum illuc aggredi sed et monachos, in eis praetexens dogmatum perversitatem; seu quod praesumptos Origenis errores propugnarent, coacta ideo adversus eos Synodo, ut quae de illis perfide excogitaverat, sancirentur. Unde factum est, ut quos saepe, inquit Palladius, plusquam episcopos, honoraverat Theophilus ut magistros propter vitam, doctrinam, et aetatem, eos non puduerit appellare praestigiatores, eo quod erga Isidorum optime affecti erant.

Ac interim, teste ipso Palladio, Theophilus instruit homunculos quinque ex ipso Nitriae monte indignos, qui nunquam in coetu seniorum steterant; quorum unum episcopum, alterum presbyterum, tres alios diaconos ordinavit. Et hos subornat, ut libellos darent adversus tres senes Ammonium, Eusebium et Euthymium. Et falsae accusationis verba ipse contexuit Theophilus, ipsis subscribentibus. His ab illis acceptis coram Ecclesia libellis, ingreditur ad Augustalem : et contra tres monachos supplicem libellum deponit apud eum, nomine suo, *aegyptiae dioeceseos pontifex*, consertis etiam calumniosis imputationibus : ac petit ut militari manu expellantur ii homines ab universa Aegypto. Acceptis itaque militibus ad numerum quingentis, noctu repente invadit monasteria, et omnes ejicit, omnia praedatur, ac cellas trium monachorum incendit una cum libris sacris et codicibus. Et his expletis, Alexandriam repetit Theophilus, locum dans sanctis illis viris: qui, sumptis statim melotis suis, in Palaestinam profecti, Aeliam adventant. Cum iis egressi sunt, praeter presbyteros et diaconos illius montis, trecenti optimi monachorum; alii vero per diversa loca disper-

si sunt. Qui vero Aeliam advenerant ex ejusdem Theophili mandato, discedere coacti sunt, donec in alia ex aliis locis migrati, Constantinopolim pervenerunt etc. »

His praemissis, nemo antea ignoret, libellos a Theophilo et a quinque subscriptos ignobilibus et seductis monachis, quos ipse ad ecclesiasticos gradus evexerat, summarium continere haereticorum dogmatum Origeni inscriptorum ac fere eorumdem, quae leguntur in Apologetico s. Pamphili, ab eo praeclarissime confutata: et quorum exemplar ad Theophili manus perveniens, diabolico artificio adornatum, ipse obtulit Augustali in damnationem et expulsionem sanctorum virorum.

Deinde propositum valde juvat totius hujus historiae considerare circumstantias ab Epiphanio et maxime a Hieronymo ex versuti Theophili dolo captis, varimode notatas ac sensu inverso expositas ab eo, quod reapse talis postulabat quaestio, ac circa illud potissimum, quod factum est in Synodo alexandrina. Quomodo nempe processit contentio inter monachos et Theophilum; et quomodo Origenes et cum eo monachi pro eo pugnantes condemnati sunt: ut decernatur, quorum ideo inter se dissidentium praestet auctoritas historicorum.

Ac interim dico, minus Hieronymi dictis standum esse, qui a Synodo aberat ac tantummodo de ea a perfido Theophilo certior factus est, quam praefatis, et multo quidem jure s. Severi monachi ex Postumiano narrationi. Tunc enim is Alexandriae degebat, domi Theophili moratus et omnium spectator, quae ibidem patrata sunt. Et s. Hieronymus longe, quae de hac quaestione ei per epistolas indicata a Theophilo, haud sentiens istius perversitatem, lubenter accipiens latine vertebat; et ad amicos suos Romam mittens rogabat, ut, quae didicerat per litteras a Theophilo cum de haeresi Origenis, tum de monachis illius haeresi infectis, ac de horum damnatione in Synodo exacta, acceptarentur et tanquam vera crederentur, ideo gloriatus, quod per se omnis orbis Origenem et monachos origenistas detestaretur. Verumtamen adversus hanc Hieronymi illusionem, qua per Theophilum deprehensus est, stat alterum s. Severi testi-

monium; qui testis oculatus, aliter narrat acta Synodi alexandrinae ab iis, quae Hieronymus acceperat ab eodem Theophilo. Cujus quidem Severi testimonium ceteris praestare debet quibusvis mendacibus Theophili declarationibus et obtestationibus.

• Severus inquit ( veluti in Tomo III. sedulo exposuimus) monachos Origenis adsertores non disputare coram Synodo, cui praeerat Theophilus, num condemnanda forent dogmata vere impia libris Origenis inserta: sed asseverabant talia non probasse nec scripsisse Origenem; nec ideo jure hunc virum subjiciendum esse anathemati; nec ullos a librorum suorum, ubi catholicum dogma exprimebatur, lectione cohibendos esse; nec insuper se velle nec librorum, nec Origenis subscribere damnationi. Quamobrem Severus ipse, antea miratus, quomodo *unus homo tam diversus a se esse potuisset, nunc juxta apostolos sancta, modo impia docens,* probe comprehendit, in ea quaestione non agi de haeresi, sed de errore. Monachi enim orthodoxam professi fidem, hoc tantum asserebant, Origenem non esse damnandum, cum nec errasset, nec talia scripsisset, sed ejus libros fuisse interpolatos. Et hoc monachorum responsum firmatur ab Hieronymo in epistola 97. ad Pammachium et Marcellam: « Papa Theophilus tota Origenem arguit libertate haereticum esse. Nec illi ( monachi ) dicta defendunt, sed fingunt ab haereticis immutata. »

Porro quas potissimas siluit causas Severus, cur monachi subscribere renuerunt damnationi Origenis, enarrat idem Hieronymus in epistola ad Pammachium et Oceanum n. 4. inquiens: « Ad subscriptionem tergiversantur, quaeruntque suffugia. Alius *non possum,* inquit, *damnare, quod nemo damnavit.* Alius adjecit: *nihil super hoc a Patribus statutum est*: ut dum totius orbis provocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantius inquit: *Quomodo damnabimus, quos Synodus nicaena non tetigit? Quae enim damnavit Arium, damnasset utique et Origenem si illius dogmata reprobasset.* » Haec autem monachorum responsa non erant tergiversationes, non erant suffugia, ut putavit Hieronymus: ast erant expressiones totius Ecclesiae;

erant omnium conscientiae dictata, traditione suffulta priscorum Patrum. Ad quam traditionem non solum monachi sed et Pamphilus martyr ceterique Ecclesiae Doctores sese receperunt; et ad quam Theotimus et Chrysostomus quoque appellarunt, ne illius subscriberent anathemati.

Praeterea de eisdem monachis valde praestat quoque (uti narrat Palladius) testimonium clericorum, qui a Theophilo ad urbem regiam missi sunt: et quos ad se accitos Chrysostomus, de monachis expulsis interrogat. Cui candide responderunt se novisse monachos et quidem innocuos et iniqua a Theophilo passos.

Vide ergo quantum Hieronymi ex Theophili litteris accepta narratio ab ista variet, quam exposuit Severus. Videas, qua fraude usus est Theophilus ut Hieronymo illuderet et per eum Occidentis episcopis. Cernito insuper quam immerito Theophilus et cum eo Hieronymus tot conviciis affecerint pios viros, hos haereticos nuncupantes, aspides venenatos, furiosos homines, pestiferos, impios, hydras sybilantes. Vide demum quam diverse de iis loquatur Severus: *qui etsi,* ait, *fortasse viderentur parere debuisse episcopis, non tamen ab his tantam illorum monachorum copiam sub Christi confessione viventium oportuisse affligi.*

Nemo porro miretur, quod Theophilus totis viribus institerit, ne, damnatis libris cum suo auctore Origene, ulterius legerentur. Putavit enim, nec immerito, si post hoc interdictum illius legerentur scripta, innotescere, gratis illud decretum a se et ab aliis illusis obsignatum fuisse: cum genuini Origenis codices ab illis mendis immunes forent.

His ergo praemissis, cui credendum est? Hieronymo illuso, aut Sulpitio Severo? cui ceteri adstipulantur sancti viri, qui monachos deinde exules prius Hierosolymis deinde Constantinopoli viderunt, cum illis locuti sunt (in quibus ipse Epiphanius) et perspectissimam Theophili animadverterunt improbitatem, et monachorum ex adverso vitae et fidei integritatem?

Ac interim praeter Severum, qui miratus est, quomodo Origenes nunc tam sancta, modo tam impia scribere potuisset; et illud quoque mirum est, quod Theophilus ipse coram

Synodo congregata, lecta Origeni inscriptorum, speciatim in falsatis *Periarchon* libris, errorum rapsodïa, obtestatus sit (ut ait Hieronymus in Libro I. contra Ruffinum n. 14.) asseverans, *se obturasse aures suas*, *et usque ad illud tempus se ignorasse, quod tam nefaria scripserit Origenes*. Attamen praefati Ecclesiae Patres, incipiendo a s. Dionysio usque ad ipsius Theophili aetatem, in quibus elucent Pamphilus, Eusebius, Athanasius, Basilius, Gregorius nazianzenus, qui praecipue *Periarchon* libros legerunt, nullibi, inquiunt, se obturasse aures suas ob blasphemias hujusmodi: nec ideo damnasse Origenem, nec fideles prohibuisse ab horum librorum lectione. Utique eousque dicit Theophilus, se ignorasse tam impia scripsisse Origenem. Et ego amplius addam illum usque in seculum in tali versaturum fuisse ignorantia, nisi orthodoxi *Periarchon* sensus falsati essent in odium Auctoris; aut nisi eidem adscripta forent, quae in adversariis suis haereticis refutavit.

Priusquam vero expositum adeamus quidquid Constantinopoli factum sit de quaestione origeniana et de monachis nitriensibus, sedulo attendendum est actis Synodi alexandrinae et alterius Cypri congregatae, s. Epiphanio praeside. In variis Concilii alexandrini sessionibus nihil disputatum est quod fidem pertingeret. Tantummodo actum est, utrum Origenes haeretica docuisset et scripsisset, sicuti nuper dictum est: quod sapienter s. Severus notavit et amplius Palladius explanavit in vita s. Joannis Chrysostomi; etsi Theophylus aliter interpretatus sit monachorum mentem; unde magnum ortum est dissidium, pluribus cum Theophilo episcopis contra Origenem ut haereticum, aliis pro eodem uti catholico jure pugnantibus monachis, qui postea exulare coacti sunt. Quidquid autem decretum est in Synodo alexandrina sub Theophili dominatione et perfidia, idem ipse scripsit ad Epiphanium, ut, adunato Concilio illius provinciae, Origenes, illius libri, et monachi damnarentur. Quod sub eisdem Theophili auspiciis, praesumptionibus et instantiis collectum, nullo praevio quaestionis examine, expeditum fuit, actis Alexandriae probatis. Quamobrem paulo post Constantinopoli Ammonius reverenter corripit s. Epiphanium, quod

non solum Origenem sed et monachos ut haereticos reprobasset. *Unde ergo*, dicit ei Ammonius, *haereticos eos judicasti, qui nullum habes argumentum, quo sententiam illorum possis arguere? Epiphanius respondit, id se auditu accepisse.* Idest, dicam ego, ex mendacibus Theophili litteris.

His breviter expositis de duobus conciliis, facilis est accessus ad ea explicanda, quae tumultuarie Constantinopoli eadem de causa patrata sunt: et quanto jure s. Hieronymus scribens ad amicos occidentales, dixerit Origenem et origenistas monachos fuisse in conciliis orientalibus damnatos. Antea praemittendum est, Ephiphanium, absoluta Synodo cypria, ideo ex Theophili consilio Constantinopolim navigasse. Scripserat enim ei Theophilus his verbis: « Didici quod calumniatores verae fidei, Ammonius, Eusebius atque Euthymius novo pro haeresi (Origenis) furore bacchantes Constantinopolim navigarunt, ut et novos, siquos valuerint, decipiant: et veteribus suae impietatis sociis jungantur. » Vide perfidiam, qua usus est Theophilus, ut Epiphanio illuderet et monachis noceret.

Interim audiatur, quod scribit Socrates in Libro VI. c. XIV. Hist. Eccl. de Epiphanii adventu in urbem, et quomodo istum hortatus est Joannes ut secum in domo episcopali maneret: « Verum ille neque mansurum cum eo, neque precaturum esse dixit, nisi Dioscorum fratresque ejus a civitate expulisset, et condemnationi librorum Origenis manu propria subscripsisset. Cum Joannes id facere differret; et nihil temere agendum esse diceret πρὸ καθολικῆς διαγνώσεως ante catholicam definitionem; inimici Ioannis aliud consilium suggesserunt Epiphanio. Nam cum celebranda esset Collecta in ecclesia Apostolorum, Epiphanium in medium prodire fecerunt, et coram universo populo primum quidem Origenis libros condemnare: deinde vero Dioscorum cum suis excommunicare, et Joannem, utpote eis faventem simul perstringere. Haec Joanni nuntiata sunt. » Postea in cap. sequenti subdit, quomodo Eudoxia hortata sit Theophilum, ut Synodum congreget adversus Joannem: ubi multae accusationes motae sunt in sanctum virum: « Nec jam ibidem, sequitur, librorum Origenis ulla fiebat mentio; sed absur-

dae aliae criminationes intendebantur. » Quare iterum Joannes provocat ad Concilium oecumenicum.

Postmodum quaeritur: cur Theophilus non admisit Chrysostomi propositum de convocanda Synodo, ubi definiretur quid agendum esset de Origene, de libris ejus et de monachis, qui restiterunt ejusdem anathemati? Et quid hac propositione sapientius excogitatum, quam omnium episcoporum praestolari judicium de re tam gravi, adstantibus ibi monachis accusatis, expositis genuinis Origenis libris, ejusdem examinata sine partium studio doctrina, veterum praesertim compellata traditione de ipsius scriptis, fide et actis usque ad obitum? et quid Theophilo utilius et cunctis acceptum quam coram Synodo oecumenica exponere prava Origenis dogmata, haereticos ejusdem tractatus, et horum prodere textum genuinum, et mentem et fidem explorare monachorum nitriensium, ut rectum subsequeretur judicium? Quare Theophilus ab hoc refugiens Chrysostomi consilio, fere penitus amota quaestione origeniana, arma vertit adversus s. Episcopum, ac perfide egit, ut in exilium mitteretur, commentitiis criminibus in eum inventis?

Similiter qua ratione ex monachis, qui ceteris praeerant, et in judicium vocati a Theophilo ut haeretici, tunc mortui Constantinopoli in Ecclesia catholica sepulti sunt? Cur insuper Theophilus ob tanta facinora adversus monachos et Joannem admissa cunctis fidelibus exosus ab urbe fugit? Et cur, teste Georgio in vita s. Joannis, Innocentius Papa (jam mortuo Joanne) scripsit ad Arcadium et Eudoxiam, ut Joannis nomen diptychis inscribatur; ac per eum Theophilo mandavit ut se sistat Concilio Thessalonicae congregando? Quare in his litteris dicit de ipso Theophilo Innocentius: « *Quae enim adversus Joannem episcopum et Isidorum laude in primis dignum et hospitum exceptorem, et alios* (monachos Nitriae) *id genus religiosae vitae consectatores, gesta sunt ab eo, nos auctoritate freti s. Petri eximii Apostolorum Principis, discussis causis et inquisitionibus exacte perpensis, docebimus ex animo sanguinario processisse et praeter tenorem Canonum esse confecta?* » Et cur Theophilus, hac ab ipso Papa accepta jussione, episcopos una

cum consobrino Cyrillo destinat ad montem Nitriae, ut hortentur et obsecrent Isidorum et eos, quos persecutus fuerat monachos, ut pro se intercederent ac fungerentur legatione, cui ipsi annuerunt? Nonne haec satis ostendunt tum Chrysostomum, cum monachos innocuos, ac ab haeresi immunes, iniquissime vexatos fuisse a Theophilo? Si Origenes revera errasset ac haeresis ex suis dictis et factis constaret, quemadmodum in litteris synodalibus et paschalibus magno verborum apparatu Theophilus probare studuit illum pravorum dogmatum magistrum; et si monachi haeresim ejusdem reapse propugnarent, quid Theophilo timendum erat, ne se Concilio sisteret, ut insimulationibus adversum se responderet ac refutaret?

Cur s. Epiphanius, (teste Polybio ipsius discipulo, et Sozomeno in Libro VIII. Hist. Eccl. c. XV.) cum monachis nitriensibus Constantinopoli conveniens, ab Ammonio ex eis uno, reprehensus est, quod tantum ex auditu absentes damnasset, nec certis argumentis usus, ut illos argueret haereticos? Et quare ideo Epiphanius monachorum fide perspectis et vitae sanctitate, et quomodo ii Origenis causam suscepissent aliter quam ei Theophilus exposuisset; quare, inquam, in se factus Constantinopoli discessit, valde de illis dubitans, quae ei Theophilus per litteras scripserat adversus monachos? (*)

(*) Interim non videtur dubitandum, quin omnia, quae de Origenis erroribus scripsit Epiphanius, eruerit e Methodii scriptis a se citatis. Eadem namque accusationum genera apud utrumque occurrunt. Et ipse Epiphanius testatur ab ipso s. Martyre mutuatum esse cuncta quae opposuit praesumptis Origenis erroribus. Tantumdem non videtur ambigendum, collatis, quos uterque numeravit ejusdem errores, quin repetantur ab ipsis libellis famosis, quos vulgatos dicit s. Pamphilus in Origenis vituperium.

Ideoque quemadmodum perspicue constat postea (suffragante nobis quoque Georgio Bullo in n. I. *Defensionis fidei nicaenae*) Methodium opinionem suam emendasse, et quidem lecta s. Pamphili Apologia; similiter conjiciendum est, immo statuendum s. Epiphanium de omnibus resipuisse, quae antea adversus Origenem et monachos conceperat, postquam eorum anathemati repugnantes audivit non

Quare Theodoretus in Libro V. Hist. Eccl. c. XXXIV. exilii et obitus Joannis et eorum testis, quae tunc Constantinopoli acta sunt adversus illum et sanctos episcopos et monachos, impulsore cum aliis Theophilo, superfluum arbitratur ea cuncta commemorare, sed contracto sermone cessere, illorum volens, qui ejusdem fidei erant, errata obtegere? nisi luculenter ei constaret Theophili perfidia, et ceterorum, quos persecutus erat, innocentia? Fore tamen existimavit, ut deinde, sedatis animis, ac sine partium studio discussa quaestione, cunctis pateret et Origenis et monachorum sincera fides et oppositorum ambitus. Quod quidem hucusque contra ipsius Theodoreti expectationem accidit: damnato nempe Origene una cum monachis ut haereticis, praefatorum fidelium virorum praetermissa auctoritate, et altera praelata perfidi Theophili et Hieronymi illusi. Unde factum est, ut quaestio origeniana ab ejus principio iniquissime suscepta, iniquissime judicata, adhuc sub iniquissimo judicato perseveraret. Quapropter cunctis innotescit, quanto jure nobis procedendum sit in hujus causae recognitione.

Et jure quidem dico procedendum esse hodie in hujus causae recognitione, quae ex pluribus et magni momenti circumstantiis tunc prohibita est, veluti in Tomo III. praenotavimus. Et hoc primum obtinebitur, sedulo comparatis istius et immediate successivae aetatis monumentis relate

solum Joannem hierosolymitanum sed et Chrysostomum; ac posteaquam in episcoporum conventu sibi contradicentem audivit Theotimum asseverantem se nolle condemnare, quem antecessores sui non reprobarant; ac posteaquam cum Ammonio ex Nitriae monachis divinorum scientia praeclarissimo convenit, et ab eo certior factus est, nec hunc, nec ceteros socios monasteriis expulsos, praesumpta Origenis prava dogmata profiteri, ast nicaenam tenere fidem, et obtestari se virum defendere orthodoxum. Quibus auditis, ab ulteriore disquisitione abstinuit et Constantinopoli discessit. Quod et Sozomenus in Libro VIII. c. XV. suspicatus est, inquiens illum, interjecto brevi tempore, quo cum Ammonio locutus est, Cyprum navigasse, seu quod constantinopolitanae profectionis ipsum poenituisset, sive quod Deus oraculo illum de instante morte admonuisset, quam subiit priusquam Cyprum appelleret.

**ad Ecclesiae viros, qui hujusmodi quaestioni participarunt. Qui scilicet et quot fide et doctrina conspicui, veteris traditionis sectatores, Origeni catholico patrocinati sunt, et monachis orthodoxis ejusdem studiosis. Et quales et quanta auctoritate ex adverso polleant, qui Origenem ipsum et monachos ut haereticos repudiarunt una cum ceteris horum astipulatoribus.**

**Origenes vir apostolicus, ecclesiarum magister, haereticorum malleus, Ecclesiae columna, munere divinitus cumulatus in interpretatione Scripturarum, perpetuo haeretica dogmata detestatus, pietate eximius, in Pontificatum Romanum obsequentissimus, et pie et Christi martyr in Ecclesia Catholica mortuus, ante Theophili aetatem universim reputatus est. Postea ab ipso Theophilo (cui s. Hieronymus inconsulte adhaesit) haereticus, impius, blasphemus, profanus, stolidus, Christo injuriosus, arianorum pater, omnium haeresium condimentarius nuncupatus est, et novae haereseos (idest imaginariae) auctor. (*)**

**Eusebius Pamphilus inter Origenis orthodoxi patronos**

(*) Non est in hoc loco, ceu singulare monumentum, praetereundum, quod a perversae mentis suae furore Theophilus in Origenem invectus, et de ejus fine et monachorum ex sua praesumptione haereticorum agens, ad inferos damnat una cum eodem Origene; et ibi ad eum loquentes inducit in epistola paschali I. n 8. « Facessant ergo stultissimi mortalium; immo *descendant in infernum viventes*, sicuti Psalmista testatur; et praeceptorem impietatis suae ibi esse cernentes, clamitent: *et tu captus es sicut et nos, inter nos reputatus es: descendit in infernum gloria tua.* »

Attamen, praeviis suo loco adductis testibus, qui novissimo Origenis adstiterunt, omnes fatentur illum in Ecclesia Catholica pie defunctum, laudibus postea ideo cumulatum a sanctis viris. Et cum eo pariter monachos in viam perfectionis et sincerae fidei usque ad obitum profecisse asseverant historici.

Ex adverso de Theophilo (qui ignobili et temerario ausu apud inferos collocat et monachos et Origenem) omnes obstupuerunt de miserrima ejus fine, cruciatibus dilaniati, quod tanta scandala excitasset in Ecclesia, et ob persecutionem in sanctos monachos et praesertim in Chrysostomum iniquissime promotam.

numeratur. Hunc s. Athanasius inquit, priusquam Synodus nicaena adunaretur, arianis convenisse. Attamen subdit, ipsum de quaestionis statu conscium, fidei nicaenae subscripsisse; nec denuo eam refutasse aut emendasse. Et id ex eo constat, quod paulo post, Marcellum haereticum corripiens, scripserit Christum esse *Deum et Filium Dei*. Quapropter Valesius in notis Hist. Eccl. vocabulis investigatis, quibuscum de Filio Dei loquitur Eusebius, pluribus compertis nominibus, in quibus Jesus. *ἀυτοθεὸς ipse Deus* dicitur, concludit: « ea sufficere ad repellendas omnes eorum calumnias, qui Historicum nostrum ariani dogmatis labe aspersum esse crediderunt. » Cujus proinde, eodem teste Valesio, memoria celebratur inter sanctos episcopos et confessores, et quidem in ecclesiis quoque occidentalibus. Hunc tamen virum, quem *admirabilem* dixit Hieronymus antequam irrumperet in Origenem, mutata de utroque sententia, s. Doctor ex priscis Patribus solus *arianorum principem* nuncupavit Eusebium.

Didymus, Scholae alexandrinae praefectus, ab omnibus honoratur ob eruditionem, animique ardorem in vera fide Nicaeae definita tuenda ac propaganda: quem divina providentia arianis, qui Alexandriae erant, opposuit: quem catholici singulari complectebantur benevolentia, a monachorum aegyptiorum coetu (in quibus a magno Antonio) celebratum, ac praesertim a s. Hieronymo, qui eum *prophetam videntem* dixit *et virum apostolicum*. Nihilominus iste solus Hieronymus postea, in hunc verso calamo, supposita Origenis haeresi infectum declaravit. (*)

Siricii Papae omnes mirati sunt fidem, sapientiam in mu-

(*) Vallarsius cum senserit in epistola Hieronymi ad Lucinium, mentionem fieri Didymi, nomine *sancti* illi inscripto, et licet in cunctis vulgatis codicibus legeretur, tamen abrasit, subdens s. Doctorem nusquam alibi hunc titulum Didymo adposuisse. Ego autem dico, nullimode abradendum esse, cum eousque Hieronymus ex communi Ecclesiae opinione Didymum vere *sanctum* venerabatur. Nisi quod deinde illusus, mutata sententia, sicuti in ceteros monachos ita in hunc invectus est.

nere pontificali explendo, pro catholica veritate zelum, in haereticos insectando sollertiam, quod praecipue ostendit in epistola II. scribens contra Jovinianum: « Et quidem, ait, multarum haeresum malignitatem ab apostolis nunc usque experti didicimus et probavimus; sed nunquam tales canes Ecclesiae mysterium latratibus fatigarunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes, doctrina perfidiae polluta, cujus sunt discipuli, verborum fructibus prodiderunt etc. » Et cum ideo episcopi hujus Pontificis, uti boni pastoris excubias, celebrarent diligentiam et sedulitatem adversus lupos dimicantis, Hieronymus solus illius increpat simplicitatem et illusionem, adeo ut nesciret, quae praesumpti haeretici origenistae Romae docebant prava dogmata; ac ideo hujus Papae prudentiae praefert mulieris fanaticae, et quidem illusae, zelum.

S. Joannes Chrysostomus, criminationibus in eum jactis dissipatis, a tota adprobatus Ecclesia ob illius sinceram fidem, pietatem eximiam et omnium virtutum culmen, eminet Origenis orthodoxi defensor, et monachorum nitriensium sanctitatis vindex. Hunc tantum Theophilus et ab isto Hieronymus illusus, fictitiae Origenis haereseos culparunt.

Joannes alter hierosolymitanus a Chrysostomo dicitur religiosissimus, a s. Paulino vir sanctus, ab Anastasio Papa sanctitatis splendor, cujus episcopatus totum irradiabat orbem. Et ob hoc s. Augustinus inquit, « se jungi in catholica unitate Ecclesiae Romanae, ubi Petrus sedit, et Anastasius sedet, vel Ecclesiae hierosolymitanae, ubi Jacobus sedit, et Joannes sedet. » Item Idatius in Chronico bis illum appellat sanctum. In antiquis Romanae et aliarum occidentis ecclesiarum Breviariis notatur festum s. Joannis. Et iste est, qui cum Chrysostomo asserens saepe se Origenem scire catholicum, a Hieronymo et Epiphanio solis imaginariae haereseos origenianae insimulatur. (*)

(*) Interim autem notetur quoad hanc quaestionem, Hieronymum in Libro adversus Joannem et s. Epiphanium in litteris ad eumdem scriptis inniti supra duo falsa supposita. Origenes enim nec scripsit, nec professus est errores suis insertos libris, vel sub ejus nomine

Evagrius monachus a s. Gregorio nazianzeno dicitur *filius suus*, *gloria patris*. Vir doctrina et sanctitate celeberrimus in vita et post mortem vocatur a s. Joanne Climaco; et a Gennadio humana et divina litteratura insignis. Unus Hieronymus hunc nuncupat haereticum, idest commentitiae Origenis haereseos patronum.

Palladius helenopolitanus inter beatos viros numeratur a Chrisostomo, qui pro Ecclesia Dei dimicarunt, plures ideo aerumnas passus. Hujus virtutes canit s. Isidorus Pelusiota; ac venerandum virum dicit Theodotus episcopus Trimithuntis. Innocentio Papae notus et acceptus summis laudibus cumulatur. Iste est, qui a s. Epiphanio et Hieronymo censetur inter praecipuos aereae Origenis sectae duces.

Ruffinum virum vere sanctum et pie doctum appellat s. Paulinus; ac universim in Ecclesia tunc piissimus et doctissimus dicebatur. Palladius, Augustinus, Cassianus et Gennadius inter ecclesiasticos Doctores colunt Nec istum post recessum suum ab Oriente in Italiam jam aetate provectum tanta aestimatione ac reverentia prosecuti fuissent Ursacius, Pinianus et monachorum coetus, nec antea Siricius per epistolas episcopis commendasset, si quodammodo de ejus fide

vulgatos; neque Joannes multominus defendebat praesumpta haeretica dogmata. Profitebatur ingenue fidem nicaenam idest doctrinam catholicam; ac una Origeni orthodoxo patrocinabatur juxta veterem de eo traditionem. Et ob hoc suo et synodi Hierosolymis adunatae nomine respondens epistolae synodicae Theoplili circa Origenis inscripta errata, obtestatus est se omnia damnare, quae discordarent ab ea fide in urbe nicaena definita; ac ideo nec se probare, nec ea dogmata unquam recipere, sed perpetuo anathematizare. Ac insuper adjecit, neminem in Palaestina reperiri, qui talia profiteretur. Gratis ergo Hieronymus et Epiphanius suspicati sunt, Joannem hujusmodi cum Origene impia adprobare dogmata: cui suspicioni non erat locus.

Item perperam s. Episcopus ab Hieronymo arguitur, quod veluti ex consequentia praesumptae haereseos, pelagiano quoque errori obsequeretur. Sanctus Augustinus in Libro *De gestis Pelagii* c. XXXV. ait « quatuordecim episcopos Palaestinae ( in quibus Joannem ) Pelagium a perversitate hujus haereseos alienum pronunciasse, eam tamen sine ulla dubitatione damnantes.

dubitasset. Solus tamen Hieronymus hunc simulatae Origenis haereseos arguit.

Isidorum inter monachos fide et morum integritate fulgentem repraesentant Joannes hierosolymitanus et Palladius. Ille sane est, qui dignus hospitum exceptor et religiosae vitae consectator vocatur ab Innocentio Papa. Hujus virtutes praeclaras Romam usque notas celebrat alter Isidorus Pelusiota. Hunc tamen Theophilus (una cum Hieronymo illuso) commentitiae factionis haereticae origenistarum consortem nuncupat.

Melania benedicta vocatur a s. Paulino : quae monachos ab Aegypto expulsos comitata est, eis subministrans ex propriis pecuniis; et cujus Romae speciatim colitur memoria inter sanctas mulieres. Ipsa ab uno Hieronymo ex etymologiae lusu dicitur *nigra,* quod monachis Nitriae ex praesumptione haereticis adhaeserit.

Monachi nitrienses iidem sunt, quos Posthumianus citatus in Dialogo I. Severi Sulpitii, Alexandriae tunc degens et sinodalium gestorum fidus testis, dicit *sub Christi confessione viventes*, noluisse anathemati subscribere Origenis, nec ejus librorum damnationi, non quod ipsi impiae doctrinae in quibusdam ejusdem tractatibus insertae, assentirentur; sed quod putarint (et quidem jure, veluti in Tomis praemissis studiose patefactum est) hujusmodi tractatus ab haereticis fuisse interpolatos, suaque dicta falsata.

Monachi nitrienses iidem sunt, quos ob fidem sinceram ac vitae probitatem, et divinarum Scripturarum peritiam spectatissimos agnovere Joannes hierosolymitanus, alter Chrysostomus, Polybius episcopus, Palladius episcopus ac universa Constantinopoleos ecclesia et cum his Innocentius Papa. Monachi nitrienses iidem sunt, quos eo usque orbis christianus mirabatur ob pietatem singularem et evangelicam perfectionem. Monachi nitrienses iidem sunt, quos Sozomenus in Libro VI. c. XX. et XXVII. celebrat orthodoxos, arianis infestos; et unde factum est quod populus aegyptius horum sectator ab Arii impietate evaserit immunis. Monachi nitrienses ii sunt, quos quibusdam ab hinc annis antea Hieronymus vocaverat *coelestium chorum.* Monachi nitrien-

ses iidem sunt, qui in prisco sanctorum Albo honorantur: et eorum plures in Menaeo graecorum cooptantur inter martyres.

Nihilominus ii monachi sunt, quos Theophilus mentitor (secum s. Hieronymum dolose trahens) ut haereticos damnavit, ab Aegypti monasteriis fugavit, eorumque famam per universum calumniose protrivit, quod imaginarios profiterentur Origenis errores.

Ac interim Theophilus, fugatis ab Aegypto monachis, triumphum ducens scribit ad s. Epiphanium et ait, Ecclesiam Christi egredientes a cavernis suis Origenis colubros evangelico ense truncasse. Ego vero ex adverso stans dico: Christi Ecclesia gladio suo non truncavit colubros, idest monachos Nitriae, vere pios, vero orthodoxos. Sed Ecclesia Christi gladio suo per Innocentium Papam merito truncavit e sinu suo Theophilum virum nequam, obtrectatorem, violentum, lupum dispersorem ovium, innoxiorum virorum persecutorem et Ecclesiae perturbatorem. Attamen cum totus orbis incipiens ab Innocentio clamaret contra Theophili improbitatem in sanctos monachos perpetratam, solus Hieronymus illusus laudavit Theophilum, et monachos vituperavit. (*)

Ceterum utique dixi s. Hieronymum a Theophilo fuisse illusum per suas epistolas synodalem et duas paschales artificiose elaboratas: ubi inserta erant Origeni adscripta prava dogmata, quaeque in libello (jam ab aetate Pamphili refutato) censita, oblata fuerant Praefecto augustali Aegypti, ut damnarentur Origenes et monachi ipsius defensores. In praefata namque epistola ad Pammachium et Oceanum, al-

(*) Interea de his monachis scire benevertit, illorum tres, qui factionis haereticae principes a Theophilo et Hieronymo putabantur, Constantinopoli mortuos in catholicorum sepulchro conditos esse, magnam post obitum sanctitatis famam consecutos. De reliquis in monasteriis Nitriae vexatis a Theophilo, haec leguntur in veteri editione Menaei graecorum sub die X. Junii. « Eadem die festum sanctorum plurimorum patrum, quos Theophilus Alexandriae episcopus igne et violenta morte propter Isidorum presbyterum enecavit. »

ler factus s. Doctor, dicit: « *Legi, inquam, legi Origenem: et si in legendo crimen est, fateor. Et marsupium nostrum evacuarunt chartae alexandrinae.* Unde factum est ut, cunctis credens Theophili dictis, quae ab hoc tempore ac postea scripsit cum de monachis nitriensibus, tum in illos, qui horum patrocinium susceperunt sicuti et ejusdem quoque Origenis secundum veterum Patrum testimonium pro eo praestitum, sibi contradiceret in sui ipsius dedecus et in totius Ecclesiae maxime occidentalis scandalum.

Chartae sane alexandrinae, ubi congestus erat cumulus impietatum, quas Origenes refutaverat in haereticis, egerunt ut illas Hieronymus eidem inscriberet; ac una repudiaret illius memoriam, quam antea tam honorifice celebravit.

Chartae alexandrinae impulerunt Hieronymum ut calamum acueret adversus Ruffinum, seque deinceps scriptis invicem acerrimis impeterent, cum antea mutua intima jungerentur amicitia.

Chartae alexandrinae animum ita permoverunt Hieronymi adversus Origenem, ut ad episcopos occidentales scriberet, instantissime rogans ut damnarent virum; erga quem eo usque ubique ecclesiarum praevalebat reverentia ob ejusdem eximiam pietatem et doctrinam.

Chartae alexandrinae ita Hieronymi animum turbarunt, ut mendacii argueret honorandos viros Isidorum monachum et Joannem hierosolimitanum, deque s. Chrysostomi fide dubitaret, ejusque vitae integritate.

Chartae alexandrinae concitarunt Hieronymum, ut vocaret Marcellam *principium damnationis haereticorum* Romae: haereticos vult, tantum in imaginatione sua, Ruffinum aliosque Origenis patronos. Marcellam dico, quae, Ruffini acceptis latinae *Periarchon* versionis exemplaribus, ubi furtive introducta fuerant impia dogmata, ea vulgavit in Auctoris et interpretis ignominiam. Attamen huic haereticorum damnationi nec Clerus romanus subscripsit: neque Siricius Papa illam confirmavit, nec deinde Anastasius.

Chartae alexandrinae effecerunt ut mulieris illusionem Hieronymus praeferret sapientiae et auctoritati Siricii; quem vocavit simplicem, illusuque facilem, eo quod non com-

prehenderit haeresim in urbe purum fidei fontem corrumpentem: quam tamen dicit sensisse Marcellam foeminam.

Chartae alexandrinae ita occuparunt Hieronymi mentem ut in omnibus deciperetur, quae scripsit de Origene in Libris adversus Ruffinum, in epistola ad Pammachium et Oceanum, in Libro contra Joannem hierosolymitanum, in epistola ad Principiam, et in altera ad Avitum, ubi praesertim notantur Origenis errores: quos tamen ex discipulis suis nemo ab ejus ore audivit; neque in genuinis ejusdem libris nemo unquam legerat veterum Ecclesiae Patrum.

Chartae alexandrinae ita in animo Hieronymi praevaluerunt, ut non solum refutaret, quae antea ex sua confessione de Origene adprobavit, sed etiam ut nunquam successive, mutata opinione, sibi constaret. Quare Huetius in Libro II. *Origenianorum* c. IV. Sectione I. n. 17. scribit: « Optabile tamen foret, ut sanctissimus ille Doctor constantior animi fuisset et moderatior; neque tam facile imaginationis suae fervori fuisset morigeratus, ut in contraria pro rerum et temporum ratione trahi se et jactari scivisset, nonnunquam etiam maximos viros amarissimis conviciis perfudisset. Fatendum quippe est jure eum saepe a Ruffino fuisse reprehensum: saepe etiam Ruffinum ab eodem sine causa fuisse culpatum. »

Chartae alexandrinae tanta efficacia Hieronymi mentem occuparunt ut, quamvis Methodius sententiam suam contra Adamantium conceptam emendarit; atque licet Epiphanius, postquam a Chrysostomo, a Theotimo, Ammonio et ab aliis reprehensus fuit ob opinionem suam Origeni et monachis hostilem, valde dubitavit an revera ipsi haeretici forent, ita ut cessaret a conflictu; et quamvis ipse Theophilus illius promotor, in judicium vocatus ob ea, quae adversus monachos praesumptos haereticos inique machinatus erat, confusus resipuit ille et monachi nonnulli ab eo seducti, ipse tamen Hieronymus solus perstitit in suo judicio, perpetuo clamans contra Origenem ceterosque ejusdem patronos.

Chartae demum alexandrinae, quarum sensum profudit Hieronymus in pluribus suis epistolis, tanta illusione posteros affecerunt in Occidentis ecclesiis, ut fere cuncti (praeser-

im post Synodum V.) quamvis sanctitate et doctrina praestantes, ab ejusdem obtestationibus superati, anathema ipsi quoque clamarunt in Origenem, in monachos nitrienses, ac n ceteros illius aetatis fideles et religiosos viros.

Certum de reliquo est Hieronymum, simul ac accepit Chartas alexandrinas et alter factus ab eo, quod antea puavit de Origene, praecipitem se dedisse in hujusmodi dunetum: a quo non evasit, nisi ut cunctis mentiretur, quae prius tum de Origene bene scripsit, cum de cunctis scriptoribus et de Patribus, quorum antea meminit in Libro *De viris illustribus*. In hoc enim ab Apostolis exorsus, genuinum totius Ecclesiae sensum expressit, encomium illorum texens ob vitae et doctrinae sanctitatem. Deinde vero laudibus in vituperium mutatis, is solus ex hujus aetatis scriptoribus numeratur, qui talia adversus eos scriberet, quos putavit Origenis praesumpti haeretici causae favere.

Utique dixi Chartas alexandrinas ita Hieronymi mentem turbasse, ut cuncta emendaret, quae antea pro Origene scripsit: quin tamen sentiret se sub tanto duce et magistro in omnibus passum esse illusionem. Unde factum est, ut perpetuo Theophili dolo cedens, quae vera, quae genuina in *Periarchon* libris legebantur, abjecerit, ac falsatis spuriisque dictis operam dederit, ea vulgo tradens uti sincerum Auctoris sensum in ejusdem condemnationem. Et haec in secundo Tomo studiose tractata sunt.

Nunc vero ut magis innotescat, quod in prima Periodo notavimus de concordia libellorum, ab aetate Pamphili editorum adversus Origenem, cum illis, quos Theophilus legit in Synodo alexandrina ut damnaretur una cum suis patronis; et nequis amplius de hoc adserto dubitet, nec obstet, cur Pamphilus non expressit singillatim falsata *Periarchon* dicta in libellis exposita: tamen sciat ex iis per summa capita recitatis, satisfieri, ut decernatur eadem esse, quae Theophilus aliique postea vulgarunt. Is enim in fine capitis V. postquam ex genuinis *Periarchon* codicibus plura hausit testimonia pro catholica Origenis doctrina circa divinae Trinitatis Mysterium, sequitur enumerans alia, de quibus a malevolis et imperitis accusatus est.

« Prima illa est, inquit, quod ajunt eum dicere innatum Filium Dei.

Secunda, quod dicunt per prolationem, secundum Valentini fabulas, in subsistentiam venisse Filium Dei dicere.

Tertia, quae his omnibus valde contraria est, quod dicunt eum, secundum Arteman vel Paulum samosatenum purum hominem, idest non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.

Quarta, ista est, quae istis omnibus adversatur (coeca etenim est malitia) quod dicunt eum dicere putative tantum et per allegoriam, non etiam secundum ea, quae per historiam referuntur, gesta esse omnia, quae a Salvatore gesta sunt.

Quinta, alia quoque criminatio est, qua asserunt eum duos Christos praedicare.

Sexta, addunt illud quoque, quod historias corporales, quae per omnem sanctam Scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus denegel.

Septima, sed et de resurrectione mortuorum, et de impiorum poenis non levi impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia.

Octava, quidam vero disputationes ejus, vel opiniones, quas de animae statu vel dispensatione disseruit, culpant.

Nona, ultima vero omnium est criminatio illa, quae cum omni infamatione dispergitur μετενσωματώσεως, scilicet quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutari post mortem; et quod etiam ipsae mutorum animalium animae rationabiles sint. Quam criminationem idcirco novissimam posuimus, ut plura de libris ejus coacervantes exempla, evidentius ejus falsitas nosceretur. »

Et haec sunt, potissimum ex *Periarchon* eruta, accusationis capita, ac in libellis famosis descripta adversus Origenem. Quaè quidem si illis conferantur, a Theophilo et Hieronymo sparsim in suis epistolis notatis, unum et eumdem repetunt auctorem, ejusque perfidiam revelant. Ac proinde, sicuti nemo praeter Pamphilum graecum et codicum graecorum origenianorum et doctrinae judicem peritum su-

pra ceteros, qui ei subsecuti sunt, fidelis inveniri potest refutator ejusmodi criminationum ex pravatis Origenis sensibus deductarum: ita vanus labor ostenditur eorum, qui inde postea errasse illum adstruere nituntur. Ex. g. Pamphili responsio ad primam accusationem sic breviter concipitur: « *Quod ex Deo Patre natus est Filius, et unius est cum Patre substantiae, alienus vero a substantiis creaturarum.* Argumenta vero a Pamphilo praeclarissima adversus calumniatorem allata, non solum ex aliis Origenis libris, sed ex eodem *Periarchon* repetuntur in illius apologiam, ita ut irritum fiat adversariorum studium. Et sic in ceteris constat idem errorum suppositorum genus, sicuti Pamphili responsum ex ipsius scriptis redactum. Nisi quod s. Martyr, utpote certior et certissimus, invidos et malevolos has compegisse accusationes adversus Origenem catholicum ex falsatis ipsius testimoniis, cum nullam impietatem aut haeresim unquam professus esset, libellorum auctoribus, nullis sibi obstantibus dubiis, ignorantiam alacriter exprobravit et perfidiam.

Hinc autem comprehenditur et exploditur falsitas assertionis Hieronymi in Libro II. adversus Ruffinum; ubi Dialogum citans Origenis cum Candido valentiniano, scribit: « Dicit Candidus Filium de Patris esse substantia, errans in eo, quod προβολὴν *prolationem* asserit. E regione Origenes juxta Arium et Eunomium repugnat, eum vel prolatum esse, vel natum, ne Deus Pater dividatur in partes: sed dicit sublimem et excellentissimam creaturam voluntate Patris extitisse, sicuti et ceteras creaturas. » Quae sane eadem est ac criminatio a Pamphilo obsignata n. 3.

Nos vero ex cunctis animadversionibus supra genuinos Origenis libros expletis, hanc ostendimus eum refutasse blasphemiam. Quibus praefecimus ipsius Pamphili testimonium in c. V. Apologetici, contra hanc criminationem statuentis Auctorem fideliter docuisse, (veluti praemisimus) Filium Dei, de ipsa Patris substantia natum, ei esse consubstantialem, nec esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura Filium verum ex ipso Patre genitum. « Unigenitus ergo (ait in Joannem Libro II.) Deus Salvator noster solus a Patre

generatus, natura et non adoptione Filius est. Natus est autem ex ipsa Patris mente, sicuti voluntas ex mente. Non enim divisibilis est divina natura idest ingeniti Patris, ut putemus vel divisione seu imminutione substantiae ejus filium esse progenitum etc. » Ac ita disserit probe distinguens, ut ajunt Theologi, opus Dei *ab intra* ab opere externo: persona scilicet Filii distincta a Patre, substantia vero una et eadem utriusque manente, ne Deus divideretur in partes. Quare concluditur Hieronymum et cum eo Theophilum non ex genuinis Auctoris dictis hunc haereticum et impium condemnasse, sed ex eisdem libellis jam a Pamphilo amplissime refutatis.

Interea, prae ceteris criminationum capitibus, quae ab ipso Pamphilo rite meritoque expugnantur, nostra satis interest, postremum excutere caput de *metempsychoseos* errore eidem Origeni inscripto, ut tandem aliquando constet (adversus nostrae aetatis quorumdam pervicaciam) graecum *Periarchon* codicem, quem prae manibus habuit Hieronymus, aliter quam genuinum reputandum esse, sed undique falsatum et erroribus intersertum eisdem, quos s. Martyr recensens, jure refutarat: ac proinde genuinum retinendum graecum exemplar, quo usus est Pamphilus, ac latine vertit Ruffinus; et ut ab hoc uno idem inferatur de reliquis erroribus Origeni ab ipso Hieronymo inscriptis.

Et re quidem vera, postquam in cc. VII. et VIII. Libri I. Praefationi fideliter inhaerens, diserte de naturis incorporeis et corporeis, de angelis et hominibus disputavit, hos boni et mali capaces a Deo creatos statuens, et hinc ex arbitratu suo ad unum vel ad aliud converti posse: in fine c. VIII. varios gradus in anima humana designat vel malitiae vel sanctitatis, adeo ut animae quaedam ob progressum in nequitiam daemonibus et aliae ob pietatem angelis coelestibus assimilentur. Attamen hinc veritus, nonnullos contra mentem suam hanc fuisse expositeros discussionem, subdit: « Illa sane nos nequaquam recipienda censemus, quae et a quibusdam superfluo vel requiri, vel astrui solent: idest quod animae in tantum sui decessus veniant, ut naturae rationabilis ac dignitatis oblitae, etiam in ordinem irrationabilium

animantium, vel bestiarum, vel pecudum devolvantur; sed et quod Balaam asina, os ejus Deo aperiente, locuta est, et subjugale mutum in hominum voce respondens, arguit prophetae dementiam. Quas nos non solum non suscipimus; sed et omnes has assertiones eorum contra fidem nostram convenientes, refutamus atque respuimus. Verumtamen suo loco et tempore confutato hoc perverso dogmate et depulso, ea quae de sanctis Scripturis ab illis prolata sunt, qualiter intelligi debeant, exponemus. »

Hieronymus autem a Theophili scriptis illusus, hinc inde ex cc. VI. VII. VIII. Origenis dicta congerens ac interpretatus, totum confudit discussionis ordinem; et sensum orthodoxum in pravum detorsit, sicuti patet ex eadem epistola ad Avitum n. 4. « Ac nequis putet, ait, nostrum esse quod dicimus, ipsius verba ponamus. In fine atque consummatione mundi, quando velut de quibusdam repagulis atque carceribus missae fuerint a Domino animae; et rationabiles creaturas, alias earum tardius incedere ob segnitiem, alias pernici volare cursu propter industriam. Cumque omnes liberum habeant arbitrium, et sponte sua vel virtutes possint capere vel vitia, illae multo in pejori conditione erunt, quam nunc sunt. Hae ad meliorem statum pervenient: quia diversi motus et variae voluntates in utramque partem diversum accipient statum; idest ut angeli homines, vel daemones, et rursus ex his homines vel angeli fiant. Quumque vario sermone omnia tractasset, asserens diabolum non incapacem esse virtutis, et tamen necdum velle capere virtutem; ad extremum sermone latissimo disputavit, angelum, sive animam, aut certe daemonem, quos unius asserit esse naturae, sed diversarum voluntatum, pro magnitudine negligentiae et stultitiae jumentum posse fieri, et pro dolore poenarum et ignis ardore, magis eligere ut brutum animal sit, et in aquis habitet et fluctibus, ac corpus assumere hujus vel illius pecoris, ut nobis non solum quadrupedum sed et piscium corpora sint timenda. Et ad extremum ne teneretur pythagorici dogmatis reus, qui asserit *metempsychosim*, post tam nefandam disputationem, qua lectoris animum vulneravit, haec, inquit, juxta nostram sententiam, non

sint dogmata, sed quaesita tantum atque projecta, ne penitus intractata viderentur. »

Haec omnia jam expendimus in Tomo II. c. II. ubi adversus Hieronymi illusionem fieri nunquam potuisse ostendimus ut talia doceret Origenes, cum ab initio pro basi suae fidei et discussionis statuisset secundum manifestissimam Ecclesiae praedicationem : « *Animam substantiam habens et vitam propriam, cum ex hoc mundo discesserit, pro suis meritis dispensabitur sive vitae aeternae vel beatitudinis haereditate potitura, si hoc ei sua gesta praestiterint; sive igni aeterno ac suppliciis mancipanda etc.* Et sic de angelis lapsis jugiter poenitentiae incapacibus scribit. In quibus verbis plane excluditur dogma *metempsychoseos* quoad animae humanae conditionem post obitum. Et hinc, si Hieronymi versio admittenda foret, secum ipso pugnans diceretur Origenes, mentitus in fine Libri I. *Periarchon*, quod a principio firmavit pro fidei suae tessera.

Praeterea non solum in citato loco ab Origene excluditur hic error, ast in aliis quoque libris, de quorum integritate non dubitatur; ac maxime ubi hanc opinionem refutans, excutit quoque nonnullas Bibliorum dictiones, ex quibus simplices sibi illusi videbantur. In Libro XIII. Commentarii *in Matthaeum* ex c. X. Apolegetici Pamphili ait: « In his Elias, non anima, mihi videtur significari, ne forte in alienam ab Ecclesia Dei de migratione animarum e corpore in corpus sententiam, neque ab Apostolis traditam, neque uspiam in Scripturis prolatam, incidam etc. »

Item ex Libro XI. ejusdem Commentarii, scribit: « Existimant igitur alii ecclesiasticae doctrinae ignari, transire animas ab humanis corporibus in corpora canina pro varia malitia. Nos vero in divina Scriptura id minime reperientes, dicimus, quia per multam vitae negligentiam, humana prudentia, cum fuerit inculta atque neglecta, efficitur velut irrationabile pecus per negligentiam vel incuriam non per naturam. Similiter autem et qui tales fuerint effecti ex propositi sui negligentia, qua erudiri neglexerint, si eruditioni se et exercitio rationabili dediderint, rationabiles efficiuntur atque prudentes : sicut scriptum est de evangelicis canibus,

qui manducabant de micis cadentibus de mensa dominorum suorum; ex quibus conversa Chananea facta est Dei filia, secundum quod dicit ad eam Salvator: *O filia, magna est fides tua.* Sicut enim virtus animi confert unicuique ut sit filius Dei; ita malitia mentis, et verborum insania et impudentia facit unumquemque secundum Scripturae auctoritatem appellari canem. Similiter autem intelligendum est de ceterorum animalium mutorum appellationibus. »

Pariter ex Commentario *in Proverbia* Salomonis talia collegit Pamphilus de eadem quaestione: « Videtur autem mihi et illa assertio, quae transformari animas de corporibus in alia corpora asseverat, pervenisse etiam in aliquos eorum, qui Christo credere videntur ex quibusdam Scripturae sanctae occasionibus, non intelligentes, quomodo intelligi debeant, quae scripta sunt. Non enim advertunt, quomodo homo efficiatur aut pullus aut equus: et putaverunt transmutari animam humanam in pecudum corpora, ut aestimarent, quod aliquando serpentis suscipit corpus, vel, viperae, aliquando equi, vel reliquorum animalium. Jam ergo consequens est, et hoc illos dicere debere, quod diabolus, qui leo in Scripturis dicitur, corpore leonis utatur, aut draconis carnibus, cum draco nominatur. Ita erit ut secundum illos transmutatio ita animarum perveniat et in daemonum naturam, ut sit aliquando vel leo, vel draco, animam habens diabolus . . . . Sed superfluae sunt istae omnes adinventiones. Manifestum est enim, quod una poena tam daemonum naturae, quam humano generi, peccatorum a Domino praefinita sit etc. »

Et quid his testimoniis manifestius contra Hieronymi praesumptionem de Origenis errore circa *metempsychosim*? Sino loqui de eo, quod scribit in Libro IV. n. 17. contra Celsum, Platoni exprobrans animae transmigrationem de corpore in corpus; et amplius in Libro III. n. 75. ubi de illis conqueritur philosophis, quod, cum Deus animarum curet conversionem et salutem, illos ait insana illa animarum in varia corpora transmigrationis opinione esse infatuatos. » Attamen juxta Hieronymum suosque ad hanc aetatem asseclas, Origenes Christi negligens doctrinam, hac, quam in aliis corripuit, laboravit fatuitate. Et ita sane hoc erit?

Ast non solum ex praefatis luculentisque discussionibus orthodoxus eruitur Auctoris sensus, sed et amplius perbelle explanantur quaedam, in *Periarchon* locis citatis, ejusdem obscurae locutiones, unde offensus est ipse s. Doctor. Et primum ex. g. ubi in epistola ad Avitum n. 3. dicit « Cum venisset ad rationales creaturas, et dixisset per negligentiam ad terrena corpora esse delapsas, etiam hoc addidit: *Grandis negligentiae atque desidiae est in tantum unumquemque defluere, atque evacuare, ut ad vitia veniens, irrationabilium jumentorum possit crasso corpori colligari.* » Deinde paulo post ait, *angelum, vel animam aut daemonem pro magnitudine negligentiae et stultitiae posse jumentum fieri.* Et ita disserentem Origenem inducit Hieronymus.

Haec autem non solum nunquam admisit; sed et stolidas appellavit gentilium opiniones tum in hoc *Periarchon* Libro cum in praefatis commentariis. In quibus sapienter notavit, quomodo intelligendae sint quaedam Scripturae locutiones: ubi homines stulti et pravi animantia irrationalia dicuntur, ita tamen ut tales ob imperitiam vocentur non per naturam. Quod idem indicavit cum ait hominem pravum ex propria voluntate in tantam proficere malitiam (c. V.) ut ea efficiatur, quae dicitur contraria virtus, et sane eo sensu explanandum ac in citato Commentario *Proverbiorum.* Ibi enim eos reprehendit nescientes, quomodo in Scripturis intelligatur homo, mulus et equus effectus: cum secus inde stulte et perperam inferrent quoque animae transmutationem in naturam daemonum ita ut talis reapse fieret. Ex. g. in Evangelio Joannis legitur: *Unus ex vobis diabolus est.* Et alibi: *Vos ex patre diabolo estis* etc.

Similiter ex citatis *in Matthaeum* discussionibus, postquam docuit Origenes, quare homo efficiatur pecus, subdit eumdem hominem per profectum in virtutes, fieri posse filium Dei. Quae verba eodem tenore sumenda sunt ac in superiori: idest non per naturam Dei filium, sed per assimilationem, ut hinc intelligatur cur in *Periarchon* dixerit, animas hominum per profectum in virtutes, assumi in ordinem angelorum, Dei filiis effectis, filiis lucis, filiis pacis, Domino junctis, spiritualibus etc. ut ait Apostolus; et sicuti in

ceteris Scripturis nuncupantur justi, et uti a Patribus secundum Origenis sensum dicuntur; proindeque aliter quam supposuit Hieronymus; quasi justi et impii ob profectum in pietate vel in impietate in angelos vertantur, aut in daemones, quod est absurdum. Et hoc satis est, ut dicatur illusus Hieronymus ex pravatis Periarchon libris; neque unquam Ruffinus sensum graeci codicis pervertisse, ut ipse testatur, nec verba suppressisse. Sed cuncta in suo ordine servavit, fideliter ad litteram traductis, quae in graeco legerat: et praesertim ubi haeretici personam apprime distinguit ab Origene catholico illum refutante, ac haeretici objectionem secernit ab alterius responsione. Et hinc non Origenes cuncta permiscuit, neque Ruffinus emendavit, ut vult Hieronymus; sed libelli famosi Auctor, quo usus est s. Doctor, patentissime haereticorum dicta transfudit in Origenis mentem, quasi eadem iste prava et stulta sentiret.

Verumtamen non est id', quod tantum hic quaerimus; ast in illud maxime contendimus, ut cunctis innotescat, quae Hieronymus scripsit in hac epistola ad Avitum, portionem esse libellorum famosorum, de quibus loquitur Pamphilus in nona criminatione. Posteaquam enim iste in fine c. V. errores notavit Origeni inscriptos et ex *Periarchon* erutos de animabus humanis transmutandis post obitum in muta animalia vel serpentes, seu pecudes etc. in fine c. IX. ita criminatori respondet:

« Novissima criminatio est transmutationis animarum. Ad quam sicuti in ceteris fecimus, ipsius, qui accusatur, respondebimus verbis; illud primo commonentes necessario, quia accusatores ejus non intelligentes, qualiter ab eo de ista quaestione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, ut non semper sola velut ex persona pronuntiari videantur, quae dicuntur, sed interdum etiam ea, quae e contrario dici poterant, disputentur, et hanc esse artem disputandi non advertentes, objiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea, quae de adversantis persona disseruit.

« Denique quod discutiendi haec et non confirmandi dixerit causa, ipse per ea quae post tractatum rei ipsius ad-

jecit, ostendit hoc modo dicens (Origenes): *Sed haec, quantum ad nos pertinet, non sint dogmata; sed discussionis gratia dicta sint et abjiciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur quaestio mota non esse discussa.* Sed haec in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat, non de transmutatione animarum. De animarum vero etc. »

Cum itaque non sit dubitandum quin Pamphilus tam in c. V. quam in c. IX. Apologetici, de ultimis capitibus Libri I. *Periarchon* disserat, ubi de naturis corporeis et incorporeis agitur, ac de varia earum conditione : ita si haec conferantur praefatis Hieronymi dictis in epistola ad Avitum, arcta inspecta analogia quoad sensum criminationis, concludendum est Hieronymum non ex genuino *Periarchon* codice, quo usus est Ruffinus, ea transtulisse, sed ex libellis, quibuscum a Pamphili aetate adversarii obtrectarunt Origeni, corruptis nempe ac falsatis illius sinceris et orthodoxis sensibus. Libellos dico a Theophilo graece transcriptos, ac deinde transmissos ad Hieronymum per epistolas: quas accipiens iste et latine vertens, per orbem vulgavit in viri probi condemnationem.

Haec porro analogia criminationis sicuti falsatio textus originalis firmantur amplius ex iis, quae s. Doctor, postquam Auctoris reprehendit errorem de *metempsychosi*, subjecit: « Et ad extremum (Libri I. Periarchon) ne teneretur Origenes pythagorici dogmatis reus, qui asserit *metempsichosin*, post tam nefandam disputationem, qua lectoris animum vulneravit, *haec,* inquit, *juxta nostram sententiam, non sint dogmata, sed quaesita tantum atque projecta, ne penitus intractata viderentur.* » Quae verba etsi genuina notaverat Pamphilus ex dictis libellis, asserit tamen extra locum posita et furtim hïc intrusa, neque pertinere ad quaestionem de animarum transmigratione, seu ad c. VIII. Libri I. *De naturis rationabilibus;* sed revera ad c. VIII. Libri II. de anima hominum et jumentorum in genere. Ubi, quibusdam propositis ac discussis subtiliter de mentis humanae conversione in animam, n. 4. addidit: « Verumtamen quod diximus, mentem in animam verti, vel siqua alia in hoc videntur aspicere, discutiat apud se, qui legit diligentius, et pertra-

ctet: a nobis tamen non putentur velut dogmata esse probata, sed tractandi more et requirendi esse discussa. » Ac paulo post n. 5. « Haec dicit, prout potuimus de rationabili anima discutienda magis a legentibus, quam statuta ac definita, protulimus. »

Quamobrem quando Hieronymus ad Avitum ait se posuisse ipsius Origenis verba, et quidem nuper citata, circa animae transmigrationem in aliena corpora, fallitur. Non enim talia scripsit Origenes de hac opinione, sed ob aliam quaestionem plane ab illa diversam. Ac proinde constat, quod quaerimus, Hieronymum nequaquam ex genuino *Periarchon* codice ea transcripsisse verba; verum a libellorum exemplaribus ei traditis a Theophilo. Quae iste in haereditatem acceperat ab ipsis calumniatoribus per Pamphilum refutatis: et ubi orthodoxa Origenis dicta in perversum sensum detorta erant. Nec enim aliter putandum est, eo magis quod non semel, nec bis, nec ter, ast multoties in variis tractatibus *metempsychoseos* commentum refutarit, ac una eosdem hujus erroris patronos marcionitas, basilidianos, valentinianos, quos ad amussim expugnare ubique studuit; et adversus quos hoc *Periarchon* eximium conflavit Opus, ab antecessore suo Clemente ideo excogitatum, nec tamen editum. Conferatur Tomi II. Prologus.

Siquis demum ex tam praeclaris testimoniis nobis assentiri noluerit, audiat quae in Epistolam *ad Romanos* Libro V. n. 1. ex Apostolo, *sed ubi venit mandatum, peccatum revixit,* ait: « At Basilides haec non advertens de lege naturali debere intelligi, ad ineptas et impias fabulas sermonem apostolicum traxit; et in *metensomatoseos* dogma, idest quod animae in alia atque alia corpora transfundantur, ex hoc Apostoli dicto conatur adstruere. Dixit enim, inquit, Apostolus, quia ego vivebam sine lege aliquando. Hoc est antequam in istud corpus venirem, in ea specie corporis vixi, quae sub lege non esset, pecudis scilicet, vel avis. Sed non respexit ad id, quod sequitur: idest *sed ubi venit mandatum*, *peccatum revixit.* Non enim dixit se venisse ad mandatum: sed ad se venisse mandatum: et peccatum non dixit non fuisse in se, sed mortuum fuisse et revixisse. In quo utique osten-

dit, quod de una eademque vita sua utrumque loqueretur. Verum Basilides et, siqui cum eo, hoc sentiunt, in sua impietate relinquantur. Nos autem Apostoli sensum secundum pietatem ecclesiastici dogmatis advertamus etc. »

Quae verba, cum tanto fulgore coruscant, siqui adhuc adversus Origenem coecutiunt, in sua coecitate relinquantur. Nos autem ad splendorem illius doctrinae pergamus, primo et supra ceteros inhaerentes auctoritati illius, qui pro Christo captivus patrocinium inivit Origenis, eisdem calumniosis refutatis libellis, quos postea Theophilus et cum eo Hieronymus denuo vulgarunt: nec tamen reputandi nec vulgandi erant, cum s. Martyr praeclare asseruerit a malevolis, et imperitis conflctos fuisse ex pravatis genuinis Auctoris codicibus. Ab imperitis illis ait confictos, qui non satis studium habuere, ut altitudinem illius sensus assequerentur, et a malevolis in Auctoris odium aut suae orthodoxae doctrinae editos. Unde factum est, ut quod Origenes pie aggressus est *Periarchon* Opus in haeresum confutationem, converteretur in impiorum dogmatum figmentum.

Alioquin quis cogitare poterit, s. Martyrem coram Deo et hominibus mentiri voluisse, asseverantem Origenem nunquam talia nefanda dogmata professum esse; nec, speciatim in *Periarchon* libris, tales reperiri insanissimas graecorum fabulas de transmigratione animarum? Aut ex adverso quis putet, Pamphilum ignorasse praecipua fidei christianae mysteria, ut impia dogmata confunderet cum piis: et hinc probaret quae reprobanda erant, aut vicissim?

Postea nec alterum accusationis genus hic omittere puto; in quo corripitur Origenes, quod omnem Scripturam in allegoriam verterit, abjecto sensu litterali. Et sane primo Methodius, deinde Eustathius antiochenus et Epiphanius, qui a Methodio hanc criminationem haereditarunt, eamdem prorsus repraesentant, quam s. Pamphilus antea retulit ex vulgatis libellis, et in n. 4. et 6. nuper notatam.

Cum vero luculenter sit haec prius ab Origene in Libro IV. *Periarchon,* dein ab eodem Martyre refutata, non est necesse amborum proferre argumenta: sunt enim unicuique obvia. Tantummodo velim ne ulterius recentiores illu-

dantur cum praefatis scriptoribus, nec cum s. Basilio, qui eamdem cum illis passus est illusionem. Si enim (exceptis nonnullis Bibliorum locis obscuris, quae Auctor putavit in sensu litterali intellectu satis difficillima, proindeque, littera exclusa, allegorice aliquando explanare studuit) in aliis reprehendendus foret Scripturarum commentariis, ubi universim admisso et exposito sensu litterali, deinde conversus est pro auditorum aedificatione ad allegoriam, tunc non solum ipse increpandus esset, sed et cuncti Ecclesiae Patres graeci et latini, in quibus ipse Basilius, Augustinus et praecipue Gregorius Magnus. Sed quid dico Patres reprehensione dignos fore? Verum eumdem Apostolum; qui hinc inde in suis epistolis pro opportunitate hoc allegoricae interpretationis genus protulit. (*)

Quapropter desinant ab ejusmodi reprehensione, eoque magis haud ignorantes, haereticos et maledicos eidem exprobrasse hunc praesumptum errorem: quorum primus fuit Porphyrius. Is enim christianae Religionis mysteriis insultans, de hoc arguit ejus discipulos, in quibus peculiariter Origenem; uti videre est in Eusebii Hist. Eccl. Libro VI. c. XIII. « Nam dum ea (ait Philosophus) quae plane et aperte a Moyse dicta sunt, inani venditatione aenigmata esse jactitant, et velut divina oracula plena arcanorum mysteriorum summa veneratione celebrant, insolenti quadam arrogantia et fastidio elati, animi sui judicium perstringunt: et leves vanasque interpretationes introducunt. *Deinde paulo post subnectit.* Hujus inscitiae et stultae opinionis exemplum ab Origene sumatur, viro etc. » De ceteris conferantur discussa in Tomo II. c. XXV.

His positis, sicuti cervix tantummodo judaica obsistere potest evidenti declarationi, unde colligitur, quae Theophi-

(*) Huc referenda est temeraria ac iniquissima insimulatio adversus Origenem instituta: ubi dicitur ipse in Geneseos vocabulis *tunicis pelliceis* interpretatus esse Adami et Evae carnem et ossa, quibus Deus induisset eos: quasi antea, priusquam peccarent, sine corpore fuissent. Quam interpretationem falsam et stolidam idem appellat Origenes. Vide Tomum II. c. XXXII.

lus in Synodo alexandrina exposuit Origenis errata, eadem esse quae distincte numeravit s. Martyr; ita pariter cervix judaica tantum asserere poterit, eumdem mentitum esse, quando coram Ecclesia obtestatur in genuinis Origenis codicibus, et praesertim in *Periarchon*, non legi penitus eidem adscriptos errores; ac ideo iniquissime argui pium virum.

Insuper, si diligenter considerentur, qui in Theophili et Hieronymi epistolis hinc inde notantur Origenis errores, ne unum quidem dictum secundum illius conceptum reperitur expressum ab illis. Quaedam enim sub dubitationis specie exposita ab Origene vel interrogationis, pro affirmativis sumuntur. Item alia conditionate vel relative dictata, pro absolutis accipiuntur. Quandoque sensus allegoricus ab illis vertitur in proprium. Plerumque obtruncatur orationis nexus. Alibi refutata ab Origene haeretica dogmata eidem inscribuntur. Ac saepissime talis intruditur sensus, ut nec praecedentibus concordet nec sequentibus; nec multo minus praecipŭo accommodetur argumento, quod expendendum suscepit. Ac universim omnia programmati adversantur de iis, quae secundum apostolicam traditionem a fidelibus credenda erant. In quibus maxime notatur discussio dogmatis de resurrectione et de poenis daemonum et reproborum in vita futura nunquam desinendis. Ubi ab utroque aliter et contra sensum ejusdem Origenis, Gregorii nisseni ac veterum Patrum, exposita sunt duo vocabula *palingenesïa* et *apocatastasis regeneratio* et *restitutio* naturae humanae corruptae ad pristinum statum, in quo a Deo creata est in Adamo, et quidem explenda non post sed ante judicii postremi diem. In qua quaestione nedum erravit Origenes, sed Apostoli in Epistola I. *ad Corinthios*, ita praeclare interpretatus est sensum, ut, quisquis Origenem damnat, Apostolum quoque damnationi subjiciat necesse sit. (*)

(*) Ab hac interim Hieronymi illusione circa *palingenesïae* vocabulum intelligitur, quomodo in Libro II. adversus Ruffinum, citans Dialogum Origenis cum Candido valentiniano (ubi praeclare notavit dogma de daemonis natura salvationis incapace) subdat tamen Doctor, Auctorem in aliis libris docere diaboli naturam esse salvan-

Porro falsati *Periarchon* codicis, quem prae manibus habuit s. Hieronymus, latine vertit, ac Ruffino ut genuinum objecit, et quem Auctor libri, *Praedestinatus* titulo, legit, nullum hucusque exemplar invenire potuimus, nisi Codicem VIII. Bibliothecae Photii inscriptum *Origenis Periarchon*: cujus tamen summarium solummodo tradit: « Lecti sunt, inquit, Origenis *Periarchon* libri quatuor. Horum primus de Patre et Filio et Spiritu Sancto agit. Quo in Libro plurima blasphema scribit, ut Filium a Patre factum, Spiritum a Filio: et Patrem quidem per omnia, quae existunt, pervadere; Filium vero pervadere rationabilia tantum, Spiritum vero Sanctum ea tantum, quae salva facta sunt. Tradit et alia nimium absurda et impietatis plena, animarum migrationes et animata sidera, pleraque id genus nugatus. In primo etc. »

Et hic est falsatus *Periarchon* codex, quem in Oriente Photius comperit, et cujus istud summarium descripsit: ubi vestigia luculenta apparent illius libelli, quem a Theophilo acceptum Hieronymus latine vertit, ac alteri opposuit genuino graeco exemplari Bibliothecae Caesareae lecto et transcripto a Pamphilo, et a Ruffino fideliter translato. Et ille est codex spurius, ubi iidem notantur Origeni adscripti errores, quos vulgatos legit refutavitque s. Martyr in Apologetico: et quos postea zizaniorum sator circa aetatem Concilii V. e pulvere excitavit in Palaestinae monasteriis, ut denuo innovarentur jam sopita scandala.

Ac revera ab uno eodemque perfidiae fonte emanasse vulgatos praesumptos Origenes errores, supra quos extructum fuit nefandum hujus viri monumentum (quod hucus-

dam; ac propemodum omnes illius tomos his plenos esse erroribus. Quod falsissimum esse in Tomo I. ostendimus, usi praesertim ipsius Origenis obtestationibus adversus hanc calumniam ei inflictam, erutis ex Epistola sua ad Amicos alexandrinos, ubi scribit: « *Maledici mihi adscribunt blasphemiae crimen, quod a nobis nunquam audierunt . . . asserentes, me patrem malitiae ac perditionis eorum, qui de regno Dei ejicientur, idest diabolum, dicere esse salvandum. Quod ne aliquis quidem mente motus et manifeste insaniens dicere potest.* »

que perdurat) probatur quoque ab incusationum ordine. In Codice Photii legitur plurimas blasphemias contineri in *Periarchon* libris. Item inquiunt Theophilus et Hieronymus in his libris plurima legi blasphema et detestanda. Similiter Pamphilus ait in eisdem plura reprehendi ab Origènis calumniatoribus veluti impia.

In Codice Photii ab initio legitur, in primis Origenem blasphemasse, asserentem *Filium a Patre factum.* Item Hieronymus in epistola ad Avitum, hoc errorum summarium repetens, ab eo incipit: *Christum Filium Dei non natum esse, sed factum,* docet Origenes. S. Pamphilus porro ex libellis famosis colligens capita insimulationum, hanc primam collocat: *Prima illa est,* inquit, *quod ajunt eum innatum dicere Filium Dei.* Hinc inferas, quae inferenda sunt.

De reliquo, non ex praefatis tantum animadversionibus improbanda esse videntur Theophili et Hieronymi argumenta adversus Origenem ex *Periarchon,* aliisque suis tractatibus eruta: sed magis amborum illusio manifestatur tum ab illorum instabilitate in judicanda Auctoris doctrina, cum ex consequentiis absurdis ab eorum judicio necessarie deductis. Unde nobis aliud subsidium confertur reparandi causa fidei origenianae integritatem.

Theophilus dicitur antea Origenis patronus fuisse, deinde infensissimus. Ac postea cum deprehensus esset in lectione suorum librorum, respondit, *prato floribus consito similes esse libros Origenis, decerpere se, quae pulchra sunt; quae, spinosa, praeterire: atque id omnibus offensioni fuisse.* Hieronymus item, cum prius nomen et doctrinam Origenis magnificarit, deinde, mutata sententia, utrumque vilipendit. Nisi quod, cum plura legisset in suis libris orthodoxe tractata, differentiam et ipse, sicut Theophilus, statuit, nunc orthodoxam et piam compellans ipsius doctrinam, modo heterodoxam et impiam. In epistola ad Tranquillinum: « *nec enim* ait, *propter doctrinam ejus, prava suscipienda sunt dogmata: nec propter dogmatum pravitatem, siquos commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi.* » In alia epistola 61. ad Vigilantium subdit: « *Neque enim ita debemus bona ejus recipere, ut mala quoque suscipere cogamur.*

*At idem Origenes Scripturas in multis bene interpretatus est; et prophetarum obscura disseruit; et tam novi tam veteris Testamenti revelavit maxima mysteria.* » Qui vero ab Hieronymo ut pravi refutantur, dicuntur libri *Periarchon, Stromatum* (*) et *De Resurrectione*, cum in Bibliorum commentariis recta scripsisse ait. Theophilus vero *Periarchon* prae aliis rejecit; quando in aliis bona mixta malis repererit. Quantae vero auctoritatis faciendum sit utriusque judicium, ex sequentibus patefiet.

Ac interim nemo ignorat, Origenem plura docuisse in scholis, plurima in ecclesiis. Alias coram haereticis dimicavit. Alias in synodis disputavit. Commentarios fere in totam Scripturam edidit. Homilias frequentissime in eamdem Scripturam coram populo habuit. Adversus ethnicos pugnavit specialim in *Stromatum* libris. Christi divinitatem confessus est, vindicavitque in libris contra Celsum. Profligandi causa marcionitarum, basilidianorum, et valentinianorum profanas opiniones scripsit *Periarchon*. Ideoque, seu scripto, aut voce, sive in publico, vel private, cuncta in Ecclesiae aedificationem operatus est. Et verbi Dei minister Christi doctrinam ex apostolica traditione repetitam, exponendo propugnavit eodem sensu, eodem zelo, eodem scopo, quem intendit Jesus in apostolorum missione inter gentes. Et hinc Origenes fidelis horum discipulus, sibi unum Deum, unam fidem in programmate suae doctrinae constituens, de universa Theologia tractavit in commentariis Bibliorum: de uni-

(*) Praefatus Hieronymus in epistola ad Marcum Oratorem inquiens, Clementem alexandrinum eruditissimos *Stromatum* libros scripsisse, subdit: « Hunc (Clementem) imitatus Origenes, decem scripsit *Stromateas*, christianorum et philosophorum inter se sententias comparans, et omnia nostrae Religionis dogmata de Platone et ceteris philosophis confirmans. » Et in epistola 75. ad Augustinum inquit, se in Epistolam *ad Galatas*, Origenis secutum esse commentarios et decimum *Stromatum* Librum, de praesumptis sinens loqui erroribus, quibus ea scatere postea notavit. Alioquin, non nisi ex sexto horum Libro, ubi quodammodo Origenes (sicuti deinde alii Patres) excusare studet Judithae simulationes coram Holopherne, videtur Hieronymus eidem exprobrasse errorem, si tamen error dicendus est.

versa Theologia disputavit contra Celsum; de universa Theologia egit in libris *Periarchon;* de universa Theologia disceptavit in libris *Stromatum*: ac universam Theologiam exposuit in Homiliis ad populum. Et ita in ceteris tractatibus etiam specialibus ex. g. *De Resurrectione*, *De Martyrio*, *De Oratione*, nisi ex professo, saltem obiter ea potissima fidei christianae dogmata pertigit de Deo, de Trinitate, de Christi divinitate, de Verbi consubstantialitate, de Incarnatione, de vita futura, de libero arbitrio, de gratia Dei etc.

Cum haec ita sint, nec secus putare liceat, nescio quomodo componenda sint dicta Theophili, qui ait, pulchra et spinosa contineri in libris Origenis, sicuti et Hieronymi, cum inquit, in variis Bibliorum discussionibus Origenem bona scripsisse et maxima sacramenta revelasse, sed in ceteris prava exposuisse. Quae quidem proba et utilia sicuti improba et impia, cum ad eumdem referantur scopum, idest ad Religionis christianae fundamentum, ad Deum, ad Mysterium Trinitatis, ad divinam Christi naturam, ad vitam futuram etc., modo ista confessus esse diceretur Origenes, modo aperte negasse. Et quomodo ita putabitur de eo harum contradictionum auctore? De eo dico alias pio, alias impio; nunc fideli, modo infideli: modo Celsi acerrimo hoste, nunc cum eo in omnimoda concordia: nisi ipse perpetuo insanisse dicatur? Quod jure Ruffinus objecerat Hieronymo, qui ita cogitavit de Origene.

Praeterea cum ipsi instent, Origenem in secreto impiam et profanam exposuisse doctrinam, *Periarchon* libros, disputans adversus marcionitas, basilidianos et valentinianos, dicam, cur non item egit contra Celsum? Et si in secreto de Christo blasphemavit, et gentilium fabulis contexuit suos sermones, quare in Bibliorum commentariis ac praesertim in Homiliis de Christo pie sentiens, gentium fabulis refutatis, populum aedificavit? Numquid Origenes in suo ministerio sacro duas sibi comparavit mensuras, unam pro concione ad populum, alteram pro secretis suis opinionibus? unam pro veritate vindicanda, alteram pro errore propagando, unam in salutem, alteram in perditionem? Cum una in synodis, in ecclesiis, in scholis Christo benedicebat, cum alte-

ra Christo maledicebat. In secreto nefanda meditatus scribebat; in aperto seu in concione divina mysteria religiosissime profitebatur! (*)

Quae vero scripsit idem Bullus in *Defensione fidei nicaenae* n. 3. dicens: « *nam alia ad amicos scripsit Origenes secreto, quae lucem nunquam visura speravit, in quibus libere ac pene sceptice disseruit* etc. nequaquam referenda sunt ad *Periarchon* libros contra haereticos tunc iqvalescentes conflatos. Non enim hos sedulo elaboravit, ut secreti manerent; ast ut per eos convinceretur error, et fideles aedificarentur: et ut cuncti discerent, quae credenda erant, et quae refutanda. Nec praeterea in *Periarchon* sceptice disputavit de fidei apostolicae Symbolo; sed de quibusdam nondum ab Ecclesia definitis, nec clare expositis in Scripturis, quae ipse sentiret, adjecit.

Nequaquam in *Periarchon*, ut ex Prologo constat, sceptice disputavit de Dei omnipotentia, de Trinitatis Mysterio, de Christi divinitate, humanitate, et redemptione, de animae immortalitate, de mundi creatione, de hominis arbitrio, de resurrectione, de Bibliorum divina inspiratione, de perenni et immutabili proborum et impiorum statu in vita futura etc. De his non sceptice sermonem habuit, sed ea credenda proposuit secundum apostolicam traditionem, ita ut qui secus sentiret, in haereticorum numero habendum esse pronunciarit. De ceteris vero nondum ab Ecclesia definitis, plura et diversa sub dubio proposuit, perpetuo suum aliorum judicio subjiciens. Ex. g. in Prologo *Periarchon* inquit animam humanam post corporis obitum pro meritis suis dispensari, seu gloria coelesti jugiter cumulandam, aut suppliciis aeternis mancipandam. Et ita docet ex apostolica traditione tenendum. Cum vero exquirit de angelorum ordine,

(*) Et quis ex. g. sine horrore legerit vanam et insanissimam insimulationem a Theophilo contra Origenem latam utpote artis magicae patrocinatorem? quando ille ipse Celso exprobravit, qui christianis talia diabolica artificia adscripsit: « Quas criminationes, ait, non postulat recta ratio, ut refellamus, cum horum criminum in nos ne levissima quidem suspicio conveniat. » Confer Tomum II. c. XXXI.

utrum animas et ipsi habeant, vel animae sint, in illis collocat, de quibus tunc disceptabatur. Ceterum conferantur, quae de homine haeretico sapientissime disserit in Commentario Epistolae ad Titum, nunquam praetermittenda a quovis doctrinae origenianae judice.

Itaque, si absurdum est putare Origenem tantummodo in *Periarchon* blasphemasse, et in ceteris scriptis, antea et postea editis, sensisse orthodoxe; et si absurda eorum opinio est asserentium, illum in commentariis Bibliorum apostolicam exposuisse doctrinam, et in aliis tractatibus haereticam: et si absurdum est cogitare talem virum in cunctis suis libris pia et impia pariter docuisse, et sacra miscuisse profanis; et si absurdum est, quod omnium absurdorum maximum foret, arbitrari Auctorem per totum suae vitae curriculum in perpetua versatum esse dementia: quotquot mihi adversantur, vel dubitant, rogo et hortor, ut Theophili perfidiam et Hieronymi illusionem deserant, mecumque adeant ad seniores sincerae Origenis fidei testes, et amplius ad integrorum ipsius codicum haeredes: in quibus praestat s. Pamphilus. Credant utique Pamphilo martyri; qui sicuti coram persecutoribus alacriter confessus est nomen Domini Jesu Christi; ita eadem animi alacritate coram Ecclesia confessus est, Origenem fidelem Dei servum in vinea Domini, in propagatione verae fidei ad obitum usque laborasse. Credant Pamphilo, qui, priusquam Theophilus et Hieronymus condemnarent Origenem ob praesumptos errores, ipse jam centum circiter ab hinc annis ante, accusatores ejus ob eadem falsa crimina, luculentissimis ac genuinis ipsius testimoniis profligaverat, ex pravatis suis libris ac perfidorum studio ostendens, talia impia dogmata eidem adscripta fuisse.

Deinceps non est praetereundum (quippe magni momenti res) quod Romae, urgente quam maxime Theophili et Hieronymi studio, factum est, ut Origenes, libri ejus et patroni damnarentur: et quomodo Anastasius Papa se gesserit in hoc negotio aliter quam praesumpserunt celebrati viri, ita ut nec ab eo damnaretur Ruffinus, nec Origenes, nec istius genuina scripta. Romam enim latina *Periarchon*,

a Ruffino exacta, versione perlata, cum sensissent Hieronymi amici, ibi desiderari prava dogmata ab ipso Hieronymo notata ac refutata, putantes ea ex animo omisisse Ruffinum: falsata istius versione, intrusis videlicet erroribus ab eo praetermissis (ac jure quidem cum nunquam talia scripserit nec docuerit Origenes, ut suo loco expendimus) hanc Hieronymi amici obtulerunt Anastasio Papae, ut *Periarchon* libri cum suo Auctore et Interprete damnarentur.

Quidquid autem egerit Pontifex in hac quaestione, ex litteris constat, quas dedit Joanni hierosolymitano circa eosdem Ruffinum et Origenem. In his sapientissime inquit Papa, Ruffinum ob hanc versionem conscientiam suam habere judicem, si ea prava scripta vertendo probarit, aut non, nihil praeter haec adjiciens contra eum. Nec aliter putavit Anastasius de Origene, sinens loqui de ejus persona: ac solum latinam animadvertens *Periarchon* versionem a Ruffino prius ex genuinis exactam codicibus graecis, et ab amicis Hieronymi deinde improbissime interpolatam, huc illuc inspersis blasphemiis (nunquam excogitatis ab Origene) et quam ideo jure condemnavit Pontifex, hanc vocans profanam interpretationem. Et quid haec conferunt anathemati, quo Theophilus et Hieronymus putarunt adstrictos Origenem ipsum et Ruffinum interpretem? Porro in hujusmodi quaestionibus judicandis et de judicum auctoritate videant sapientes canonicae disciplinae magistri. (*)

(*) Profecto non absque jure conqueritur Ruffinus (et haec justa querela non est transigenda) in Libro I. n. 16. adversus ipsum Hieronymum, quando ille ex genuino graeco *Periarchon* codice circa testimonium *Deum nemo vidit unquam*, Origenis dictis orthodoxis ingenue expositis, inquit: « Istud caput, quod isti (amici Hieronymi) qui ad insidiandum mihi de Oriente transmissi sunt, non solum perversa intelligentia, verum etiam verborum adulterio conati sunt infamare. » Deinde pergit Ruffinus valde anxius quod latina sua *De principiis* versio falsata, per urbem circumferretur, et ad aures quoque Pontificis pervenisset. Supra modum vero n. 19. mirabatur de ipso Hieronymo; qui cùm paulo ante ad Vigilantium scribens dixerat: *per me latini cognoscunt omnes Origenis bona et ignorant mala* « istos, ait, libros, quos nunc transtuleram, reinterpretatus est; et omnia quae

Ceterum quomodocumque putandum sit de hoc Anastasii decreto ac multo magis de alia epistola eidem inscripta: et quamvis ideo ab Aegypto Theophilus, et a Palaestina Hieronymus clamarint damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum fuit, videlicet Origenem, libros ejus, Ruffinum interpretem et cunctos illius defensores veluti haereticos: nihilominus si illius aetatis et immediate successivae idest seculi V. consuluerimus cujusque regionis auctorum ecclesiasticorum testimonia, diversimode prorsus putandum est ab eo, quod praefati existimarunt factum esse Romae de Origenis persona, de libris ejusdem et patronis.

Sedulius presbyter circa an. 430. vocat Origenem peritissimum divinae legis; ac laudes consecutum esse dicit, quod proventus posteris reliquisset cognoscendae veritatis. Circa hanc aetatem Doctor insignis Sollius Apollinaris sydonius « Hieronymum, Augustinum celebrat et Origenem inter Bibliorum interpretes et salubris doctrinae magistros. Ac amplius Romae (ubi paulo ante secundum Hieronymum et Theophilum decretum esset anathema in Origenem et libros ejus) in hujus urbis Athenaeo scribit « una cum Augustini et Prudentii libris, fidei nostrae lectoribus, inspiciebatur Adamantius Origenes, sedulo Turriano Ruffino interpretatus. » Hoc testimonium admodum nostro sicuti pro Origene ita et pro Ruffino satisfacit argumento. Theodoretus saepe Origenis meminit, eumdem *haeresum confutatorem* nun-

a me vel improbabilia praetermissa fuerant, inseruit. Hinc jam non solum Origenem, sed meipsum in suspicionem haeresis conatur adducere. » Hae sane circumstantiae perpetuo ob oculos criticorum habendae sunt in disquirendis, quae Anastasius Papa tunc decrevit de latina *Periarchon* interpretatione a Ruffino expleta. Porro de nonnullis, quae Ruffinus in *Periarchon* notavit *improbabilia*, vel quae sibi talia videbantur, confer Tomum II. c. III.

Insuper, non solum ea, quae Hieronymus ut impia refutavit in *Periarchon,* non legit Pamphilus in his libris; sed et nonnulla Ruffino improbabilia visa, absque censura praeterivit s. Martyr, satis conscius, quippe graecus et graecae locutionis origenianae, e codicibus genuinis erutae, peritus, ea haud esse nec uti impia, nec uti improbabilia corripienda.

cupans, in sanctorum Patrum Albo inscribit. Auctor Libri *Praedestinatus* paulo post Anastasium Papam in Occidente vivens, et haereticos memorans ab eodem damnatos, non solum Origenis nomen silet, quod non erat silendum, si decreto solemni ab ipso Papa fuisset damnatus, sed et catholicum illum dicit, subdens ejus libros ab haereticis fuisse vitiatos.

Socrates et Sozomenus seduli Historiae scrutatores maxime relate ad hanc quaestionem, quippe tunc viventes et cum iis versati, qui de hac re disputarunt, nec Origenem in Synodo Romana sub Anastasio Papa anathematizatum dixere, nec monachos nec ceteros illius defensores. Nec porro ullimode audiendi sunt, qui utriusque historici detraxerunt auctoritati, quod praesumptae haeresi patrocinaretur. Cui vanae opinioni non nisi incauti obsequentur; cum neminem lateat quam duo scriptores profiterentur fidem praesertim de divinae Trinitatis Mysterio: et quae et qualis Origeni et origenistis praesumptis haereticis inscribatur errorum innumerabilium copia: de quo alibi.

Vincentius lirinensis, qui scripsit circa Synodi ephesinae aetatem, alias Origenem extollit uti Ecclesiae Doctorem et Prophetam; alias errantem vocat; et alias inquit, traditum esse Origenis libros fuisse falsatos: quod ipse dicit ex catholicorum et haereticorum quoque testimonio. Unde probe eruitur quomodo exponendum sit, quodcumque velis decretum adversus eumdem, adeo ut inter doctos libere disputare liceat de illius doctrina in suis libris congesta; quae alioquin non nisi critico studio solvi potuisset nec possit usque modo, ac ideo criticis remittenda. Porro valde notandum est Lirinensis silentium de absoluta Anastasii Papae definitione; quacum Origenes ipse cum suis libris et defensoribus anathemate ictus dicitur, ut vult Hieronymus. Confer c. XVII. *Commonitorii adversus haereses.*

Item nobis suffragantur hujus aetatis acta Synodorum ephesinae et chalcedonensis: ubi Patres congregati decreta renovantes contra haereticos in Filium Dei blasphemantes, ab Ario incipiendo usque ad Eutychetem, attamen de Origene, quem Hieronymus Arii magistrum dicit, ne verbum

quidem protulere. Novissime, quod magis praestat, huc revocandum est Gelasii Papae alterum decretum in Concilio Romano an. 496. de Libris sacris et de scriptoribus ecclesiasticis: ubi primum ait se refutare in Origene quae refutavit Hieronymus, quin tamen citet sententiam Synodi sub Anastasio adunatae adversus eumdem et libros ejus, quod valde opportunum visum fuisset. Deinceps in fine illius decreti haeresiarcharum omnium ad suam usque aetatem nomina recensens Gelasius, exorsus a Simone Mago, penitus omittit Origenis haeretici et origenistarum sectam; quod quidem non erat praetereundum, si Anastasius cum Synodo *per totum orbem*, ut Ruffino objicit Hieronymus, *Origenem haereticum denunciasset populis*. Ex quo Gelasii silentio amplissime nostrum firmatur propositum de fictitia et imaginaria Origenis et origenistarum haeresi.

Nec insuper audiendus est Huetius ipse, qui in Libro II. c. IV. Sect. I. n. 24. inquit, in Hispania quoque diffusam hanc praesumptam Origenis haeresim. Hoc porro deducit ex Hieronymi epistola ad Avitum et ab altera Augustini circa an. 415. ad Evodium scripta, ubi prope finem ait: « Orosio (qui ab Hispania ad me advenerat) ad quaedam interrogata, quae illum de priscillianistarum haeresi, et Origenis quibusdam opinionibus, quas non recepit Ecclesia, permovebant, uno libro non grandi, quanta potui brevitate et perspicuitate respondi. »

Attamen ab utraque epistola non videtur concludendum in Hispania reperiri, qui Origenis haeresim profiterentur. Unus enim, idest Avitus petit ab Hieronymo, ut ei explanet, quales sint ipsius Origenis errores: quod sane indicat ab anno 410. in ea regione adhuc eos ignorari. Item ex Augustini litteris ad Evodium non eruitur in Hispania praesumptos invalescere errores; quamvis ex Hieronymi studio undique quibusdam ab hinc annis vulgati essent, non tamen in totum noti; cum idcirco Avitus ad eumdem scripserit, exactam cupiens doctrinae origenianae notitiam: quam quidem non postulasset, si revera in ea regione hanc haeresim professi, reperti fuissent.

Ceteroquin ex Epiphanii, Theophili, et Hieronymi testi-

monio ea ipsa aetate ob eorum oculos hanc praesumptam haeresim exstinctam esse constat. S. Epiphanius ad Hieronymum in epistola 91. dicit per Theophilum Origenis haeresim (imaginariam) toto orbe aruisse, postquam monachi nitrienses haeretici (fictitii) ejecti fuerint. Item s. Hieronymus eodem tempore (an. 401.) scribit ad Theophilum, Romae et in cunctis ecclesiis siluisse serpentem antiquum (aeream Origenis haeresim). Theophilus idem ait in Palaestina tantum hypocritas (sic) qui in occulto (sic) hanc haeresim profitebantur, superesse. Similiter circa annum 412. Hieronymus in epistola ad Principiam, testatur hanc haeresim jam evanuisse.

Hinc, hujus haereseos initio et fine expenso ex citatis auctoribus, perspicue eruitur, obeunte seculo IV. hanc in Nitriae monasteriis ortam esse, ac paulo post extinctam; quamvis, dico ego, nunquam inceperit, nec ideo extincta fuerit: ac tantummodo in improba imaginatione Theophili, et illusi Hieronymi concepta sit, prodierit, viguerit, ac demum obierit.

Cum vero dicit Gelasius, se in Origene refutare, quae reprobavit Hieronymus, eo sensu in primis exponenda sunt, quem ipse Papa expressit in epistola *De vinculo anathematis*: *Non erranti autem*, inquit, *nec poena anathematis potest esse, quae non erranti non debetur inferri*. Idcirco cum Hieronymum, veluti in praemissis Tomis disputatum est, ostendimus frustra refutasse in Origene, quae non docuit, et in quibus non erravit: idcirco, dico, nec locus erat refutationi; nec proinde multo minus ulla anathematis poena non erranti inferenda erat.

Cur porro subdat Gelasius, schismaticum vocans Origenem, cum in serie haereticorum non accensuerit, sapienter explicavit Georgius alexandrinus in Vita s. Joannis Chrysostomi c. 43. « Non ob oppositionem, ait, Ecclesiae Catholicae, seu ob personalem Origenis separationem ab ea, schismaticum eumdem dixit Pontifex: sed tantummodo hoc ei inscripsit nomen, quod schisma in Ecclesiam intulisset propter suam doctrinam. » Quod quidem consonum est hujus quaestionis historiae: cum ideo ab aetate Theophili valde

inter Patres disputatum sit, aliis pro, aliis contra Origenem contendentibus. Ac reapse Anastasius Papa in litteris ad Joannem hierosolymitanum, ob *Periarchon* latinam versionem ait schismata excitata fuisse inter fideles. Sed quis fuit hujus schismatis auctor? Nequaquam Origenes, sed Theophilus. Nequaquam Origenes, cujus nomen eousque venerandum in Ecclesia pergebat; et cujus scripta genuina fuerint a Patribus universim accepta ut orthodoxa. Ast Theophilus (ei obsequente Hieronymo) auctor schismatis jure vocandus est, qui adversus illum libellos famosos jam a s. Pamphilo refutatos, extulit e pulvere, ut zizania sereret inter fideles. Et hunc sane Theophilum schismatis auctorem vocat Innocentius Papa in suis epistolis ad Arcadium et ad Clerum constantinopolitanum.

Insuper quod diximus de synodis ephesina, chalcedonensi et romana sub Gelasio, a quibus ab haeresiarcharum serie exclusum est Origenis nomen, idem vidimus factum a Felice Papa, ubi corripit Petrum Fullonem veterum haereticorum (quos nominat) impietatum instauratorem; et a Theodoreti Libro *De fabulis haereticorum*, et ab anonymo Auctore Libri *Praedestinatus* inscripti. Quorum ambo Origenem non tantum excluserunt ab haereticorum serie, sed et encomiis illius ut orthodoxi, nomen ornarunt. Ac praeterea Anonymus in Libro I. n. 82. 84. 85. haereticos paternianos a Damaso Papa, helvidianos a Siricio, jovinianos ab Anastasio, ac deinde Pelagium et Coelestium ab Innocentio damnatos dicit. De Origene vero sive de origenistis ab Anastasio una cum jovinianis anathematizatis ne verbum quidem; etsi vel eadem aetate, aut paulo post, hunc librum edidisse constet Anonymum.

Demum nihil mirum si ab initio seculi V. post Hieronymi aetatem nulla mentio facta sit de origenistis cum suo magistro haereticis, sicuti vult s. Doctor. Synodorum namque in Aegypto acta utpote iniqua, paulo post irrita declarata fuere ab Innocentio Papa in litteris ad Arcadium et Eudoxiam. Ubi cuncta describens patrata a Theophilo adversus Joannem, Isidorum et alios pios monachos, decernit ea omnia ex Theophili ejusdem animo sanguinario processisse, et praeter tenorem canonum fuisse confecta.

Sed quales tandem fuerunt ea Theophili aetate factionis origenianae principes? quales patroni agnoscuntur haereseos hujusmodi, quae in se impietatum cumulum adversus Deum capiebat, absurda et fabulosa Marcionis, Basilidis et Valentini commenta instauravit; et quae haereticorum neminem unquam excogitasse apparet in historia haeresum? Quales, quot et ubi extitere de Christi grege, qui ad hanc haeresim accesserunt, eaque professi sunt dogmata?

Factionis origenianae principes in Aegypto numerantur Isidorus, Ammonius, Eusebius et Euthymius monachi. In Palaestina s. Joannes Hierosolymorum episcopus: Constantinopoli s. Joannes Chrysostomus et s. Theotimus. Romae et in Italia Ruffinus presbyter. Hi a Theophilo et Hieronymo dicuntur hujus haereseos duces, aut praecipui Origenis haeretici patroni. Hi notantur impiorum dogmatum cum ipsorum magistro Origene defensores: eosdem dico, quorum, ut memini antea, fides et pietas eximia, et incessans pro doctrina catholica zelus satis satisque commendantur a coaevis scriptoribus: et quorum orthodoxa doctrina revelatur in suis scriptis; et quorum mortem in Ecclesia Catholica sinceri testes ejusdem aetatis et regionis confirmarunt: eorumque memoriam inter sanctos venerantur episcopi et Pontifices. Hi, rursus inquam, haereseos origenianae a Theophilo et Hieronymo deferuntur propugnatores.

Secundo, quales et quot fuerunt talium haereticorum magistrorum discipuli; qui in praefatis regionibus Origenis sectae addicti sunt?

In Aegypto Ammonii, Eusebii, Euthymii et Isidori haereticae pravitatis ducum, eorumdem discipuli numerantur tercenti et amplius monachi, inter sanctos ab ecclesia orientali honorati. Ac praeter istos nemo legitur particeps illius haereseos. In Palaestina nullus post Joannem episcopum fide et pietate praeclarum, narratur huic haeresi adhaesisse. Et Synodus ipsa ibi ideo adunata testatur, quosdam in ea regione fideles erroribus acquiescere Apollinaris, et alios judaeorum, samaritanorum et gentilium sequi impietatem: ceteroquin neminem ait inveniri sectae origenianae devotum. Constantinopoli s. Chrysostomo haereseos

duce, si Palladium excipias, s. Theotimum Scythiae apostolum et alios episcopos orthodoxos cum Olympiade sanctissima foemina, historicorum nemo alicujus nomen recitat haereseos origenianae discipuli.

Romae per Ruffinum haereseos ducem, ab Oriente huc profectum, virum piissimum et Siricio Papae acceptum, ait Hieronymus in epistola ad Principiam, a plerisque violari fidem apostolicam, et sacerdotes quoque et monachos nonnullos et maxime seculi homines ad assensum suum trahi. In Africa vero, teste s. Augustino in litteris ad Hieronymum, nec dux repertus est, nec discipulus factionis origenianae. Et hi quidem sunt, quos in epistolis Theophilus, Hieronymus et Epiphanius notant haereseos hujus propugnatores.

Quorsum autem hic vertit sermo meus circa hujus haereseos duces, et illorum numerum hanc propugnantium? nisi ut patefiat, nec haereseos auctorem Origenem nec ejusdem duces in hac patrocinanda et dilatanda extitisse aliquando: nec quotquot dicuntur erroris discipuli, unquam talia haeretica dogmata professos esse, nec ullum inventum, qui ea dogmata ab Ecclesia Catholica reprobata admitteret. Non enim eorum quisquam, sive magistri, sive auditores, Origenis doctrinam defendebant haereticam. Sed vehementer contenderunt hunc catholicum in Ecclesia Christi usque ad obitum processisse apostolicae fidei et traditionis ecclesiasticae defensorem; nec unquam ex animo voluisse nec docuisse, nec fidelibus credenda ab eo proposita, quae ab ipsa Ecclesia veritati evangelicae contraria definita erant; ac proinde semetipsos vere pios, vere catholicos patrocinium suscepisse non Origenis errantis, sed Origenis orthodoxam fidem professi, quam perpetuo docuit; et in qua defunctus est. Et ob hoc Theophilum increparunt et illos, qui ab eo et cum eo incitati sunt in expugnationem praefatorum virorum ceu haeresi infectorum, frustra nulloque jure laborasse asseverantes.

Quod porro de Theophili diximus illusione circa monachos praesumptos haereticos ab Aegypto fugatos et Palaestina Constantinopolim usque peragrantes sui erroris causa

propalandi et patrocinandi: similiter dicendum est de s. Hieronymo, qui putavit Romam Ruffinum haereticum advenisse impia Origenis dogmata disseminatum, et quod in optatis suis erat, obtinuisse; ita ut plerique (sic in epistola ad Principiam) et sacerdotes et monachi nonnulli et maxime seculi homines ad assensum sui traducti fuerint, fide apostolica violata. » Nihilominus ex eadem epistola educitur Siricium nec animadvertisse, nec condemnasse Ruffinum haereticum, nec qui cum eo Romae Origenis errores defendebant: quinimmo ei discedenti litteras formatas, quippe catholico, dedisse et, ut catholicum, longinquis commendasse episcopis. Nec insuper educitur, Papam in suis epistolis mentionem egisse de hac haeresi urbem invadente, duce Ruffino. Ideoque Hieronymus perperam et sane immerito conatur cunctis notissimam sollertiam imminuere s. Pontificis in regimine Ecclesiae, et praesumptam arguere negligentiam erga Ruffinum. Proindeque concludendum est, quod ipse Hieronymus ait de eodem haereseos origenianae Romae magistro, deque suis discipulis haereticis, ex falsa auditione accepisse.

Istud autem amplius roborandum videtur ab Anastasio Siricii successore, in litteris ad Joannem hierosolymitanum: ubi pontifex non condemnat, nec absolvit Ruffinum ob latinam *Periarchon* translationem, inquiens illum in hoc judicem habere propriam conscientiam, nec velle ultra de hac re disputare. Quod si, ut putavit Hieronymus, haeresim docuisset Romae Ruffinus, et discipulos sibi comparasset haereticos, non ita blande de eo egisset Anastasius. Item Pontifex in iis litteris nec, quod Romae sub Siricio actum sit circa Marcellam, quae restitit haeresi sensum pervertenti plurimorum, significat; nec quidquam notat de hujus haereseos progressu et defensione in urbe. Tantummodo veritus, ne ea *Periarchon* versio (a Ruffino sincere exacta, et improbissime ab aliis interpolata) mentem ingerat simplicium, jure hanc condemnavit. Nec tamen ob hoc audet haereticum vocare Ruffinum, neque multo minus ejus amicos et discipulos. Et si Anastasius Romae situs ac sciens quid ibi proficeret hujusmodi translatio, nec tamen translatorem

vocavit nec damnavit haereticum: quomodo hoc ausus est Hieronymus valde ab urbe distans? Ceterum nihil hoc mirum de Hieronymo, qui in cella bethlemitica clausus, perfidiam ignoravit Theophili adversus Origenem et monachos nitrienses, et quae de Italia amici fraudulenter ei scripserant de Ruffini in urbem adventu.

Anastasius pariter Joanni episcopo respondens, ait Ruffinum per *Periarchon* latinam versionem voluisse dissolvere fidem apostolicam, nec tamen dicit (n. 3.) revera Romae plures ab ea deceptos versione, praesumptam haeresim profiteri. Nam paulo post de ea ipsa (n. 5.) subdit: « Certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos... nequa prophanae interpretationis origo subrepat; quae devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur. » De futuro, nec de praeterito, nec de praesenti loquitur s. Pontifex.

Praeterea ad illud incumbendum est, quod Hieronymus in epistola 97. citata ideo scribit: « Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis haereticos persecutum: ejusque litterae doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. » Et hoc dicit Hieronymus *ex celebri sermone vulgatum*, non vero ex certa scientia, de Origene Romae cum Ruffino et sociis damnatis ut haereticis. Et quidem monumenta coaeva et successiva huic contradicunt supposito anathematis decreto, sicuti nuper ostendi.

Post hoc non solum pro Origene sed maxime pro monachis ob oculos rite habendum est, quod hucusque videtur praetermissum ab hujus quaestionis tractatoribus, et quod quidem summum est: idest quaestionis initii examen, unde in Ecclesia tantum ortum est opinionum discrimen, infauste pergens ad hanc usque aetatem, hominum mentem turbans: et unde universim causa judicata ac definita est cum Origenis, monachorum nitriensium et aliorum sanctorum virorum injuria.

Quaestionis a suis primordiis inter Theophilum et monachos status, ad quem tunc erat et est modo revocanda,

ex natura sua et proprie loquendo, aliter quam fidei dogma spectabat. Critica extitit disquisitio, nec penitus dogmatica. In epistola synodica ad Palestinae et Cypri episcopos Theophilus ait, in Synodo lectos fuisse libros Origenis, et consensu omnium condemnatos cum suo Auctore. Cui condemnationi restiterunt monachi, asserentes libros Origenis fuisse falsatos, nec Origenem errasse. Et hic status quaestionis a Concilii primordiis: unde manebat disputandum, num ejusdem libri forent nec ne interpolati, et eorum Auctor esset haereticus. In qua disputatione cuique licebat libere suam expromere opinionem sive pro, sive contra sine dogmatis christiani offensione. Istud autem praeclare adstruitur speciatim a Severi Dialogo et a Hieronymo. Posthumianus in eo Dialogo, et quidem oculatus testis, ex suo sensu ait monachos errasse, putantes Origenis scripta fuisse falsata, nec ideo Auctorem jure cadere sub anathematis judicium; nec multo minus, addit monachos inter haereticos deputandos. Et proinde queritur cur tanta multitudo virorum sub Christi confessione viventium, sit ab episcopis afflicta.

Item s. Hieronymus ad Pammachium et Oceanum monachorum enarrans responsa, quibus renuerunt subscribere Origenis damnationi, manifeste indicat, eosdem coram Synodo nequaquam disputasse, utrum Origeni inscripta prava dogmata, et revera haeretica damnanda forent: et in hoc sane stat quaestio dogmatica. Sed monachi orthodoxi ab initio et usque ad novissimum contendebant, quaerentes an Origenes hujusmodi docuisset et scripsisset impietates. Quod ipsi adminiculis usi ex codicum et Patrum antiquorum testimonio petitis, (et haec est quaestio critica) negarunt ac ideo Origenis anathemati restiterunt. Et quid revera ejusmodi reluctantia, vel si velis, pervicacia monachorum commune habet cum dogmate, ita ut ipsi haeretici vocarentur et damnarentur?

Insuper Theophilus in Synodo instat, statuens haereticum esse Origenem, suosque libros haereticas continere doctrinas, plura citans Auctoris testimonia. Monachi ex adverso stantes Theophilo, negarunt Origenem fuisse haereticum, historica ideo proferentes documenta contra illius praesum-

ptionem, addentes quoque, ejusdem libros fuisse interpolatos, vel sensum corruptum: et hinc quae haeretica ibidem legebantur, non esse codicum sincerorum portionem; *nec hoc*, inquiunt, *mirum esse, si in libris recens scriptis fraus haeretica fuisset operata: quae in quibusdam locis non timuisset incidere evangelicam veritatem.* Et hoc genuinum responsum a monachis in Synodo exhibitum, ac in se continens verum quaestionis statum inter eosdem et Theophilum, omnem tollit dubitationem: ac luculentissime ostendit, quaestionem mere criticam fuisse ibi a principio agitatam, et alteram omnino exclusam dogmaticam quaestionem.

Alioquin, si a Theophilo in Synodo coram monachis propositum fuisset absolute anathema errorum omnium Origeni adscriptorum; et ab iis horum postulasset condemnationem; et si monachi renuissent huic accedere damnationi; tunc jure in monachos tamquam haereticos egisset, eosque poenis subjecisset inflictis catholicae fidei expugnatoribus. Attamen Theophilus ipse in Synodo nequaquam dogmata haeretica protulit anathematizanda, sed libros cum suo Auctore: non doctrinae essentiam, sed personam ejusque scripta. Nam de doctrina impia nulla erat quaestio inter monachos et Theophilum. Orthodoxos se esse et catholicam professos fidem monachi coram Deo et hominibus saepius, ut infra magis patefiet, obtestati sunt. Tantum de Origene ab iis quaerebatur et contendebatur, num talia professus esset scriptoque mandasset. Fortasse temere hoc postulabatur? Nonne erat monachis dubitandi ratio de interpolatione et corruptione librorum Origenis? Nonne ab ipsius Auctoris aetate ipse conqueritur de suorum librorum falsatione sive in verbis, sive in sensu ex haereticorum parte? Hujus rei satis praestat s. Pamphili testimonium. Non fuit itaque perperam adsertum a monachis, nec temere consultum, se ideo nolle subscribere Origenis anathemati: cujus eousque orthodoxi nomen totum pervadebat orbem christianum.

Et haec erat conditio quaestionis origenianae inter monachos et Theophilum; ita ut monachorum argumenta viderentur jure praestare auctoritati Theophili et episcoporum Synodo adstantium. Attamen tanta illusione Hieronymus et

Epiphanius (quamvis iste videatur postea emendatus) de Origenis erroribus capti sunt tum per se, cum maxime ex Theophili artificio, ut putarent non solum defendi nullimode posse Origenem ab erroribus eidem inscriptis; sed amplius crederent, et quidem inconsulto, omnes, quotquot Auctorem orthodoxum propugnarent, falsatosque tenerent suos libros, nec ideo esse ei adscribendos errores in quibusdam lectos codicibus: temere inquam crederent, haeresi eadem esse infectos, quam nimis creduli in Origene supponebant; quin ne cederent quidem sinceris eorum obtestationibus exactis de fide orthodoxa, ab eis jugiter ore suo et scriptis propagata.

Quid ergo, his stantibus circumstantiis, factum est a Theophilo cum senserit se ab adversariis superatum, nec aliquid sibi superesse suffugium contra monachos? Novum machinatus est stratagema ut illos adoriretur, ad quod infeliciter ipse se recepit Hieronymus. Quod sane novissimum et praeclarum causae Origenis et monachorum et aliorum, quoscumque velis illius patronos, constituit triumphum adversus veteres et recentiores eorumdem criminatores.

Cum itaque Theophilus et Hieronymus non haberent nec ex parte monachorum nitriensium explicitam erroris confessionem, nec multo minus ex parte Didymi, Palladii, Evagrii, Melaniae, Ruffini, Chrysostomi, Joannis hierosolymitani, et aliorum monachis et Origeni patrocinantium, quo manifeste argueretur haeresis, perventum est ad hypocrisiae crimen: et per hoc tantummodo factum est, ut haeretici reputarentur origenistae. Quasi isti ore et scriptis apostolicam profiterentur doctrinam; intus vero praesumpta Origenis impia dogmata celarent. Scribit Theophilus apud s. Hieronymum in epistola 89: « Utinam apud vos quoque (in Palaestina scilicet) deponerent hypocrisim, qui occulte dicuntur subruere veritatem. » Idem Hieronymus in epistola ad Pammachium et Marcellam scribit, Romae in foveis latitare haereticos origenistas. In Libro III. adversus Ruffinum, de monachis nitriensibus ait: « Inter sanctorum choros aspides (origenistas) latere perspexi. » Et hinc ab utroque iidem sancti monachi notantur ceu *perfidi*, *perju-*

*rii*, *versipelles*, Ruffinus *simulator*, Palladius *hypocrita*, Isidorus *fictor*, Evagrius *illusor*, Melania *nigra pelle induta: Quia*, ait Hieronymus ipse in ea epistola: *quia quod sermone coguntur dicere, mente condemnant.* Et ita instans s. Doctor, cum non haberet in quo manifeste redargueret origenistas de haeresi, sub an. 413. scribit ad Demetriadem, illis eamdem exprobrans simulationem: et ait abscondite, quasi in foveis viperarum, plantaria venenata Origenis apud plerosque versari. Idcirco tam Constantinopoli, tam in Nitriae monasteriis, tam in Palaestina, tam Romae nemo ab iis notatur manifestus haereticus. Et ad annos quindecim s. Hieronymus ne unum quidem invenit, notavitque inter origenistas palam asserentem, se dogmata profiteri haeretica adversus doctrinam catholicam: sed tantummodo in sua imaginatione illos haereticos esse concipiens, tales publice declaravit, damnavit, totumque per orbem vulgavit.

Quapropter sistat se lector aliquantisper. Quis unquam audivit vel legit in Ecclesiae monumentis episcopos in Synodo adunatos, aliquem in sua fidei professione voce et scripto manifeste orthodoxa, tantum illius conscientiam scrutatos omnibus, nisi Deo, occultam, ut haereticum condemnasse et Ecclesia expulisse, quemadmodum factum est de monachis in Aegypti Synodis, duce Theophilo; et uti Hieronymus de ceteris ita arbitratus, haereticos nuncupavit? Numquid Synodus nicaena anathemate percussit Arium et arianos, quod solum in cordis sui arcanis impium in Christum Dei dogma colerent? Fortasse hoc expletum est in Synodo constantinopolitana adversus macedonianos, in altera ephesina contra Nestorium, in Synodo chalcedonensi adversus Eutychetem et sic de ceteris? Nullimode. Non enim arcanam illorum conscientiam Patres synodales pervestigantes, hos haereticos condemnarunt. Ast ex patentibus illorum blasphemiis voce et scripto adversus catholicam fidem ex animo prolatis, jure ejecerunt ab Ecclesia. Consulantur acta Concilii chalcedonensis, quomodo in eo ab haereseos suspicione evaserint Ibas et Theodoretus? nisi quando coram Patribus fidei formulam emiserunt definitioni synodali consonam. Quam Synodus accipiens, inter catholicos ambos episcopos recensen-

dos decrevit, quin ultra arcanam illorum scrutarentur conscientiam soli Deo cognitam. Quod autem rite ab Iba et Theodoreto Synodus postulavit (et cui acquieverunt postulationi) hoc idem fideliter ac sedulo praestitere monachi nitrienses, Ruffinus et Joannes hierosolymitanus cum Synodo ab eo adunata, fidem nicaenam professi ac una praesumptos Origenis errores anathematizantes: quod satis erat ne ab Ecclesia expellerentur, vel putarentur haeretici.

Et fortasse Anastasius Papa conscientiam studuit rimari Ruffini, et haeresim ibi celatam intuitus damnavit? Absit. Sed dixit ipsum de hac re habere conscientiam suam judicem, nec velle ulterius de eo judicare: « *Non sic homo ut Deus*, inquit. Nam Deus videt in corde, homo videt in facie. » Nihilominus quod non est ausus Romanus Pontifex, Theophilus et Hieronymus non ex factis et probatis, ut inquiunt Theologi, condemnarunt monachos eorumque socios in quaestione origeniana. Sed incauti in corda eorum penetrantes, neglecta ecclesiastica disciplina, simulatam illorum catholicam confessionem arguentes, nullis instantibus extrinsecis indiciis, haereticorum numero inscripserunt. (*)

Ceterum quid sibi vult hujusmodi hypocrisiae crimen monachis, cunctisque Origenis patrocinatoribus inflictum ex Theophili et Hieronymi parte? nisi quod istis deessent extrinseca et authentica documenta ex origenistarum libris vel sermonibus petita ad canonicam definitionem et damnationem suppositae illorum haereseos. Novum sane haereseos genus! cujus magistri vel discipuli sive scriptis, sive voce,

(*) Profecto nescio quare cum Hieronymo illuso nonnulli adhuc dubitent de orthodoxo ac sincero Ruffini sensu. Bis enim iste publice declaravit catholicam suae fidei professionem, in versione Apologetici s. Pamphili pro Origene, et maxime in litteris ad Anastasium Papam ideo scriptis adversus suos delatores: « Ego enim, ait, praeter hanc fidem, quam supra exposui, idest quam Ecclesia Romana tenet et alexandrina, et aquilejensis nostra tenet quaeque Hierosolymis praedicatur, aliam non habui unquam, nec habeo in Christi nomine, nec habebo. Et siquis aliter credat, quisquis ille est, anathema sit. » Ceterum de fide et scriptis Ruffini repetantur discussa in Tomo III. cc. XI. XIV.

sive actibus, cum orthodoxos, coram Ecclesia rogati, juxta evangelicam institutionem se exhiberent, attamen clam mente corrupti haeretici putarentur et condemnarentur. Et rursus dico, hoc sub sole novum inquirendi genus in alicujus delictum, cunctis ignotum, ac tantummodo in corde suo suppositum! Et id quoad monachos nitrienses et horum patronos satis.

Quoad autem Origenem, pari jure a poenis canonicis absolvendi erant, cum nollent subscribere anathemati ejusdem ac suorum librorum. Segregata enim quaestione dogmatica, circa quam monachi ceterique promptissimo animo convenerant per confessionem fidei nicaenae, idest anathematizatis eidem inscriptis erroribus; ac proposita solummodo quaestione critica, contenderunt, num revera Origenes haereticam professus esset doctrinam, et an falsata forent ipsius scripta; adeo ut utrinque cuique absque offensionis et haereseos metu disceptare liceret, sicuti in praefatis dictum est.

Et revera primus hujus causae testis oculatus extat Posthumianus ex Severo. Cuncta enim novit, quae tunc Alexandriae acta sunt: et ipse ait se non ausum esse de disputantium quoquam temere judicare: « Praestantissimi enim viri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. » Porro qui in Synodo alexandrina disputabant, hinc erant Theophilus et cum eo aliquot episcopi, inde monachi nitrienses. Similiter eadem de causa disceptabant Epiphanius et Hieronymus cum Joanne hierosolymitano; Hieronymus cum Ruffino: Theophilus cum Chrysostomo: item Epiphanius cum Theotimo, Ammonio et Euthymio; item Hieronymus cum Palladio. Unusquisque vero ex proprio studio ex jure suo alter in alterum contendebat de Origenis doctrina, de libris suis, utrum haeretica docuisset, et num ipsius scripta impia dogmata continerent. Cuncti in pari conditione coram Ecclesia versabantur, parem fidem, eamdemque catholicam doctrinam professi.

Ac ideo ibi non tantum personae disceptantis auctoritas tunc quaerebatur, neque varius in Ecclesia gradus, quantum illorum cujusque argumenta apta quaerebantur ad alio-

rum refutandas opiniones. Proindeque non violentiae usu, nec conviciis incedendum ipsis erat in conflictu, sicuti et in Aegypto primum accidit, deinde Constantinopoli, et sicuti similiter factum est inter Hieronymum et Ruffinum. Sed vicissim inspectis et cribratis singulorum argumentis, tantummodo cum erroris vel melius illusionis nota, nunquam vero haereseos, ex quavis contendentium parte definienda quaestio erat; quod sapientissime animadvertit Posthumianus.

Et ita quidem se habuit res, sive consideretur Synodus Alexandriae, sive Nitriae, sive Constantinopoleos, aut in publicis aut privatis congressibus, sive voce seu scriptis, ubicumque qui pro Origene disputarunt monachi aliique, non ultra praeterierunt quaestionis criticae terminos. Et nunc iterum iterumque dicam, non ultra hos terminos ab initio inceptam et discussam deinceps fuisse a Patribus, quorum examini proposita fuit; quamvis Origenis hostes hanc immerito ac temere conati sint sive tunc, sive deinde Justiniani aetate, interpretari in proborum virorum ignominiam, alteram intrudentes haereticam quaestionem, cui non erat locus.

Exposita igitur sub hoc intuitu quaestione, neque diversimode ex allatis argumentis exponenda erat, quid concludendum superest, nisi quod adversus monachos nitrienses et Ruffinum et ceteros Origenis defensores factum sit, quemadmodum siquis hodie coram judice vocatus, alicujus delicti reus ut puta seditionis, caedis, vel latrocinii, patronum reperiret, qui eum ab hoc crimine immunem vindicaret. Et hinc judex, praevio accusati reatu, nullo interposito discrimine, reum condemnaret et cum eo ejusdem patronum uti ipsius criminis consortem. Nonne hoc temerarium et iniquum reputaretur judicium, ita ut quod ex naturae jure postulatur in propriam et aliorum defensionem, verteretur in patrocinatoris condemnationem et poenam? Et quid insuper diceretur, si accusatus ac defensor ambo innocui, nulla mediante illorum externa confessione, quae requiritur in haereseos quaestione, nullo mediante extrinseco teste, sed cunctis adversantibus circumstantiis, damnarentur tantummodo ex illorum intimae conscientiae perscrutatione?

Et hoc tamen, sedulo disquisitis ac ponderatis actis, infauste supervenisse cernitur in quaestione origeniana, auctore praecipuo Theophilo, siculi ejus et Hieronymi scripta testantur, et aliorum qui ea vixerunt aetate; ut merito inferatur, cuncta esse tunc patrata cum legum ecclesiasticarum violatione et sanctorum virorum injuria. Et hinc insuper, idest ab hujusmodi praejudicio explicatur quoque, cur in successivo tempore omnes, qui pariter causam egerunt Origenis, orthodoxïae illius vel absolute sive obiter patrocinati, eidem subjicerentur criminationi. Quod potissimum Socrati et Sozomeni accidit, aliisque, quibus ideo perperam et stulte inflicta est fictitiae hujus haereseos nota.

Et sane (mihi donetur haec brevis digressio) et sane in hac miseranda conditione pergebat de Origene ejusque patronis opinio ac praecipue inter Palaestinae monachos; cum centum quinquaginta annis post, circa aetatem Concilii V. in illis monasteriis, ubi ab aevo s. Hieronymi reliquiae servabantur hujus quaestionis, denuo quidam monachi, haud profecto periti nec sana doctrina imbuti, insurrexerunt adversus alios socios suos, vere pios, vere orthodoxos, hos insimulantes perversi Origenis dogmatis reos. Quorum duces (veluti in c. XXIV. Tomi IV. dictum est) ex Facundo hermianensi, ex Cyrillo monacho, ex Theophane notabantur Nonnus, Theodorus Ascida, Domitianus, Macarius, Leontius, Eusebius papa. Cum enim adversarii nullam haberent ex illorum parte manifestam hujus perversae doctrinae confessionem, supra quam extruerent judicium justum in illorum condemnationem, ab improbo Theophili alexandrini exemplo, istiusque iniquissimo judicato abducti, ex supposita eorum corrupta intima conscientia (soli Deo nota) conati sunt illos aggredi, et anathemati subjicere.

Reapse Facundus (qui hoc idem sentiebat cum praefatis monachis contra Origenem) ceterique, qui cum Facundo idem putabant pro tribus Capitulis, in Libro I. c. II. ait quosdam (Theodorum Ascidam speciatim) sub nomine christiano *latenter* in Ecclesia gentile sectari Origenis dogma. » Cyrillus monachus in vita s. Sabbae n. 36. scribit, Nonnum et alios paucos *occulte* origeniana dogmata sussurrare. Paulo

post in n. 83. Domitianus et Theodorus Ascida monachi ac deinde episcopi *hypocritae* ab ipso Cyrillo vocantur, eo quod *occulte* prava Origenis dogmata profiterentur. Hi porro nonnulli, quos notat Cyrillus, iidem sunt, quos anonymus Auctor Tractatus Justiniani ad Mennam dicit ad se perventum esse serere origenianam doctrinam.

Nunc autem rogo, si revera praefati monachi profana Origenis dogmata profitebantur, quare a Facundo et Cyrillo hypocritae et simulatores dicuntur? Et quid sibi vult talis secreta et occulta erroris professio? Hoc manifeste indicat, monachos palaestinos (sicuti antea monachos nitrienses) in conspectu Ecclesiae, cunctis testibus, profiteri fidem catholicam; intus vero, in cordis illorum intimo, quo nemo, nisi soli Facundus et Cyrillus, unus schismaticus, alter illusus penetrarunt, haeretica profiteri dogmata, sicuti aliquando Theophilus ausus est perscrutari et damnare haereticam intimam monachorum aegyptiorum conscientiam.

De reliquo Macarius Hierosolymorum episcopus origenista haereticus dicitur; et ideo expulsus a sua sede. Attamen Theophanes scribit, Macarium legitime ordinatum episcopum per fraudem et calumniam (sedulo animadvertito) fuisse a sua sede expulsum, et ideo paulo post restitutum. V. Baronius sub an. 546. n. 71. Macarium vocat virum sanctum dono prophetiae ditatum; addens quae adversus eum dicta sunt, ex levitate potius quam ex veritate processisse. Eusebium Papam, quem Cyrillus haereticum origenistam vocat, Justinianus appellat virum Dei amantissimum; et Menna ipsius miratur sanctitatem. Theodorus Ascida occulta haeresi (imaginaria) Origenis infectus, pro acephalorum damnatione instat: deinde episcopus trium Capitulorum acerrimus hostis, Synodo V. subscripsit, perpetuo fidem catholicam professus. Domitianus monachus archimandrita acephalorum anathemati subscripsit: ac postea episcopus, cum a Cyrillo dicitur haereticus origenista, ut orthodoxus celebratur a s. Ephraemio sanctissimo et doctissimo viro. Nonnus e Leontio byzantino vir religiosus ac fere divinus celebratur, Nestorio et Eutycheti infensissimus. Et sic dicatur de ejusdem Leontii honoranda memoria inter orthodoxos Ecclesiae Patres.

Et ii sunt, qui a Cyrillo et Facundo dicuntur occulta Origenismi lue infecti. Et ii sunt, adversus quos deinde universus fere orbis christianus tantopere inclamavit, et usque modo clamat, magistrum et discipulos pietate et doctrina insignes probris afficiens iniquissimis.

Porro non est praetereundum, quod ait Stephanus Gobarus circa tunc excitatam de Origenis doctrina quaestionem in monasteriis Palaestinae, aliis pro, aliis contra eum pugnantibus monachis, ac praesertim de *palingenesïae* regenerationis et resurrectionis dogmate. Quare Origenis defensores orthodoxam et quidem jure illius doctrinam comprobarunt. Ceteri vero hostiles respuentes, veluti in praecedentibus dictum est, in Auctoris odium, eique patrocinantium, cumulum insimulationum congesserunt, atque per epistolam vel Tractatum Justiniano inscriptum vulgarunt: ubi apprime ignorantia et perfidia revelantur in damnationem praefatorum monachorum Origenis gerentium partes. (*)

Post haec, unde digressi sumus, ad Hieronymi aetatem revertamur. Qui, etsi undique Origenis et monachorum et aliorum his consentientium, fidei patefieret integritas, ac ceterorum irritus conatus contra probos viros, attamen in sua illusione perstans, cella bethlemitica occlusus, aliquot annis post scribens ad Principiam *De obitu Marcellae*, breviterque enarrans, quae sub Anastasio Papa supervenerant de quaestione origeniana, inquit: « De Occidentis partibus ad Orientem turbo transgressus, minitabatur plurimis magna naufragia. Tunc impletum est: *putas veniens Filius hominis, fidem inveniat super terram?* Refrigerata charitate multorum, pauci, qui amabant fidei veritatem, nostro lateri jungebantur, quorum publice petebatur caput etc. »

Et primum quoad turbinem, qui de Occidente usque ad Orientem transgressus, minitabatur plurimis magna naufragia: in his dictis et aliis hujusmodi Ruffinum, Joannem

(*) De ceteris conferatur Tomus IV. c. XXIV. ubi Evagrius Scholasticus narrat quomodo Theodorus Ascida coram Justiniano defendit monachos ejectos a monasteriis Palaestinae ob praesumptos Origenis errores, *injustitiam et impietatem vocans quod factum erat adversus eosdem.*

hierosolymitanum ac alios qui Origenis partes susceperant, arguit, quasi ipsi hanc tempestatem in bonorum damnum excitassent. Quod idem antea de monachis aegyptiis notaverat Theophilus.

Et quidem ego fateor, undequaque ob hanc quaestionem fidelium animos turbatos fuisse, in Italia, in Palaestina, in Aegypto praesertim et Constantinopoli. Sed tantumdem inficior, praefatos viros tanta provocasse scandala. Nequaquam Origenis defensores, cujusque regionis forent, cujusque gradus, tanti mali auctores dicendi sunt. Ast primus Theophilus hujus extitit tempestatis auctor; qui, refutatis jam a s. Pamphilo Origenis obtrectatoribus, eorumque libellis famosis una cum commentitiis erroribus, denuo e pulvere excitavit, eosqué eidem inscripsit, ut occasionem reperiret monachos ulciscendi sibi infensos, quemadmodum antea dictum est. Quos errores cum per epistolas Hieronymo communicasset, iste credulus ac malitiae ignarus Theophili, latine versos, in Italia, in Africa, in Hispania vulgavit, ubi prorsus ignoti erant. Non ergo monachi nitrienses, non Ruffinus, non Joannes hierosolymitanus, nec alter constantinopolitanus Ecclesiam mentesque fidelium turbarunt, et in partes sciderunt. Verum Theophilus primus hoc perpetravit scandalum, et deinde Hieronymus, per totum orbem tuba canentes adversus imaginariam Origenis haeresim, et haereticos fictitios: cum totus orbis eousque nesciverit, Origenem errasse; ac in medio ejus inveniri, qui praesumptos profiterentur errores. A Theophilo, rursus dicam, hujus scandali repetenda causa est. Et talis reapse Theophilus vocatus est ab Arcadio et Innocentio Papa ob ea, quae temere et impudenter gessit in Aegypto et Constantinopoli adversus monachos, his verbis: *totius orbis conturbasti regiones.*

Nemo porro miretur, quod Heracla excluso, Theophilum statui Origenis contradictorem. Non enim uti genuina cuncta complectenda sunt, quae narrantur in Actis s. Petri alexandrini, ac citatis in Tractatu Justiniani inscripto adversus Origenem. Ubi inter cetera haec notantur de isto et de Heracla: « Quid porro dicam, ait s. Petrus, Heraclam et

Demetrium beatos episcopos, quales tentationes sustinuerint ab insano Origene, cum ipse dissidia in Ecclesia sereret etc. »

Ratio autem dubitandi de istorum Actuum sinceritate oritur ex quibusdam notis praesertim circa Arium, quibus contradicunt Eusebius et Athanasius. Ibi enim dicitur an. 285. obiisse Theonas Alexandriae episcopus. Apud Eusebium tamen in Chronico notatur, hoc ipso anno 285. Theonam non defunctum, sed episcopatum suscepisse, ac mortuum an. 304. cui successit Petrus, post 12. annos martyrio coronatus. Praeterea Eusebius idem dissidia memorat inter Origenem et Demetrium, a quibus tamen excludit Heraclam discipulum Origenis; cui iste ab Aegypto discedens, commisit illius Scholae regimen. Eusebius et Pamphilus dissidia quidem memorant inter Demetrium et Origenem, sed ob alias causas supra citatas, non vero ob *sceleratam doctrinam,* ut legitur in dictis Actis.

Insuper in his Actis inducitur Petrus locutus de Meletio et meletianis, quos per litteras ab Ecclesia segregavit: « Quare Arius cum gemeret ob hanc damnationem, hoc sciens Petrus, ipsum Arium excommunicavit. » Athanasius vero tunc vivens Alexandriae, diaconus Alexandri hujus ecclesiae episcopi, inquit ab hac Alexandri aetate, meletianos, qui antea cum arianis continuo pugnaverant, inter se tunc convenisse. Quomodo ergo gemuit Arius ab aetate Petri ob Meletii damnationem, cum eo ipso tempore inter se dissiderent in proprii erroris institutione? Item Athanasius in Apologia contra Arianos, ait Petrum deposuisse Meletium plurimorum scelerum convictum. De Ario vero hoc silet. Ac praeterea s. Athanasius cum Eusebio inquit Arium cum suis excommunicatum fuisse primum post annum 323. cum non obtemperasset episcoporum definitionibus. Alias hoc idem docet s. Episcopus, quin unquam memoret alterum praesumptum anathematis Petri decretum Ario inflicti in hujus secundi confirmationem. Circumstantiae porro circa Arii fallacias ad Alexandri non vero ad Petri aevum referuntur ab eodem Athanasio.

Supra omnia porro horum Actuum falsationem arguunt dicta Socratis in Hist. Eccl. Libro I. c. III. exordium enar-

rautis et causas arianae haereseos: « Arius autem unus, ait, in presbyterorum numero, qui erant sub Alexandro in eo gradu locati, vir dialecticarum argutiarum minime ignarus, suspicabatur episcopum (Alexandrum) errorum Sabellii voluisse de integro in Ecclesiam introducere, contentionis studio incensus, ad opinionem, quae alteri Afri opinioni erat omnino contraria, deflectit: acerbe et aspere, ut videbatur, illis, quae ab episcopo dicta erant, occurrit, et affirmat: si Pater genuit Filium etc. » Praeclare igitur constat, non sub Petro episcopo exortam esse Arii haeresim, sed sub Alexandro: ac proinde si ista falsa notantur, quae anonymus Auctor Actorum martyris s. Petri dicit de Ario; pari jure quae narrat de Origene et Heracla inter falsa decernenda sunt, eoque magis quod nemo, ut dixi, illius aetatis hoc testetur. Quinimmo ex Theophili ipsius confessione in suis epistolis paschalibus eruitur, nullum ad suam usque aetatem comprehendisse hujusmodi *sceleratam doctrinam* in Origenis libris. Unde ergo scandala et dissidia, quae ideo perseverasse dicit Anonymus usque ad Petri aetatem? (*)

Quod vero in eadem epistola putat Hieronymus ob suppositam praevalentem haeresim, multorum refrigeratam caritatem, quasi plures Origeni haeretico patrocinarentur; subdam ego primum, non istorum refrigeratam caritatem, sed Theophili et aliorum, quos secum dolose traduxit ut pugnarent adversus innocuos et religiosos viros, uti ipse scribit Innocentius. Secundo, cum ait paucos suo lateri jungi, idem est ac diceret, plurimos sequi Origenem, ut vult, haereticum et paucos secum habere ipsius expugnatores. Haec ingenua confessio, huc redactis nuper expensis de vera quaestionis indole, sensu inverso, manifestissime indicat paucos tunc fuisse, qui Origenem et monachos nitrienses haereticos existimarent, ac plurimos, qui unum et alios facerent orthodoxos. Et hoc perhibet amplissimum testimonium discus-

(*) In his s. Petri Actis Demetrius, qui Origenem ab Ecclesia alexandrina excommunicavit, vocatur *beatus*; cum nulla tamen hucusque, quoad investigare potui, illius mentio occurrat in *Menais* graecorum.

sioni in prima Periodo expletae. Cum vero subdit s. Doctor, paucorum, qui fidei veritatem amabant, et Origenem oderant, publice peti caput, an merito vel immerito de illis dixerit, qui seducti a Theophilo et imperiti undique calumnias iniquissimas spargebant adversus episcopos, monachos ac fideles viros, et verae fidei propugnatores, sicuti praemisimus, prudentium consilio relinquo.

Verumtamen relate ad eorum plures, quos ait Hieronymus tunc Origenis secutos haeresim, ac relate ad paucos, qui eum refellebant, tantisper immorandum nobis est. Didymus, Evagrius, Ruffinus, Chrysostomus, Joannes hierosolymitanus, Palladius, Isidorus, Dioscorus, Ammonius, Euthymius aliique, tum Scripturarum scientia periti, cum in ordine hierarchico venerandi, atque pietate eximii, ea aetate in Ecclesia Catholica notissimi, de quibus superius satis dictum est, hi quidem a praefatis nuncupantur Origenis haeretici patrocinatores.

Ceteroquin quid sibi vult hujusmodi patrocinium? et qualis tessera fidei sectae origenianae? et quae specialia et haeretica Origenis dogmata, quibus communicasse dicuntur Palladius, Chrysostomus aliique quadringenti sancti viri, vel fere totus orbis, ut putat Hieronymus? Juxta Theophili et Hieronymi sensum, qui Origenis sectae addicti erant, in primis Christi divinitatem negarunt, asserentes nimirum: *quod Filius nobis comparatus, sit veritas: Patri collatus, mendacium.* Item: *quantum differt Paulus et Petrus a Salvatore, tanto Salvator minor est Patre.* Qui, veluti Origenes, docebant: *quia sicut Filius non videt Patrem, ita nec Spiritus Sanctus videt Filium.* Qui realem Verbi incarnationem refutarunt. Qui Deo omnipotentiam subtrahebant. Qui materiam Deo coaeternam tenebant. Qui carnis resurrectionis dogmati restiterunt, et illud adjicientes sphaericam formam in resurrectione assumptura esse corpora. Qui in seculo futuro aeternitati poenarum mentiti, aliquando reprobos et daemones, uti poenitentiae capaces, gloriae coelesti fore admittendos asserebant. Qui liberum arbitrium tollebant ab homine. Qui spiritus coelestes in animas hominum alternatim commutari dicebant, et hinc animarum fabulosum descen-

sum et ascensum commentati. Qui angelos rebelles e coelo dejectos et in animas hominum versos, poenas solvere in terra reatuum suorum in coelis admissorum, putabant. Qui alteram Christi redemptionem credebant. Qui existimarunt animam hominis per traducem propagari; et *metempsychoseos* dogmati favebant. Qui mundorum fingebant pluralitatem. Qui artem magicam adserebant. Qui litteralem divinae Scripturae sensum vel sustollebant, vel depravabant. Qui docebant dari in hac vita peccata quaedam homini irremissibilia. Qui nuptiarum sanctitatem profanabant. Qui christiana dogmata platonicae accommodarunt philosophiae. Qui praesumebant, vestes pelliceas, quibus indutus est Adamus post reatum, indicari corpus, quod antea non habebat. Qui per allegoriam cosmogoniam mosaicam evertebant. Hujusmodi perversa et absurda dogmata a Theophilo et Hieronymo professi dicuntur, quos citavi, sancti viri, et cum his multitudo fidelium, adeo ut, quemadmodum ait s. Doctor paucos secum haberet verae fidei zelatores, ceteros corripiens haeretica et impia ea doctrina imbutos.

Et quis credat reapse Joannem Chrysostomum, alterum hierosolymitanum, Ruffinum, Didymum, Evagrium et Ammonium cum reliquis hunc potuisse complecti ac propugnare monstruosum foetum errorum? qui simul omnes haereses et omnia vana ethnicae philosophiae systemata connectens, ab imo ad summum totum convellit Christianae Religionis fundamentum? Verumtamen accepta hypothesi, tot et tantos viros illusos fuisse, non tantum ex aliorum opinione probandum foret, sed et multo magis ex propriis libris, ex manifesta illorum sententia, et ex discipulorum suorum testimonio. Fortasse ex Evagrii, Didymi, Ruffini, Chrysostomi, Ammonii et sociorum scriptis eruitur indicium aliquod hujus nefandae confessionis? (*)

(*) In hoc loco nequeo me ab horrore continere ob quorumdam insaniam et audaciam, qui ineunte seculo sexto, postquam orthodoxam Origenis doctrinam de resurrectione et aeternitate poenarum in vita futura perverterunt in pravum sensum, sane ii somnolenti et deliri, nunquam vero Origenes, supra Evagrium quoque et Didymum

Praeterea in historia haeresum traditur haeresiarchas libros suos, nomine eis inscripto, in vulgus edidisse; ac suos discipulos magistrorum titulo et auctoritate usos, illorum placita exposuisse, vindicasse, actisque firmasse. Et usque huç documenta servantur, seu ab haereseos auctoribus vel a discipulis subscripta. Ex adverso in haeresi origeniana, quam tantos duces et tot discipulos reperisse dicit Hieronymus, saltem ut unus nuncuparetur velim, qui illam propugnarit, docuerit, scriptoque mandarit. Saltem nobis objiceretur unus discipulus, qui his impietatibus imbutus sit aliquando; ac proinde rogatus, magistri testimonium appellarit, defenderitque.

Sed apertius inquam: studeat modo nonnemo, sese ad vetera Ecclesiae monumenta recipiens, mihi objicere unum tantummodo virum haereseos origenianae discipulum, superaddita confessione cunctorum, quos jam citavi, errorum; et tunc victas dabo manus, et silebo. Nihilominus donec hoc non assequar éx authenticis monumentis, perpetuo instabo tum orthodoxïae Origenis, cum monachorum et quotquot pro eo pugnarunt vindex, fictitiam et imaginariam hanc statuens haeresim, eamque decernens quorumdam illusionis, aliorum ignorantiae, et ceterorum perfidiae opus in proborum perniciem inventum. Ideoque si ego nunc ab historiae sincerae amatoribus, a sanae criticae magistris, a filiorum reverentia erga suos in Christo Patres, causae origenianae

transtulerunt praesumpta perversa dogmata, hosque ideo vocantes *secretales foedissimos vanitatis origenianae, paganorum et fabulosorum deliramentorum magistros, graecanicas et monstruosas ineptias professos.*

Verum unus saltem apex in Evagrii et Didymi libris appareret; unde erui vel suspicari posset talia docuisse. Hos dico sanctissimos monachos, fidei sincerae cultores, eximiae pietatis exemplaria, aliorum duces in christianae perfectionis exercitio, angelicis virtutibus praeditos: et quos omnes antiqui Patres summa ante et post obitum prosequebantur veneratione. Rursus inquam, unum saltem vestigium in illorum scriptis occurreret hujus paganae doctrinae. Sed frustra in istis quaeritur: sicuti perperam in sinceris Origenis libris talia investigare conantur.

recognitionem invocavero, secundum justitiae jura id postulo, neminem afficiens injuria. (*)

Huetius porro ipse quoque miratus cur a Theophili aetate plures doctrina et pietate insignes tueri Origenem; nec tamen volens illos ut haereticos habere, distinctionem excogitavit inter Origenistas orthodoxos et heterodoxos. Inter orthodoxos numeravit Joannem Chrysostomum, Theotimum tomitanum episcopum, ac nonnullos alios. Inter hete-

(*) Hic autem praeterire nolo quod scribit s. Epiphanius de nonnullis, sua aetate notis, haereticis *origenistae* vocatis, nescius an ab Origene Adamantio vel ab aliquo alio ita dicantur. De quibus ex haeresi 63. n. 1. ait: « Horum haeresis ad Epiphanis dogma conformata videtur; de quo in gnosticorum secta sermonem antea fecimus. Iidem diversos ex vetere et novo Testamento libros adsciscunt: nuptias repudiant; neque tamen obscenis libidinibus modum ullum adhibent; adeoque omni genere spurcitiae et corpus suum et mentem, animamque contaminant. Quidam enim ex iis monasticam vitam specie ipsa profitentur; itidemque mulieres idem vitae institutum praeferunt. » Paulo post addit Libros quoque apocryphos ab iis acceptari, eosque de incesta illa sua venere gloriari, eamque audacter ac sine ullo pudore perpetrare. De hoc tantum his haereticis increpat s. Epiphanius, quod nil commune habet cum praesumpta monachorum haeretica doctrina; eoque magis cum et ab eisdem adversariis nitrienses monachi agnoscantur vita et moribus continentissimi: a quibus plane differunt, qui ab Epiphanio notantur cujusvis impudicitiae generis addicti.

Neque item cum nostra quaestione confundendus, quem Auctor Libri *Praedestinatus* c. XLIII. nominat Ampullianum haeresiarcham bithynium: « qui incurrit talem haeresim, ut diceret, omnes criminosos cum diabolo et daemoniis eousque in gehenna decoqui, usquequo puri redditi, possint inde mundi et immaculati egredi ad hoc, quod antea fuerant alieni a culpa, suo iterum Creatori restitui. Hic cum argueretur ab Ecclesia universali, coepit proferre libros Origenis, quos ipse vitiaverat, et dicere: *Ecce quia Origenes ita sensit, et praecipue in quatuor Periarchon libris*. Sed qui sani sensus est, et habet splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista, atque cognoscit, sicut si in stragulo coccineo pannos albos, aut cujusque alterius coloris, cernat adsutos. Quod ita esse s. martyr Pamphilus docet etc. »

rodoxos origenistas inscripsit Didymum, Joannem hierosolymitanum, Evagrium, Palladium, Ruffinum, Isidorum et complures Nitriae monachos. Quam et ego in Tomo III. admisi distinctionem.

Verumtamen gratis mihi nunc videtur assertum. Una enim horum fides catholica tam Chrysostomi, tam Theotimi, tam Palladii, tam Ruffini, tam Evagrii, tam Joannis hierosolymitani, tam monachorum nitriensium; et quotquot eis consensere, una fides erat: uti nulla intererat discrepantia inter eos quoad Origenis fidem, quam orthodoxam vindicarunt. Quod Chrysostomus et Theotimus jure putarunt de Origenis pietate in Ecclesia Catholica defuncti: idem et ceteri arbitrati sunt; quin tamen horum ullus praesumptos Origenis errores profiteretur. Sed catholice ipsi sentientes, pariter Origeni catholico patrocinati sunt. Et veluti Chrysostomus Theotimus et Ammonius, ita Ruffinus, Joannes, Palladius, Isidorus ceterique monachi nitrienses secundum Ecclesiae disciplinam perpetuo servatam, publicam exhibuerunt suae fidei professionem, ac una condemnarunt Origeni inscriptos errores. Item nec illi nec isti ullam passi sunt illusionem; nec ex animo dogmata propugnarunt unquam fidei apostolicae contraria. In pari versabantur conditione coram Ecclesia Christi: ac itaque mutuam sibi praestabant operam tam in propriam quam in Origenis defensionem.

Idem studium, eadem fides horum permovebat animum in hoc negotio adversus illius criminatores. Et sicuti haeresim detestati et sicuti veritatis catholicae zelatores, ita voce vel scriptis manifeste absque ambagibus quotidie et ubique sese exhibuerunt Origenis orthodoxi patronos. Quod quidem iidem accusatores confessi sunt aliquando; nec ullimode mentiri in propriam confusionem potuere. Quapropter isti cogebantur, veluti nuper dixi, non externam secundum Ecclesiae canones damnare confessionem, quippe catholicam; sed arcanam illorum conscientiam, soli Deo notam, temere investigare et anathematizare, non solum monachorum Isidori, Ammonii, Joannis hierosolymitani, Ruffini, sed et Chrysostomi et ceterorum, qui Huetio visi sunt aliqua excusatione digni. Ideoque non stat, quam existimavit idem Hue-

tius, differentia inter Origenis patronos orthodoxos et heterodoxos. Cuncti ex quavis regione et conditione forent, eamdem professi fidem orthodoxam, eamdem tenuerunt sententiam, genuina ejusdem scripta fuisse falsata, nec unquam ipsum applicuisse animum in quibusvis discussionibus, vel doctrinae apostolicae resistendi, vel ecclesiasticae traditioni, nec ideo jure ut haereticum anathemati subjiciendum esse.

Et hoc idem dicendum est de iis, quos Cyrillus monachus, Liberatus, et Facundus circa dimidium seculi VI. vocarunt origenistas idest haereticos, cum nec ab eorum scriptis, nec ab ipsorum confessione ne unum verbum quidem audierunt a doctrina catholica alienum, sive ab Ecclesia damnatum.

Si vero quis velit, ex his nonnullos in quibusdam errasse: non ita tamen eos errasse dicendum est, quod antea eadem docuisset Origenes, non ut haeresim instituerent, vel fidei nicaenae contradicerent. Ast, si sic erraront, proprii ingenii infirmitati hoc concedendum est. Vel aliter dicatur. Si pro Origene pugnassent ob peculiarem illius opinionem doctrinae catholicae infensam, sicuti palam constat in haeresiarcharum schola, quorum specialia haeretica dogmata a discipulis haereticis defenduntur: tunc concludendum foret, praefatos viros ejusdem partes suscepisse cujusdam sectae extra Ecclesiam instituendi causa. Nihilominus hoc illorum neminem traditur concepisse consilium. Verum, ut dixi, uno ore in hoc tantum incubuerunt, ut, prius se professi orthodoxos, Origenem quoque ab haereseos suspicione vindicarent. Nec unus sane reperitur ex omnibus illius defensoribus, qui aliquando ex conscientia senserit, vel docuerit, aut scripserit quidquam contra catholicam fidem. Ac itaque quod modo teneo in causa Origenis, perpetuo jure tenebo, tum monachos et quoscumque velis illius cujusque aetatis patrocinatores ab omni haereseos labe fuisse immunes: et quotquot dicuntur illorum accusatores, incipiendo a Theophilo, cum non valuerint de manifesto errore illos increpare, iniquissimum tulisse judicium in constitutionum ecclesiasticarum vituperium. Quod constitutionum ecclesiasticarum vituperium cunctos hodie necessario parteciparc di-

cendum est, qui adhuc perstant, arbitrati Origenem reapse fuisse haereticum, ac monachos ceterosque ejusdem defensores eidem communicasse haeresi.

Sed qui tandem fuere, et qualis illorum fides, qui ante Hieronymi aetatem pugnarunt adversus vel pro Origene, et qui ejusdem Doctoris aetate et postea usque ad seculum VII. item ei adversati sunt, vel patrocinati?

Qui antea Origeni obstiterunt, numerantur primi Porphyrius, Demetrius, ac simul valentiniani, basilidiani, marcionitae, deinde imperiti, et maledici, de quibus loquitur s. Pamphilus. His successere Apollinaris haereticus, Marcellus ancyranus et Eustathius antiochenus ambo dubiae fidei, quibus successit Theodorus mopsuestenus. Sino loqui de ss. Methodio et Epiphanio, qui etsi prius contrarii, tamen sententiam mutasse dicuntur.

Quos porro numero paucos ait s. Hieronymus sua aetate damnare Origenem, primus occurrit Theophilus (catholicus) vir improbus, et plures cum eo alii viri nequam, ac nonnulli episcopi ab eo seducti. Alter Hieronymus (in sua fide plane orthodoxus) ab ejusdem Theophili epistolis, quibus se totum credidit, illusus; ad quam illusionem secum compulit s. Augustinum, quantumvis uterque antea sicuti et Theophilus honorifice ut pium celebrarint Origenem: et postea alii eadem ac Hieronymus illusione capti. Circa aetatem Synodi V. inter Origenis oppositores vel maxime eminent schismatici trium Capitulorum defensores, et quidam monachi palaestini, Concilii chalcedonensis, ut videtur, hostes et doctrinae origenianae judices prorsus ignari.

Qui vero Adamantium orthodoxum defendebant, ab ipsius aevo et deinceps, cuncti Ecclesiae Patres citantur supra in Periodo prima censiti, et in his, qui a Theophilo et Hieronymo accusantur praesumptae illius haereseos patroni, inscribuntur. Deinde in seculo V. et VI. citantur scriptores graeci et latini, in quibus Socrates, Sozomenes, Theodoretus, Sedulius presbyter, Sollius Apollinaris, Auctor libri *Praedestinatus*, Synodorum ephesinae, chalcedonensis et Felicis Papae II. silentium, quum inter haereticos antea ab Ecclesia damnatos omiserint Origenis nomen ejusque asse-

clas: quod satis est. Ac demum omnes, qui pugnarunt adversus tria Capitula. (*)

Ideoque concludatur, cunctos, qui variis de causis Origenem refutarunt ab ejusdem aetate usque ad seculum VII. ad classem pertinere ethnicorum, impiorum, invidorum, perfidorum, imperitorum, haereticorum, schismaticorum, et bona fide illusorum. Ceteri vero, qui Origenem dogmatis catholici magistrum et in Ecclesia pie mortuum vindicarunt, cuncti ex priscis monumentis in Christi martyrum et confessorum coetum cooptantur. Quorum gesta et fides universim elucescunt sicuti in divinis scientia: et quorum libri sana doctrina conferti, hucusque manent pro se et pro Origene testes.



(*) Et hic repetendum est, quod jam notavi in Tomo IV. c. XXIV. ex Cotelerio *Monumenta Ecclesiae graecae* Tomo III. ubi inquit, Cyrilli historiam in vita s. Sabbae et Euthymii falsatam fuisse a Simeone Metaphraste. Haec porro falsatio apprime distinguitur ex narrationis confusione. Quam quidem confusionem confessus auctor ipse, asserit tamen se *ex superna visione* hanc confusam compegisse historiam. Quapropter non est ambigendum, origenistarum haeresim et eorum multitudinem, mediante seculo VI. evanescere inter visiones nocturnas ejusdem Cyrilli.

## CONCLUSIO

### *hujus et praecedentium discussionum.*

Jam instat nostrae disceptationis finis. Jamque patet nos adversus duos praesertim dimicasse Theophilum et Hieronymum oppositorum nostrorum antesignanos; quorum posteri morem gesserunt. Adversus Theophilum dico initiatorem quaestionis, antea a Pamphili aetate discussae et judicatae cum Origenis triumpho. Cui cuncti, ex praedecessorum exemplo, subsecuti Patres usque ad ipsum Theophilum subscripserunt, de Origene probe scientes, ut ipse ait, *alienum sibi esse omne*, *quod praeter fidem catholicam praedicatur;* ac neminem eousque illum nuncupasse haereticum, exceptis Methodio et Epiphanio, qui tamen resipuisse videntur. (*) Theophilum dico, qui hanc innovavit quaestionem praeter totius Ecclesiae expectationem, et ex privatis tantummodo causis; idest ob odium Isidori cujusdam sancti monachi, quem antea amore et aestimatione valde prosecutus erat: ac ambo, quod singulare est, pari reverentia Origenis scripta legebant. Theophilum dico, qui coram synodo Alexandriae coacta, legit errorum compendium Origeni adscriptorum et eorumdem, qui a Pamphilo refutati erant, nec ullimode ab Auctore admissi. Theophilum ajo, qui quaestionem criticam traducens in quaestionem dogmaticam, Origenem et monachos nitrienses ut haereticos damnavit, eosque a monasteriis iniquissime expulit; ac per epistolas perfido calamo exaratas, illusit non solum vulgo sed et sanctis viris, in quibus Hieronymo et Epiphanio. De Theophilo tandem loquor, qui ob tanta facinora et scandala, quae ex Origenis et monachorum quaestione in Aegypto, Constantinopoli et alibi orta sunt, ejus malitia et fraude patefactis, ab Innocentio Papa reprobatus anathematizatus est.

(*) In hoc loco et alibi Theophilum quaestionis contra Origenem initiatorem dixi, quamvis in Libro *adversus Haereses*, s. Epiphanius quibusdam annis antea ex Methodii libris citasset ac refutasset hanc praesumptam haeresim. Scandali vero principium extitit Episcopus alexandrinus.

Quae cum ita sint, quid prodest Hieronymo ad synodos appellare in Aegypto et Constantinopoli, instante Theophilo, adversus Origenem et origenistas, cum illarum acta irrita declarata sint? Quid prodest Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem et alibi monachos origenistas vocare verae fidei simulatores, mala germina, pestiferos, haereticos et ab episcopis damnatos, in quibus enumerat Ammonium, Eusebium, Euthymium, Evagrium, Or, Isidorum, et multos alios; quando paulo post Innocentius Papa certior factus eorum, quae in Aegypto et Constantinopoli Theophilus machinatus est adversus Chrysostomum et religiosos monachos (in quibus, speciali titulo commendans Pontifex, nominat Isidorum) cuncta decernit ex animo sanguinario et praeter canones esse patrata? Et quid juvit Hieronymum latine transferre, vulgare, celebrare Theophili epistolas synodalem et paschales, in quibus gesta narrantur synodi alexandrinae, ac in eisdem monachi nitrienses maxime, ut haeretici vellicantur, cum ex decreto Innocentii deletum sit haereticorum nomen his inflictum a Theophilo? Et quid profuit Hieronymo Theophili, cui se totum devovit in hac quaestione, zelus in persequendis monachis ut haereticis, quando paulo post ad eos confugit Patriarcha, ut pro se intercederent coram synodo Thessalonicae congreganda?

Et quid ultra profecit Hieronymus, tantum fiduciae collocans in Theophilo, eique in cunctis obsecutus, quae scripsit adversus Origenem? attamen lecturus pergens istius tractatus, ubi orthodoxa propugnabatur doctrina, accuratam praetermisit horum collationem, quae non erat omittenda, ne cum insano disputare videretur. Et quid inquam, ita profecit s. Doctor, nisi ut modo pium, modo impium vocaret Origenem: nunc orthodoxum, nunc haereticum; alias sapientem, alias stultum; nunc veritatis propagatorem, modo falsitatis: nunc christianum, modo paganum; nunc virum apostolicum, modo omnium haeresum condimentarium? adeo ut, sicuti nunquam Hieronymus cohaerentem sibi exposuit Origenis doctrinam, ita nec ipse s. Doctor unquam sibi constiterit in judicandis ejusdem libris et aliorum sanctorum virorum, qui pro eo et cum eo in Ecclesia Christi irreprehensibiliter se gesserunt.

Ac propterea quid profecerunt monachi palaestini, qui seculo VI. easdem innovarunt in Origenem accusationes ex falsatis suis scriptis redactas a Theophilo? Et quid profecere plerique successivae aetatis scriptorum ecclesiasticorum post seculum VI. qui inconsulto praebuerunt assensum eisdem commentitiis et tanto viro injuriosis insimulationibus? Et quid tandem proficient hodie adversarii Origenis, repetentes criminationes jam quindecim abhinc seculis discussas ac refutatas?

Interea ne mihi dicatur, quod vulgo praesumitur, non esse ab eo recedendum, quod antecessores, veteres Ecclesiae Patres, statuerunt circa hanc quaestionem, nec aliquid innovandum, quod obstet communi et inveteratae opinioni. Utique, dico, hoc staret, si reapse ita foret; idest si his antiquis Patribus non praecessissent alii antiquiores secus arbitrati, numero et auctoritate illis praestantes in hac judicanda quaestione. Uti a Periodi primi initio ostendi, non nisi a Theophili aetate talis commota est procella contra Origenem: cum ad centum quinquaginta circiter annos, omnes (testibus quoque Theophilo et Hieronymo) ejusdem memoriam reveriti sint; nec errans ipse sit nec haereseos magister habitus.

Quapropter, iterum dico, si ad causae origenianae recognitionem appello et hinc ad historiae emendationem, quid amplius postulo nisi Patrum nostrorum vindicias, perfidiae revelationem, innumerorum virorum doctrina et pietate praestantium patrocinium contra malevolorum insidias et aliorum simplicitatem et negligentiam? Nonne menti christianae consentaneum erit adversus iniquum aggressorem Theophilum factionis antiorigenianae ducem, incolumitati prospicere tot sanctorum famae? Alioquin quid incongruum reputabitur, siquando in defensionem innoxiorum hominum, quorumdam patefiat illusio praesertim ex aliorum improbitate provocata? Nunquid intempestivum fiet, etiamsi serius, innocentium jura propugnare coram Ecclesia; et praevalenti resistere opinioni, sententia illorum repudiata, qui Origenem suosque asseclas ut haereticos damnarunt, et aliorum vindicare studium, qui hos ut catholicos rite acceperunt?

Et quid sanctius, quam ab opprobriosa haereseos labe detergere viros quavis rationi venerandos, vita et moribus perfectam coelestis Patris sui praeferentes imaginem, sicuti extitere Origenes, totus monachorum nitriensium chorus, aliique pietate et doctrina incliti? Nonne delictum putabitur talis socordia filiorum erga Patres, conculcatam derelinquere et inultam istorum memoriam: quorum alii metu perciti adversariorum, alii exilio mulctati, alii variis vexati aerumnis, alii oppressi calumniis, alii praematura morte occumbentes, frustra tunc ob perversorum ambitum et incuriam principum, Ecclesiae Catholicae invocantes judicium, improborum cesserunt praepotentiae cum injustitiae triumpho?

Nonne ex hac negligentia summa infertur injuria pluribus Ecclesiae doctoribus, qui hucusque una cum Origene ob illam falso comprehensam regenerationem et restitutionem in pristinum, graecis *palingenesïa* et *apocatastasis* vocabulis expressam, mentiti esse existimantur perpetuis daemonum et reproborum poenis in vita futura: cum tamen nec Origenes nec ceteri ita unquam docuerint? (*)

Nonne ab hac segnitia injuria infertur doctrina et sanctitate conspicuis Ecclesiae Patribus, aetatem Theophili et

(*) Hic vero obiter repetatur testimonium discussum in Tomo I. ac erutum ex Dialogo Barsanuphii circa Origenis, Evagrii et Didyma errores. In hoc Dialogo, cum Barsanuphius praesumptos Origenis errores reprehenderet, in quibus de *apocatastasi* sive de *restitutione in pristinum* in vita futura, plures dicuntur ei restitisse, eique (et quidem jure) exprobrasse, quod non intellexisset hujus vocabuli sensum: « Περὶ δὲ ἀποκαταστάσεος de restitutione vero, inquiunt, aperte loquitur s. Gregorius nyssenus: verum non de hac, quam ipsi praedicant, nempe cessante supplicio, fore ut homo restituatur in id, quod prius erat, scilicet in puras intelligentias. At nequaquam dicit illud cessaturum et finem habiturum esse supplicium. »

Profecto, sicuti Nyssenus, ita et Origenes et ejus discipuli sub eadem significatione illud *restitutionis* vocabulum usurparunt. Et hoc amplissime jam ibidem ostendi: quamvis et veteres et recentioris maxime sint offensi, sincerum ignorantes hujus vocis sensum. Confer Gallandium in Bibliotheca Patrum sub an. 540.

Synodi V. degentibus, quibus hoc monstruosum errorum syntagma, omnium gentium scandalum, adscriptum fuit?

Nonne ab hac incuria obtenebratur decus Scholae alexandrinae, ab aevo apostolico institutae contra ethnicam philosophiam, ad provectionem Christi Jesu nominis, ejusque Ecclesiae propagationem? Et cujus fama per orbem diffusa celeberrimos ad se vocavit cujusque regionis et sectae fideles et infideles viros?

Nonne ex hac inertia inter dogmatis catholici hostes et hujus aetatis nostrae cujusvis generis neotericos provocatur scandalum: qui hanc fictitiam haeresim cum Theophilo et Hieronymo in Ecclesia tunc praevaluisse arbitrati, vel magis ac magis, divina veritate contempta, insolescunt in pravis suis consiliis et aberrationibus, cum tot et tantos praesumptos horum absurdorum dogmatum invenerint magistros?

Nonne item ex hac incuria insolescunt adversus Pontificatum Romanum, cum cernunt mulieris zelum (sed praeter scientiam) praeferri sapientiae, vigilantiae et auctoritati Siricii Papae; quasi iste homo simplex, nec satis cautus fuerit, ut decerneret impia dogmata Romae propagata; quae tamen foemina dicitur advertisse?

Nonne ex hac socordia Clerus romanus una cum Pontifice probris et ignominia afficitur? quando ipse (uti legitur in 33. epistola Hieronymi): « una conveniens in Urbe, Origenem damnavit non propter dogmatum novitatem, non propter haeresem, sed quia gloriam eloquentiae ejus ferre non poterant? »

Nonne ex hac oscitantia summa infertur injuria progressui scientiae criticae, quae hodie desidibus et incuriosis increpat, eosque ad novas disquisitiones urget: et quae undequaque persequitur sycophantas, et veterum sincerae historiae monumentorum falsatores?

Siquis vero per hanc apologiam putaverit Hieronymo speciatim fieri injuriam, qui in hac quaestione Theophilo viro fraudulento se totum credens, errore captus, perpetuo pugnavit adversus Origenem ejusque vindices. Nonne is homo erat? Nonne aliquando ipse de ecclesiasticis scriptoribus

locutus, apostolos semper vera dicere affirmavit? reliquos vero tractatores in quibusdam ut homines aberrare? » Et quid mirum, si ideo is ut homo in hoc aberravit, cum in ceteris et potissimum in sacris Scripturis exponendis Doctorem maximum praedicet Ecclesia? Nonne ejusdem Ecclesiae decoris magis interest, ut unus ex Patribus aliique postea cum eo et per eum dicantur illusi, quam tantos viros doctrina et pietate eximios, reos in judicium vocare ut impietatum magistros?

Ideoque ob oculos nostros huc denuo revocandum est, quod ab initio Tomi I. citavi, Gelasii Papae I. decretum *De anathematis vinculo*: « Erranti, ait, praefixa est damnationis poena . . . . Non erranti vero nec poena esse potest, quae non erranti non debetur inferri. Nec mutatur illa omnino; nec solvitur, quae debetur erranti. In suo ergo tenore illa praefixa est: in suo jure non potest omnino resolvi. In non suo tenore, quae esse non potest, jam docetur esse evacuata: et jus illic penitus non habere, ubi causam non habet existendi. »

Et hoc est quod ex praefatis discussionibus demonstratum est, ut jure evacuetur decretum damnationis Origeni inflictae, monachis aegyptiis, aliisque cujusvis aetatis, qui ad hanc usque diem Origeni patrocinati sunt. Non enim habet talis poena causam et jus existendi in iis, qui non erraront, nec erranti consenserunt.

Novissime absit, ut ideo in oblivione penitus deserantur Chrysostomi appellatio ad Concilium, et Innocentii Papae decretum pro Synodo Thessalonicae adunanda contra Theophilum; ubi et ejusdem Joannis et monachorum et hinc necessario ipsius Origenis quaestio pertractanda erat; cum et ante et post Innocentii obitum impedita fuerit tum ob Theophili ambitum, cum ob Italiae calamitates et maxime donatistarum schisma. Absit, inquam, ut in oblivione derelinquatur, quod jure meritoque Chrysostomus aliique pii episcopi pro se, pro monachis et pro Origene ab Ecclesia Catholica postularunt in perfidiae ultionem, in innocentiae tutamen, et in justitiae decorem.

Sed quid dico Chrysostomi appellationem ad Concilium,

et Innocentii Papae decretum pro synodo Thessalonicae congreganda in Origenis causae recognitionem? Non hi solum hanc postulant, sed et maxime instanter petunt ipsius scripta, peritissimorum virorum studio a falsis et apocryphis segregata: ubi catholica doctrina, vel satius inquam, Symbolum apostolicum explanatur, propugnatur, saepius innovatur: et per singulas ejus partes excutitur ab initio ad finem tanta animi alacritate, verborum perspicuitate, argumentorum robore, ac discussionum amplitudine, ut nemo ex priscis Patribus Origeni aequiparandus sit.

Et re quidem vera, quis inter primaevos Ecclesiae Doctores cum suis scriptis adhuc superstitibus, coram Patribus tridentinis ita alacriter se sistere poterit, non solum catholicam fidem summarie professus, sed et cuncta exponens ab eisdem decreta? Ecce ipse stat coram Synodo et ait.

Vos in Spiritu Sancto congregati, fidei professionem emisistis, dicentes « In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. » In hac confessione vobis praeveni ex Scholiis *in Matthaeum* c. XXVIII. 18. inquiens: Unus est, qui salvat, una est salus. Unus vivus Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Unus est non coitione trium, sed unica essentia: tres vero hypostases perfectae in omnibus et ad se invicem relatae. Κατὰ φύσιν secundum naturam genuit Pater; et propterea ὁμοόυσιος consubstantialis genitus est etc. »

Vos in Synodo unam Ecclesiam confessi estis sanctam, catholicam et apostolicam, extra quam non est salus. Et ego item quotidie credidi et confessus sum, *unam esse Domum Dei, Civitatem Verbi, Ecclesiam sanctam et immaculatam, extra quam nemo salvatur.*

Vos in Concilio docuistis utriusque novi et veteris Testamenti unum Deum esse auctorem: et librorum divinorum Canonem contra reformatores statuistis, horum numero definito. Ego autem veterum Patrum primus hunc eumdem Canonem, a traditione apostolica acceptum, confirmavi adversus judaeos et quorumdam christianorum dubia.

Vos apostolicae doctrinae inhaerentes statuistis Baptismi sacramentum conferri per absolutam invocationem sanctis-

simae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego autem item ab Apostolo instructus ( *Periarchon* Libro I. c. III. n. 2. ) didici : « tantae esse auctoritatis et dignitatis substantiam Spiritus Sancti, ut salutaris Baptismus non aliter nisi excellentissimae omnium Trinitatis auctoritate, idest Patris et Filii et Spiritus Sancti cognominatione compleatur; et ingenito Deo Patri et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus Sancti copuletur. »

Vos insuper adversus novatores docuistis ac anathemati subjecistis, quicumque dixisset, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi. Ego vero eumdem refutavi errorem ex Evangelistae dictis ostendens : « Joannis Baptismum expletionem esse veterum, non novorum inchoationem. Denique refertur in *Actibus apostolorum*, quod quidam ex discipulis, qui Baptismo Joannis fuerant baptizati, apostolorum sententia rebaptizati sunt in nomine Domini Jesu. *Quicumque* ( ergo ) *baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Requiras fortasse etiam hoc, quod cum ipse Dominus dixerit ad discipulos ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cur hic Apostolus solius Christi in Baptismo nomen assumpserit dicens : *quicumque baptizati sumus in Christo*, cum utique non habeatur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis. Sed intuere prudentiam Pauli etc. »

Vos item, quam contra schismaticos et reformatores, conjugii christiani quavis de causa insolubilitatem decrevistis, hanc pariter ego ex Christi institutione et apostolorum disciplina, quamvis nonnulli illusi secus putarent, firmiter propugnavi.

Vos in Synodo congregati, a Domino institutum decrevistis Poenitentiae sacramentum ; ac, etsi reluctantibus reformatoribus, integram peccatorum confessionem ( quod perpetuo tenuit Christi Ecclesia ) cunctis post Baptismum lapsis, jure divino necessariam esse dixistis. Et hanc ego quoque ab apostolis accipiens institutionem, necessariam docui ; et ex praxi rite servata, sive publica, vel et secreta forent peccata, coram fidelibus instituti, cuncta sacerdotibus declaranda esse ostendens : « Qui sancti sunt, dixi, pro peccatis

poenitudinem gerunt; vulnera sua sentiunt: intelligunt lapsus; requirunt sacerdotem: sanitatem deposcunt; purificationem per pontificem quaerunt etc. » Et alibi subdidi: « Etenim omni genere pronuncianda sunt peccata; et in publicum proferenda cuncta, quae gerimus; siquid in sermone solo, vel etiam intra cogitationem secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, proferri etc. »

Vos in Synodo, reformatorum illusiones refutantes, statuistis in almo sancto Eucharistiae sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum et hominem vere et realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Ego autem contra paganos hujus mysterii illusores, in quibus Celsum, quod ab Apostolo accepi, fideliter custodiens, ac interpretatus, idem credidi et professus sum, docens nos in hoc sacramento Christi Jesu corpore et sanguine realiter pasci et nutriri. Ac praeterea significavi, quanta reverentia a fidelibus Missae sacrificio adstantibus, *corpus Domini, corpus Verbi Dei, corpus Christi, carnem Verbi* sumebatur.

Vos in Synodo de sacramento Ordinis contra novatores decrevistis: « Siquis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. » Et ego quoque juxta apostolicam institutionem laicos rite segregavi a sacerdotibus, ac insuper varios Hierarchiae gradus distinxi, episcopatum, presbyteratum et diaconatum, aequam statuens in illis differentiam. Et ego ipse presbyter non nisi ex episcoporum mandato verbi Dei in ecclesiis ministerio fungebar.

Vos in Synodo adversus novatores decrevistis, in altera vita Purgatorium esse; ibique animas defunctorum detineri, easque juvari fidelium suffragiis. Ego vero praeter inferorum locum, ubi in perpetuum puniuntur reprobi (pro qua doctrina in obtrectatores meos illusos et ignaros pugnavi et adhuc pugno) et praeter coelestium sedem, ubi perpetua gloria coram Deo, et gaudiis aeternis cumulantur boni, alium sive tertium locum distinxi. Docens enim electam terram Judaeae umbram esse futurae sortis sancto-

rum in coelis, sumpta occasione, ex civitatibus refugii in medio illius regionis sitis, quo se recipiebant, qui ignoranter homicidium commisissent, ita et in coelis haberi docui: « Sunt enim (Homilia XXVIII. *in Numeros*) fortasse aliqua peccata, quae si proposito ac voluntate committimus, homicidas nos faciunt: et sunt alia, quae si ignoranter committimus, decernitur nobis, credo, et praeparatur ex praecepto Dei aliquis locus; ubi ad certum tempus habitare debeamus, siqui non voluntaria peccata commisimus: si tamen mundi inveniamur, et alieni ab iis peccatis, quae voluntate commissa sunt. Et ob hoc secernuntur quaedam civitates ad refugium. »

Vos in Concilio de libero hominis arbitrio, divinoque auxilio ad bene operandum necessario, decrevistis: « Siquis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. » Ego autem hanc eamdem doctrinam ab apostolis accipiens, admisi ac propugnavi: quamvis maledici mihi de hoc calumniarentur, et quamvis illusi et imperiti adhuc pergant in hac redargutione.

Vos in Synodo statuistis, bonum et utile esse suppliciter sanctos, una cum Christo regnantes, invocare. Ego autem ab Ecclesiae traditione discens, tum angelos cum beatos illorum spiritus, qui ab hac vita excessere, docui eos invocandos esse in salutis nostrae juvamen.

Vos in Synodo pariter adversus novatores decrevistis, ut episcopi docerent, per historias mysteriorum nostrae Redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis. Et hanc quoque consuetudinem jam servatam didici, cum in expositione c. IX. Ezechielis ex verbis *signa Thau in frontibus* etc. quidam ajebat vetera elementa sic litteram *Thau* exhibere, ut figuram Crucis referat, et esse vaticinium illius signi, quod apud christianos in fronte affingitur. Quodque fideles omnes faciunt, quidquid operis aggrediantur, ac maxime vel precum, vel sacrarum lectionum initio. »

Vos in Synodo statuistis catholicam doctrinam contineri non solum in Libris scriptis, sed et sine scripto traditionibus, quae ex ipsius Christi ore ab apostolis acceptae uti per manus traditae, ad nos usque pervenerunt. Et ego quoque contra eos, qui diverse de Christo sentiebant, didici et docui, veritatem talem esse credendam, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. Proindeque ex. g. quatuor Evangelia in Ecclesia admitti ex traditione accepi.

Vos tandem in fidei Symbolo carnis resurrectionem et vitam aeternam confessi estis. Et hanc fidem ego quoque tenui, hanc professus sum, et admodum laboravi in vanis pravisque conterendis haereticorum opinionibus adversus haec dogmata promotis. Ac non tantum in haereticos decertavi, sed etiam adversus fratres meos sive ignaros, vel malevolos: qui ideo mihi coram Ecclesia calumnias instruxere iniquissimas, quae hucusque perdurant.

Quamobrem toto coelo errant, qui putant aliquod me novum doctrinae systema concepisse in meis scriptis, vel in scholasticis institutionibus. Illuduntur novae germanicae scholae magistri (et hoc in dogmatis catholici detrimentum) in libris meis quidquam hujusmodi reperire arbitrati: quasi doctrina mea, neotericorum instar, inter philosophorum sectas collocanda foret extra Christi scholam, vel cum ipsis confundenda. (*)

Moderator Scholae alexandrinae a beato Marco institutae adversus ethnicam philosophiam, ea primum ac perpetuo prae oculis habui Jesu Christi verba: *qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, dispergit.* Et quidem ista sedulo meditatus, cum Christo congregabam et non dispergebam. Ac ideo ne unquam illuderer, adversus ethnicos philosophos et haereticos praesertim basilidianos, valentinianos, marcionitas pugnaturus veniens, ab initio hanc fidei professionem emisi: *Illa sola credenda est veritas,*

(*) Haec speciatim referuntur ad illos, qui in Origene novum quoddam ei proprium doctrinae systema comprehendunt; meque arguunt, quod istud neglexerim in meis discussionibus.

*quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.* Unde ergo istud novae disciplinae systema a me excogitatum?

Insuper neminem latet, quam caute et magno cum metu incedebam de illis disserturus, quae clara non videbantur in divinis Scripturis ac in apostolicis traditionibus. Undique librorum meorum hoc manifestum est, potissimum in *Periarchon.* Quare in Praefatione contra Celsum n. 5. «cum Apostolo obtestatus sum, qui, dum non ei latebat, multa esse in philosophia graecorum non contemnenda, imo quae tametsi falsa, specie tamen veri multis fucum facere possint, sic de illis loquitur: *Videte nequis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum.* Et cernens in sermonibus sapientiae hujus mundi videri quidquam magnificum, dixit, philosophorum illorum sermones *secundum elementa* esse *hujus mundi.* »

Ideoque nunquam desistens a sacris Scripturis, has praetuli philosophorum et maxime graecorum placitis. Et instans contra eumdem Celsum in Libro VII. n. 30. « *quae de terra sancta, idest de Christi regno,* dixi, *credimus; ea nos nec a graecis nec a Platone didicimus.* (*) Verum prae ceteris testimonium istud splendidum adversariis satisfaciet prolatum in Homilia II. n. 3. *in Librum Judicum*: ubi interpretatus Apostoli verba *ad Romanos*: *quia neque mors, neque vita... poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro*, ajebam: « *Sed Paulus hic est, qui haec potuit dicere: quia neque praesentia* etc. *Certe vel illud liceat a nobis confidenter dici, quia neque secularis literaturae amor, neque philosophorum sophismata neque mathematicorum deceptiones et astrorum simulati cursus, neque divinationes subreptitia daemonum fallacia commendatae, neque ullus omnino*

(*) Et quis ignoret Origenem illorum opinioni adhaesisse aliquando, qui putabant stellas esse animatas, nisi cum ex scripturis: *stellae non sunt mundae in conspectu ejus*: vel: *mandatum ego omnibus stellis praecepi,* visum sibi fuerit hoc probari posse, non vero ex philosophia? Nihilominus alias dubitat de hac sua sententia.

*praescientiae amor per ea, quae non licet, inquisitae, poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. An non totius gentilitatis error hinc accepit exordium?* Idcirco scribens ad Gregorium, hortabar ut *caute se ageret in gentium disciplinis vacando, ne forte in earum laqueos incideret. Plures enim dixi, qui postquam Legi Dei nomen dederint, cum externa philosophia versatos, ob quamdam cum ipsa initam affinitatem, a veritate decessisse.* »

His praemissis cautionibus pro me uti et pro aliis circa Theologiae christianae institutionem, non est dicendum, nec suspicandum quidem, me novum aliquod doctrinae systema introducere voluisse praeter illud, quod a Scripturis et ab apostolis traditum erat, et in Ecclesia eo usque custoditum.

Ac interim huic principio innixus, me nempe putare, credere et docere nolle, nisi quod Ecclesia docebat, veritus haereticorum et invidorum adversus me calumnias, scripsi ad episcopos et ad Fabianum Papam, huic exponens ac subjiciens, uti discipulus magistro, sinceram meae fidei professionem. Scripsi ad Fabianum, ejusdem pontificiam reveritus auctoritatem; non sicuti recentiores, qui eam contemnunt. Et cum ita scriberem, nunquam animo fingebam, me novum scholae, vel doctrinae systema ab apostolica institutione alienum erigere, siculi novatores. Quum reapse ipsi, non vero ego, vetera putent reformare, nova componentes systemata doctrinae Ecclesiae Romanae contraria. Ideoque sicuti veteres, ita et recentiores in imaginatione sua tantummodo conceperunt et concipiunt temere de me novum disciplinae genus ab apostolica traditione varium. Theologia mea ad verbum Dei seu scriptum, vel traditum perpetuo appellavit. Et philosophiam meam incessanter subjeci divinae Revelationi, et Ecclesiae Catholicae magisterio: ac quotidie uti discipulus coram tanto Magistro, in ea usque ad obitum perpetuo conversatus sum.

Et si hanc fidem professus sum, et si ita credidi; et si usque ad obitum perseveravi in hac confessione; quare ab Ecclesia Christi alienus fiam? Et si adhuc vivus ad Fabianum Pontificem appellavi; et ad ejus pedes per litteras submisi doctrinam meam, nihil scire cupiens, nihil sentire vo-

lens in mea confessione, nisi quod Ecclesiae Catholicae magister, Petri Apostoli successor sentiebat et docebat; et si ob hoc Romam usque ejusdem Petri Cathedram veneraturus aliquando accessi, quare nunc ab ea separatus decernar? Et si omnes discipuli mei, qui mihi usque ad obitum adstiterunt, inter martyres et electos computentur; cur ego solus, qui una cum illis Christi vestigia in meo corpore porto, inter reprobos numerabor? Et si cuncti episcopi, penes quos gessi praedicationis ministerium, testimonium perhibent fidei meae integritati, cur ego ab alienis, qui me nescieruut, nec doctrinam meam oretenus audierunt, neque scripta mea genuina legerunt, tanquam haereticus redarguar? Et si haeretici per me refutati, resipiscentes ad veram Christi Jesu Ecclesiam reversi sunt, cur ego ab ea reprobabor? Et si per me gentes Deo crediderunt et Christo suo, vitamque ideo assecuti sunt aeternam: quare ego cum incredulis aeternae perditioni destinabor?

Considerate quomodo insectatores mei Synodi V. acta pravarint. Cum enim in hac ii, qui pro tribus Capitulis decertabant, a catholicis episcopis anathematizati fuissent, illi in ultionem arma verterunt contra meipsum et patrocinatores meos, inter haereticos in ea Synodo damnatos, perfide et stulte intrudentes nomen meum. Cujus intrusionis in ipsis actis vestigia manent adhuc luculentissima, ut posteri sibi suadeant de fallaci et improbo illorum conatu, ac de injuria mihi inlata, qui jugiter in Ecclesia orthodoxe sapui, docui et scripsi.

Item animadvertite quomodo ante Synodum V. etsi, qui mihi insidiabantur obtrectatores, undique quaererent meae famae exitium, causae tamen meae patronos, sive eorum numerus consideretur, seu fides, vel nominis claritas, inspicite, quantum aliis praestent, qui mihi obstitere: et quam male isti, nonnullis exceptis, meriti sunt de Ecclesia Christi.

Aspicite sepulchrum meum Tyri. Cum enim omnium fere sanctorum veterum depositionis loca, aut oblivioni tradita sint, vel penitus diruta evanuerint; sepulchrum tamen meum adhuc manet: cujus magnificentiae vestigia, sepulti famam quoque testantur adversus suos obtrectatores;

ac honorem et reverentiam indicant, quibus cumulatus fui ab illius urbis et regionis habitantibus fidelibus ante et post obitum meum.

Sepulchrum meum hucusque superest, temporum calamitates vincens, ut aliquando illusi sapiant et intelligant, quam immerito reprobarint virum pie mortuum, Christique confessorem. Et istud sepulchrum manet sub protectione s. Joannis: cujus ecclesia illi monumento superstructa, ample testatur, qualis fuerit fides sepulti, pietas, et quale illius novissimum.

En ipse Evangelista, cui fideles dicarunt ecclesiam, per illos et per se mihi Christi discipulo testimonium perhibet; qui eadem fide, eadem caritate, eodem zelo ac illius erga magistrum suum Jesum, perpetuo flagravi: ac simul prohibet, quominus nomen meum profanetur inter gentes, et orthodoxa mea doctrina fideliter dictata, polluatur inter haereticorum impietates.

Demum considerate, quomodo oppositores cuncti vel haeretici, aut ethnici seu invidi inter se varient (quod omnium obtrectatorum est) in concinnandis adversus me reatibus; ac ideo inter se pugnent in propriam illorum condemnationem. Unus ex. g. dicit, me per Demetrium expulsum ab Aegypto, alias peragrasse regiones prava dogmata saturum. Alter secus ait, me Alexandriae comprehensum, ex magistratus ethnici jussu ad hanc fuisse necessitatem adductum, ut vel idolis sacrificarer, aut corpus meum aethiopis libidini offerrem; unde valde commotum me idolis potius quam hanc pati injuriam, adolevisse asserit. Alius inquit, hoc non Alexandriae factum esse, Severo imperante, sed multis annis post in Palaestina sub Decii imperio. Et cum nonnulli apostasïam ac perditionem meam perpetuam lamententur, alii me repraesentant poenitentem, et in ecclesia coram populo meos deplorantem errores. Alii item dicunt, me ad Fabianum Papam scripsisse, pravam doctrinam meam confessum ac resipiscentem, et quosdam accusantem, qui me ad errores compulerint. Et cum isti inter se de mea misera conditione disceptarent, alius, stultissimus vir, *libellum poenitentiae* compegit, mihique inscripsit: ubi narratur,

me defunctum apud inferos torqueri; cum tamen faterer, me invitum errasse, ac diabolum fuisse aberrationum mearum causam. Et cum inter cruciatus jam torquerer, angelos me pavere ajebat, qui poenis instant reproborum.» Nihilominus discipuli mei, noti mei cuncti, qui novissimum meum viderunt, vel a propinquis loco et aetate didicere, martyres et confessores, me in Ecclesia Christi pie defunctum confitentur unanimes. Et hoc sepulchrum adversus illos testimonium perhibet. Et non solum in eos vel illusos aut perfidos obtestatur; sed et adversus recentiores: qui adhuc gestire visi de mea perditione, contradicendi causa patrocinatoribus meis, undequaque etsi perperam, monumenta rimantur, interpretantur, enuntiant.

Porro cum rite causae meae recognitionem peto, eamdem necessario monachorum, et aliorum sanctorum Patrum ejusdem insimulationis participum, causae revisionem postulo. Una enim in me et in eos est criminatio; et unum igitur idemque defensionis jus est, quod a me postulatur; cui postulationi omnes prisci, exceptis Theophilo et Hieronymo suffragantur. Sicuti tantumdem pro iis merito peto, qui circa Synodi V. aetatem, eamdem passi sunt insimulationem, mònachi palaestini ac quidam episcopi orthodoxi, et ab omni haereseos suspicione immunes.

Post haec, si Origenes, monachi nitrienses, palaestini, aliique Ecclesiae Doctores et quotquot ipsius Origenis partes susceperunt, suae causae revisionem repetant, haud aliter Vigilius Papa et Justinianus imperator jure instant ipsi quoque pro causae suae recognitione. Nec enim unus, idest Vigilius unquam acephalorum haeresi patrocinatus est; nec intrusus, neque simoniacus Petri Cathedram ascendit; sed a Deo vocatus, canonice electus est ut Ecclesiam suam regeret. In cujus regimine sapienter prudenterque agens, condemnatis trium Capitulorum defensoribus, immaculatum se exhibuit ab omni culpa. Nec item alter, Justinianus nempe, praefatis acephalis consensit unquam, nec *incorruptibilium* errori obsecutus est; neque multo minus Ecclesiae Catholicae extitit infensus vel persecutor. Ambo coram vobis stant, Vigilius et Justinianus parem injuriam passi, quam an-

tea sustinuerunt Origenes et origenistae, cuncti simul calumniarum perfidorum, haereticorum, et schismaticorum victima.

Praeterea cum jure instem pro recognitione causae Origenis, monachorum et aliorum sanctorum Patrum, sicuti et Vigilii Papae et Justiniani, una peto historiae reformationem, ut ab ea deleantur tot ignominiosae notae sanctis viris inflictae, ut deleantur falsae delationes hypocritico zelo velatae, scripta notha refutentur, commentitiae narrationes, apocrypha documenta. Et quis ex. g. in historia Conciliorum ex Labbaei studio exacta cum notis et appendicibus usque ad ultimam Cardinalis Passionei Editionem, Vigilii Papae vitam et acta percurrens, non senserit, illam ut libellum famosum haberi potius quam encomium et apologiam Pontificatus?

Item quomodo ferendum est, quod hucusque narratur, incipiendo a v. Baronio usque ad novissimos rerum ecclesiasticarum historicos, de miserando Ecclesiae statu sub Justiniani imperio? ubi Princeps repraesentatur haereticus, Ecclesiae Catholicae hostis, Pontificum Silverii, Vigilii et Pelagii I. persecutor, episcoporum orthodoxorum vexator; ubi Papa Vigilius haereticus dicitur, intrusus, simoniacus, et in suis decretis instabilis; undique Ecclesia dissidiis lacerata; undique nestorianorum et eutychianorum sectis ferventibus. Hic acephali, illic origenistae haeretici (sic) praevalebant; undequaque scandala. Quibus demum addenda est *Incorruptibilium* secta, cui Justinianus addictus dicitur, ac in ea defunctus. Et haec omnia quidem asseverabant potissimum trium Capitulorum defensores: quorum auctoritati in omnibus cessere latini Historiae ecclesiasticae scriptores, uni ab aliis mutuati testimonium, ut simul pergerent in perpetua illusione; ac ideo inimicorum Ecclesiae Catholicae conatibus ad hanc expugnandam suppeditarent arma.

Et quis hoc patietur ulterius, sincerissimis usus et ipsius Justiniani et Pontificum et aliorum orthodoxorum documentis, quae omnimode obstant perfidis tria Capitula defendentium narrationibus? Miror sane, quomodo praefati scriptores Pontificum Romanorum neglexerint auctorita-

tem, cum omnes (in quibus praestat s. Gregorius Magnus) nemine excepto, tum coaevi cum immediate successores, Justiniani fidem catholicam celebrarint, cujus jugiter propugnator extitit et propagator. Nescio quare iidem illud luculentum transegerint testimonium eidem redditum ab Agathone in epistola I. ad imperatores Heraclium et Tiberium: ubi manifeste loquitur: « *Et prae omnibus aemulator verae et apostolicae fidei piae memoriae Justinianus augustus, cujus fidei rectitudo, quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum rempublicam christianam magnificavit. Et utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur: cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur* etc. » Item inquit in alia epistola subscripta a 125. episcopis, in qua Constantino, Theodosio et Marciano comparans Justinianum, *praestantissimum* hunc vocat: *cujus ut virtus, ita et pietas omnia in meliorem ordinem instauravit.* Et cum iste Papa ita loquitur de Justiniano post mortem, alter Vigilius circa an. 540. de ipso vivo ajebat: « Lumen evangelicae veritatis insertum cordi vestro per Dei gratiam, universali resplendet Ecclesiae. » Sed de his confer Tomum IV. cc. XXV. XXVI.

Nonne jure petam ut, ob falso ei inscriptam *Incorruptibilium* haeresim, deleatur illa ignominiosa nota ab ignobili et temerario calamo dictata, qua dicitur Justinianus in haeresi defunctus, usque ad inferos descendisse? Id enim omnimode contradicit tot Pontificum genuinis documentis de hujus Principis obitu in Ecclesia Catholica. Nec est insuper tolerandum ut dicatur cum praefatis scriptoribus, Christi Ecclesiam sub Justiniani imperio fuisse haeresibus laceratam, ejusdem unitatem dissolutam, orthodoxos vexatos, Pontificatum et Episcopatum in servitutem reductos. Vix enim e converso post Constantinum altera aetas huic Justiniani assimilari potest: cujus sincerum in Pontificatum Romanum obsequium, pro fide catholica zelus, pro Ecclesiae dilatatione et concordia studium, in profligandis haereticis alacritas perpetuo enituerunt; adeo ut haereses, nisi extinctae fuerint, in absconditis solummodo vigerent, nec caput illis erigere liceret; ac amplius Christi Ecclesia gestiret ob orientalis Episcopatus unionem cum occidentali.

Unde ergo tam nefandae insimulationes in Justinianum? Unde historici incauti occasiones reperere reprobandi hunc principem? nisi in laqueis capti schismaticorum, qui ob tria Capitula damnata, lugebant Ecclesiae cladem; cum ipsi soli cladis hujus auctores fuerint? Quamobrem non abs re Pelagius II. viginti circiter annos post, de eorumdem pervicacia conquestus, ad Eliam aquilejensem scribebat: « *Ecce in cunctis mundi partibus sancta et universalis Ecclesia unitatis suae radiis fulget. Sed tamen adhuc umbram vestrae divisionis sustinet. Ubique in fidei statu perdurat: sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat.* »

De ceteris, si hucusque ignorantia, illusio et perfidia tam in Origenis et origenistarum quaestione, quam in Vigilii Papae et Justiniani historia deplorandae sint; hoc autem maxime cernitur in quaestione trium Capitulorum. De hac sane quaestione dico, ubi in primis origo totius scandali et schismatis quod in nonnullis ecclesiis Africae, Superioris Italiae, Illyrici, alibique ad centum fere perduravit annos, omnimode repetenda est a Cleri illarum provinciarum ignorantia; ab historiae et linguae graecae imperitia inquam, sicuti amplissime patet in libris Facundi hermianensis, qui praecipuus habetur hujus schismatis auctor.

Et ideo idem Gregorius saepe in praefatis epistolis, Superioris Italiae et Illyrici episcopis increpavit, hos ignaros vocans, *cum nec, quae loquebantur, intelligerent, neque de quibus affirmarent.* De his conferantur discussa in Tomo IV. c. VIII. et praesertim cc. XV. et XVI. In quibus, sicuti et alibi, non solum ex s. Gregorii testimonio sed et aliorum qui praecesserunt, Pontificum, ostendi quidquid reapse factum est in Synodo V. et quomodo Vigilius et Justinianus et episcopi orientales et qui ab Occidente venerant, antistites, non ex metu, nec vi, nec promissis, sed ex intima conscientia consensere in tribus Capitulis damnandis adversus illorum ignorantiam et pervicaciam, qui ea defendebant: et quanto jure repulerint vana illorum argumenta.

Quapropter nescio, rursus dico, quare historici recentiores fere omnes, limpidissimis Romanorum Pontificum, et

aliorum scriptorum neglectis testimoniis de hac quaestione, schismaticorum Facundi, Liberati, Victoris ac celerorum hujus factionis participum cesserint auctoritati: ubi luculenter primum inscitia, deinde perfidia patent in Vigilii ignominiam, in Pontificatus Romani dedecus et in Ecclesiae Catholicae scandalum. A praefatis enim Pontificum obtestationibus saepe saepius repetitis, nec graecorum episcoporum ambitus, nec dubia eorum fides, nec Justiniani praepotentia, neque ejusdem ab Ecclesiae Catholicae doctrina defectio, nec violentia in Vigilium, nec multo minus hujus Papae simonia, intrusio, haeresis, vel animi sui inconstantia in tractanda trium Capitulorum quaestione, apparent.

Tandem, in totius operis conclusione, si forte nonnullis hic labor meus displiceat, aut secus offendantur, haud istud praetereundum duco, me in Origenis et discipulorum suorum, et Vigilii et Justiniani apologiam studiose incubuisse. Laboravi sane in Vigilii vindiciis, totamque animi mei erga eum sollicitudinem consummavi. In ejus enim persona, in ejusdem actis et fide, Christi Jesu Vicarium inspexi, Petri successorem, cui Dominus dixit: *pasce oves meas.* Et hinc nullius usus consilio nec impulsu, ex conscientia mea, uti discipulus erga magistrum suum, et uti filius in patrem, quoad pollerent ingenii mei vires, alacriter hoc opus aggressus sum.

Circa vero Origenis ejusque scholae apologiam, cum ab initio plures obstarent difficultates, ob varias de ipso invalescentes opiniones inter Patres et theologos, ita ut multa dubia mentem meam turbarent: ad has levandas anxietates, mense Julii anno 1861. adivi Summum Pontificem Papam Pium IX. eidemque hoc meum exposui propositum. Cui ille benignissime annuens, inter cetera haec subjunxit verba:

**SAREBBE UN GRAN BENE**

**SE SI POTESSE RIDONARE LA FAMA**

**AD UN TANT' UOMO**

# INDEX

## CAPUT I.



## CAPUT II.



## CAPUT III.



## CAPUT IV.



## CAPUT V.

# APPELLATIO AD THEOLOGOS

PRO

## RECOGNITIONE CAUSÆ ORIGENIANÆ

IDEST

***Origenes, monachi nitrienses aliique ejusdem vindices, orthodoxi viri, ab omni haeresi immunes, in albo sanctorum confessorum et martyrum inscripti, cum violatione legum canonicarum in Synodo alexandrina extra Ecclesiam facti ob quorumdam perfidiam et aliorum illusionem.***





# LECTIONES VARIAE

## COMMATIS IX. CAPITIS XIX. MATTHAEI

ERUTAE

AB ANTIQUIS PATRIBUS ET CODICIBUS GRAECIS ET LATINIS

DISQUISITIO CRITICA

PER ALOISIUM VINCENZI

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO LITTERARUM HEBRAICARUM

PROFESSOREM



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI
1869.

*Siquis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moechari que eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

*Concilium Tridentinum Sessione XXIV.*
*De Matrimonio Cap. VII.*



# PROLOGUS



Origenis mihi percurrenti commentarios *in Matthaeum*, ut singula notarem expenderemque, de quibus frustra ab adversariis insimulatur, in Libro XIV. n. 24. occurrit quaestio scribarum et pharisaeorum cum Jesu circa causas divortii inter conjuges. In hanc quaestionem cum sedulo incumberet, singula Evangelistae verba ex graecis codicibus notans, ad versiculum pervenit, ubi ita scriptum reperit: *Dico autem vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari*. Quamobrem Huetius, hac inspecta lectione, miratusque discrepantiam ab hodierna graeca el latina Vulgata, talia in notis subscripsit: « Hunc locum, qui apud Matthaeum extat cap. V. 32. confundit Origenes cum eo altero Matthaei XIX. 9. de quo agendum erat. »

Quamvis tunc aliquantulum animo penderem, num revera Origenes hunc versum confudisset cum altero descripto in c. V. 32. tamen cum secundum propositum, majoris negotii quaestiones animum meum ingererent, de hac supersedi. Nisi quod, omnium expleta, de quibus ab adversariis arguebatur Origenes, errorum disquisitione, denuo illuc intendi studium meum, sedulo in eo commentario causas perscrutatus, cur Adamantius in hoc capite XIX. 9. omisso textu graeco vulgato: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur*, hanc simplicem substituerit lectionem: *Dico autem vobis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari.* Vix enim suadebar, tantum Interpretem falli vel confundi potuisse in citandis divinis Scripturis; ac insuper discussionem praeteriisse unius testimonii; cujus sensus profecto non adeo patebat, praesertim relate ad doctrinam de conjugii christiani insolubilitate, quam ipse fideliter professus, coram judaeis et gentibus tantopere vindicavit.

Ideoque nolens ulterius Auctoris arguere illusionem in hoc citando testimonio, omissa Huetii opinione, suspicatus sum, Bibliorum codices, quibus usus est Origenes, aliam praetulisse lectionem a vulgato graeco et latino textu. Et hinc pro doctrina catholica de matrimonio sacro, utile mihi visum est, veterum graecorum et latinorum Patrum scripta et Bibliorum codices studiose perscrutari; si

forte origeniana lectio cum istis obtineret convenientiam.

Hoc autem eo lubentius explevi, quo validius per hanc recensionem expugnatur schismaticorum et reformatorum praetextus; qui huic commati maxime insistunt ad convellendum ecclesiasticum statutum de conjugio etiam ob unius conjugis adulterium indissolubili. Ajunt enim hoc Ecclesiae dogma de conjugii insolubilitate etiam ob adulterium, repugnare Domini mandato dicentis: *Ego autem dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* « *Ergo,* illi docent, *e contrario sensu, qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, et aliam ducit, non moechatur. Hoc certe luce meridiana clarius est.* Ita Martinus Chemnitius in *Examine Concilii Tridentini*, Libro XIV. et Petrus Arcudius Libro VII. c. VII. *De matrimonio.*

Interim vero cum hanc novam suscipiam recensionem, nemo putet me incumbere, ut refutem s. Augustini et aliorum recentium orthodoxorum interpretationem, hucusque acceptam: quacum docuerunt ex versiculo: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*, non esse inferendum absolutum divortium ob adulterium, sed tantummodo tori separationem. Hoc absit. Attamen cum heterodoxi huic firmiter obstent expositioni, eos rogo ut alteri accedant petitae a veterum Pa-

trum citationibus, et a quibusdam satis antiquis codicibus: ubi praedictum Matthaei testimonium cum variet a vulgato graeco et latino textu, magis dogmati catholico consonat illius sensus.

Priusquam vero Patrum de hac re disquirantur testimonia, loca notare praestat Matthaei, Marci et Lucae, ubi agitur de conjugio. Matthaeus in c. V. 32. scribit: *Ego autem dico vobis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Deinde in c. XIX. 9. subdit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Marcus in c. X. 11. 12. *Et ait illis: quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur.*

Lucas in c. XVI. 18. ait: *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*

Quater ergo Evangelistae Christi verba de connubio citarunt: nisi quod Matthaeus circumstantiam addiderit ab aliis variam, idest *excepta fornicationis causa.* Ob hanc autem locutionis differentiam inter Matthaeum et alios Marcum et Lucam, uti sequentibus discussionibus aptum, admodum facit, quod scribit s. Hieronymus ad Damasum Papam, Praefatione *in Evangelistas*: « Sin autem veritas est quaerenda de pluribus: cur non ad graecam originem

revertentes, ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt, aut mutata corrigimus? »

Idcirco si licuit Hieronymo ad graecam Evangeliorum originem reverti, ut ea, quae a vitiosis interpretibus male reddita fuerant, emendare, et a dormitantibus librariis addita, aut mutata corrigere: et si licuit ab aevo Caroli Magni hoc idem emendationis opus innovare, eisdem inspectis in Bibliorum codicibus aut ex amanuensium errore, vel ex haereticorum fraude, corruptionibus; et si deinde praeclari theologi Vega et Salmeronius aliique post Synodum tridentinam utile existimarunt sacrorum Librorum interpretibus ad fontes recurrere hebraeos et graecos, quatenus opus esset, ut quae Spiritus Sancti sensui et ipsis fontibus magis forent consentanea, assequerentur: et si licuit ex tridentinorum Patrum mandato, vulgatam Bibliorum editionem a mendis purgare, congregatione ideo theologorum instituta; et si omnes hucusque expositores hoc idem, inoffenso pede, expleverint in enucleandis obscuris Scripturarum dictis: licebit puto, et nobis in hac tanti momenti disquisitione ad veterum Patrum scripta recurrere et codices revolvere Evangeliorum; et, quae a transcriptoribus codicum addita videntur vel mutata, ad pristinam revocare lectionem.

His praemissis, in medium proferantur ipsorum Patrum dicta, a quibus hoc idem comma citatur,

ejusdemque sensus discutitur: ac potissimum investigando, quibus verbis citatum sit, et quomodo expositum, instantibus praesertim divortii absoluti patronis judaeis et gentilibus, adversus quos ideo dimicarunt; sicuti hodie ob eamdem causam a nobis cum schismaticis et novatoribus contenditur.



## CAPUT I.

*Hermas, Justinus martyr, Athenagoras, Ptolomaeus ex s. Epiphanio, Theophilus, Clemens alexandrinus.*

Hermas vir apostolicus in Libro II. *mandato* IV. *De dimittenda adultera,* scribit: « Domine permitte me pauca verba tecum loqui. Dic, inquit: et dixi illi: Domine, siquis habuerit uxorem fidelem in Domino, et hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir, si convivit cum illa? et dixit mihi: quamdiu nescit peccatum ejus, sine crimine est vir vivens cum ea. Si autem sciverit vir, uxorem suam deliquisse, et non egerit poenitentiam mulier; et permanet in fornicatione sua, et convivit cum illa vir, reus erit peccati illius, et particeps moechationis ejus. Et dixi illi: quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: dimittat illam vir; et vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur etc. » Ipse quaestionis titulus et discussio ab Herma exacta conjicere sinit hunc non legisse in v. 9. c. XIX. juxta vulgatam lectionem: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* etc.

Justinus martyr in Apologia I. n. 15. contra romanorum instituta, inquit peccatores haberi, qui duplex ineunt matrimonium, idest, vivente uxore, aliam ducunt: *qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur.*

Athenagoras *In Legatione pro Christianis,* ex Evangelio de nuptiis haec posuit verba: *quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur,* inquit Christus; nec eam dimitti sinens, cujus virginitati finem quis imposuit, nec aliam insuper duci. »

Ptolomaeus haereticus apud s. Epiphanium Haeresi 33. n. 4. de mosaica legislatione disserens, trifariam hanc dividit: cujus duas partes Moysi et senioribus populi tantum tribuit, tertiam vero Deo. In iis, quas Moyses populo dedit leges sine Dei interventu, numerat legem de repudio; ac ideo appellat ad c. XIX. Matthaei, ubi Christus ait: *Moy-*

*ses ad duritiem cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*, ut concludat: « aliam esse legem Dei, quae uxorem a viro sejungi prohibet, et aliam, quae ob duritiem cordis permittit divortium. Quare Moyses aliquid contrarium tulit Deo, qui vetuit dissolvi conjugium. » Ita disserens Ptolomaeus ex c. XIX. Matthaei absolute excludit divortium in Lege christiana: neque notasse videtur versiculum 9. sicuti legitur in graecanica vulgata editione.

Theophilus in Libro III. ad Autolicum n. 13. scribit: « Vox autem evangelica intentius de castitate praecepit his verbis: *quisquis aspicit uxorem alienam ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo.* Et *qui ducit dimissam a viro, moechatur.* Et: *qui dimittit uxorem excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

Si ex praemissis Patribus perspicue non apparet qualem lectionem exhiberent codices sacri in c. XIX. 9: manifeste tamen indicavit Clemens alexandrinus. Is itaque bis de nuptiis loquitur, in Libro II. *Stromatum* n. 37. et in Libro III. n. 7. in quibus speciatim dominica verba discutit de conjugii sanctitate adversus nefandas haereticorum opiniones, una propugnans illius indissolubilitatem. In Libro II. etsi non verbotenus, Scripturae verba citat: *non dimittes uxorem praeterquam quod super causam fornicationis.* Adulterium autem existimat (Scriptura) conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis. » In quo sermone statim solvit dubium, quod oriri poterat ex conditione *excepta adulterii causa*, ita absolute excludens a viro dimittente uxorem, licentiam alteram ducendi. Quae vero paulo post subdit: « *qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur,* inquit: *siquis* enim *dimiserit uxorem, moechatur ipsam*, hoc est cogit eam moechari » non ex Matthaei c. V. vel XIX. repetit, sed ex Marci c. X. ubi ait: *qui dimiserit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur super eam.*

Quamvis vero ex his non constet reapse a Clemente citari c. XIX. Matthaei; nihilominus in Libro III. ubi luculenter exponendam sumit quaestionem Christo oblatam a pharisaeis ex praefato capite: *si licet homini dimittere uxo-*

*sem quacumque ex causa*, subdit verba veluti portionem ejusdem: *qui dimittit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, cetera vero, quae intrusa videntur, omittens.

Et quidem Clemens adversus haereticos basilidianos propugnans sanctitatem matrimonii christiani objicit Jesu dicta: « Quid est, ait, quod Dominus quoque dixit eis, qui interrogabant de divortio, an liceat uxorem dimittere, cum Moyses id permiserit? *Ad duritiem cordis vestri*, inquit, *Moyses haec scripsit. Vos autem non legistis, quod protoplasto Deus dixit: eritis duo in carne una. Quare, qui dimittit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* »

Deinde paulo post in eamdem instans quaestionem juxta Evangelistae dicta, praetermittens discussionem commatis 9. secundum hodiernum textum subdit: « Illud autem: *non omnes capiunt verbum hoc; sunt enim eunuchi, qui sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum; qui potest capere capiat;* nesciunt, quod postquam de divortio esset locutus, cum quidam rogassent: *si sic sit causa uxoris, non expedit homini uxorem ducere*, tunc dixit Dominus: *non omnes capiunt verbum hoc*, sed quibus datum est. Hoc enim, qui rogabant, voluerunt scire, an, uxore damnata ob fornicationem et ejecta, liceat aliam ducere. » Quibus respondit Clemens negative, continentem laudans vitam tum ab exemplo quorumdam ethnicorum, qui variis de causis se abstinuerunt a mulieribus, et tum maxime ab Apostolo dicente: *alligatus es uxori, ne quaeras solutionem. Solutus es ab uxore, ne quaeras uxorem.*

Post haec si studiose Auctoris mentem perscrutemur in exponendis Matthaei dictis circa pharisaeorum et discipulorum interrogationem de conjugio, primum clare adstruitur Clementem, cum per omnia citet caput XIX. Matthaei, cunctis notatis hujus partibus, nequaquam in codice graeco legisse verba: *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Si enim talia in suo codice legisset, haud necesse ei fuisset, hoc omisso, alterum simplex testimonium repetere ex c. V. *qui dimiserit uxo-*

*rem suam excepta fornicationis causa*, et huc in c. XIX. 9. transferre pro argumenti sui discussione, cum abunde praefata ei sufficerent. Ceterum speciem fraudis adhibuisset Clemens ex suppositione, ipsum occultasse aut omisisse versum 9. hujus capitis, ut alterum introduceret ex cap. V. mutuatus: quod non videtur admittendum. Quapropter si Clemens hoc juxta Vulgatam testimonium praeterivit, non nisi hoc egit, quia in graeco suo codice et quidem in hoc c. XIX. deerat.

Secundo, quam subjecit Clemens, interpretatio in discipulorum dicta et Christi responsum *sunt eunuchi* etc. amplius confirmat ob oculos suos non fuisse posita verba v. 9. *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*. Cum enim ait discipulos (postquam de divortio locutus est Jesus, idest non licere post dimissionem uxoris aliam ducere; et quum ipsi subdiderint, rebus sic stantibus, non expedire conjugium) rogantes eum, voluisse scire an, uxore damnata et ejecta, liceret aliam ducere, minime supponit dicta v. 9. secundum Vulgatam: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur;* sed revera, quam praemisit genuinam, *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari*. Si enim Clemens paulo ante Domini responsum: *non omnes capiunt verbum hoc* etc. in suo codice legisset *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*, non scripsisset deinde simpliciter: *nescierunt discipuli quod postquam de repudio locutus esset Jesus*, sed addidisset *de alio conjugio*. Quam circumstantiam tamen non advertit Clemens. Ac ideo subdit discipulos haesisse, nescientes, utrum ob adulterium, ejecta uxore, liceret alias inire nuptias. Quod discipulorum dubium excludere videtur lectionem vulgatam: *et aliam duxerit, moechatur*.

Cunctis itaque collatis Clementis animadversionibus, concluditur codicem Evangelii, super quem concinnavit praefatas interpretationes de connubii christiani indissolubilitate, haud comprehendisse verba sicuti hodie prodit vulgatus textus sive graecus sive latinus; sed ea tantummodo praetulisse, quae occurrunt in c. V. v. 32. *quicumque dimiserit u-*

*xorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Et non solum in hoc et altero loco praetermittit textum vulgatum, sed nullibi librorum suorum, ubi plura citat testimonia tum ab Evangeliis cum ab apostolicis epistolis huic argumento apta, nullibi, dico, Matthaei dictum illis conditionibus expressum transcripsit.

Secundo, liquet eumdem Clementem, cum bis illam citavit Scripturam: *qui dimiserit uxorem suam* χωρὶς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, sequentia verba, *et qui dimissam duxerit, moechatur*, ne subdidisse quidem, ut ostenderet haec non pertinere ad Matthaei Evangelium, sed ad caput XVI. 18. Lucae praemissis magis accommodata.

Tertio deducitur, vocabula μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *non ob fornicationem*, quae in hoc notantur versiculo secundum hodiernam lectionem, cum extra Evangelistae vagantur syntaxim, prorsus ignorasse Clementem. Sed haec omnia manifestiora in sequentibus. Quarto demum eruitur vocabulo ἀπολύσις *dimissio* usum fuisse Clementem in sensu proprio secundum evangelicam significationem et extra synagogae sensum. Quare etsi dimissionem uxoris permitteret Dominus, non ideo licitum comprobavit alterum conjugium.



## CAPUT II.

### *Origenes.*

Nemo nescit quantum laboraverit Origenes tum in colligendis sacrarum Scripturarum codicibus, tum in conferendis eisque exponendis, adeo ut gravissimi momenti a nobis considerandа sit hujus auctoritas in commentario Matthaei ob illud, quod spectat ad quaestionem nostram. Ille enim in Tomo XIV. n. 16. juxta Veterem Interpretationem, pharisaeorum diluens interrogationem, qua coram Jesu institerunt dicentes: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* sicuti legitur in c. XIX. ejusdem Evangelistae, pro more suo et commatum serie ordinate pergit singula evangelica verba perscrutatus, et una cum littera etiam allegoriam quaerens. In quibus exponendis ad illud magnopere incubuit, ut mandatum dominicum de insolubilitate conjugii christiani, illibate servaretur a fidelibus, nec a synagoga illuderentur, nec a prava gentilium consuetudine; neque multo minus a seculi vitiis et infirmitatibus vitae praesentis, praetextum reperirent hujus solvendi vinculi, huc ideo collectis et explanatis, quae alibi notantur in priscis Scripturis et praesertim in apostolicis.

Ita exorsus Origenes a v. 3. *et accesserunt ad eum pharisaei tentantes eum et dicentes, si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* transit ad v. 4. 5. 6. *Qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et jungetur uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed caro una. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde eodem ordine incedens ad v. 7. 8. instantiam pharisaeorum notat dicentium: *quid ergo Moyses praecepit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.*

Postquam itaque Origenes verbotenus et secundum commatum seriem Evangelistae verba usque ad versiculum 8.

inclusive, citavit, seduloque excussit Christi responsum de matrimonii institutione, sanctitate, inviolabilitate, et insolubilitate ex Geneseos dictis : *et erunt duo in carne una* : *quod Deus conjunxit, homo non separet,* et hoc adversus pharisaeorum insidias; videbatur quam maxime opportunum, quinimmo necessarium eidem, non solum quoad interpretationis ordinem sed et rei perspicuitatem, a v. 8. pergere ad v. 9. *dico autem vobis* : *quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit moechatur* : *et qui dimissam duxerit moechatur.* In quo sane sermone ob illud quod antea tractavit Origenes, difficultas haud modica ei obsistebat, ita ut inde concludi videretur, admissa in conjuge fornicatione, solvendum esse matrimonii vinculum. Ac propterea ipse juxta expositionis inceptae seriem et ex suo interpretis munere ab hujusmodi Domini verbis rite explanandis et cum praecedentibus concordia instituenda se avellere non potuisset : aliter mancum fuisset opus.

Nihilominus Adamantius, omisso penitus commate secundum hodiernam graecam et latinam editionem, aliud substituit : *qui dimiserit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, inquiens : « Forsan audax aliquis et judaicus vir adversans doctrinae Salvatoris nostri dicet, quoniam et Jesus dicens : *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* permisit uxorem dimittere quemadmodum Moyses, quem retulit propter duritiem cordis judaeorum hoc praecepisse : et hanc ipsam inquit esse causam fornicationis, per quam juste uxor a viro dimittitur : secundum quam et Moyses praecepit dimittere uxorem, si inventa fuerit res turpis in ea. »

Itaque si Origenes in hoc capite XIX. singula v. 9. divina verba discurrens de demissione uxoris fornicariae, praetermisso vulgatae editionis commate, aliud substituit, manifestissime infertur ipsum non legisse in codice graeco Evangelistae dominicam sententiam : *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur.* Et si insuper consideretur Interpretis cura in conferendis illius aetatis codicum discrepantiis, cum de hoc versiculo 9. quem

ipse exposuit, nullum alicujus varietatis apposuerit indicium, (sicuti notavit aliquando in percurrendo Evangeliorum manuscriptis) amplius excluditur recentiorum codicum lectio uti interpolata, altera antiquissima accepta.

Quamvis autem hucusque supra Origenis interpretationem discussa validum suppeditent argumentum dubitandi de hujus v. 9. sinceritate juxta editionem vulgatam; nihilominus non est silendum, quod veteri Interpretationi latinae hujus commentarii in fine expositionis commatis 8. insertam fuisse verborum portionem, quae citantur in v. 9. lectionis vulgatae: *dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur.*

Haec autem intrusa fuisse a quopiam latino amanuensi demonstratu haud arduum est. Et primum quod in graeco textu (cui hoc in loco Vetus Interpretatio commentarii Origenis *in Matthaeum* prorsus convenit) desiderentur. Secundo, et hoc potissimum, quod antecedenti repugnent sermoni et consequenti. Repugnant sane antecedenti; nam Origenes ibi immediate eos, qui, vivente conjuge, alias permiserunt nuptias, aperte increpat, dicens adversus ea facere, quae ab initio scripta fuerant, idest: *erunt duo in carne una*, ubi desinit sensus et cessat discussio Interpretis de conjugii insolubilitate. Interpolator autem putans confirmare propositum, post verba *adversus ea, quae scripta sunt ab initio*, absolute subjecit: *dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur;* quae verba contradicunt praemissis et locutionis ordini. Non enim in praemissis inducitur locutus nec Dominus, nec Evangelista in Christi nomine, ut deinde sequatur: *dico autem vobis* etc. Sed loquitur Origenes, eos corripiens qui divortium permiserunt adversus ea, quae ab initio scripta sunt: *ab initio autem non fuit sic.* Ceterum ab initio non fuit scriptum: *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis* etc. sed scriptum est: *et erunt duo in carne una.* Unde constat citata verba: *quicumque dimiserit* etc. surreptitia haberi: eoque magis quod nulla ex formulis, *inquit Dominus, ait Evangelista, scriptum est,*

praecedat prope Interpretis morem in divinis citandis Scripturis.

Repugnat autem amplius consequenti haec additio: nam Origenes contra superiorem discussionem de conjugio insolubili ab eo exactam, statim adversariorum oppositionem similem retulit scribens: « Forsan audax aliquis et judaicus vir adversans doctrinae Salvatoris, dicet quoniam et Jesus dicens: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*: » Quae verba confusa cum aliis: *dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit moechatur*, majorem difficultatem intulissent proposito Interpretis, ac ideo pro disserentis scopo et sermonis ordine jungenda forent et simul diluenda in omnibus suis partibus. Quod tamen nec antea nec postea explevit Origenes. Verum tantummodo ad alterum incubuit testimonium: *quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, saepe repetitum eisdem verbis, eodemque sensu adversus hodiernam graecam et latinam lectionem et adversus hanc additionem intrusam in veterem latinam illius commentariorum Interpretationem.

Attamen Erasmus roterodamus in editione Operum Origenis probe sentiens praefata verba: *dico autem vobis*, etc. ( quae addita probavi ab amanuensi in fine paragraphi 23. ) non convenire sermoni praecedenti, terminum discussionis Origenis obsignavit post locutionem: *quae ab initio fuerant scripta*: et id jure perfecit, veluti praenotavimus. Nihilominus ea genuina reputans, transtulit ad sequentem paragraphum 24. ita: « *Dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur*. Forsitan audax aliquis et judaicus vir adversans doctrinae Salvatoris nostri, dicet quoniam et Jesus dicens: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, permisit uxorem dimittere quemadmodum Moyses etc. »

Verum in hac hypothesi magis errat et confunditur sensus Interpretis. Non enim suscepit Origenes discutiendum illud primum testimonium, sed secundum. Insuper nec lo-

cutionis convenientiam unius cum altero inspicies. Cum enim subdat Origenes: *forsitan audax aliquis et judaicus vir* etc. inconsideratum reliquit primum, quod majori putabatur expositione dignum; ac praeterea utrumque in se quamdam continebat sensus varietatem minime ab Interprete transigendam. Aliud namque est dicere: *dimittens uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam ducens moechatur*. Et aliud est dicere: *dimittens uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*. Aliud quidem est *moechatur*, et aliud, *facit eam moechari*.

Ideo cum plane constet in duobus testimoniis incoherentia adeo ut simul in uno commate jungi nequeant, necessario ex serie commentarii diligenter ab Origene elaborati, excludendum est primum tanquam absonum non solum a contextu Evangelistae, verum etiam a sequenti discussione Interpretis n. 24. Ubi instans supra genuinum, quem defendimus Matthaei textum (altero excluso) de conjugii insolubilitate adversus pharisaeos, praemisso versu 8. *ab initio non fuit sic*, statim subdit v. 9. « Post hoc autem Dominus non permittit propter aliam aliquam culpam uxorem dimittere, nisi propter solam causam fornicationis, dicens: *quicumque dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* » Et super haec verba pergit ostendens, quot modis intelligatur, quibus vir moechari faciat uxorem; quin alterius intrusi testimonii sensum exprimat: et amplius statuens, etsi a viro ejecta uxore ob hanc et alias causas, tamen ea ipsa vivente, maritum absolute adulterum haberi, si alteram duxerit. Unde consequitur ignorantia, vel et malitia cujusdam amanuensis, qui defectum testimonii Matthaei secundum hodiernam lectionem in commentario Origenis supplere putavit, furtive introductis in versionem latinam commentarii, quae veteres Bibliorum codices graeci et latini merito praetermiserunt.

Demum cuncta librata Adamantii in hoc loco discussione ejusque pervestigatis libris, concluditur, ipsum nullibi citasse Matthaei testimonium c. XIX. 9. secundum vulgatam editionem: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam du-*

*xerit moechatur.* Sed simplicem notavit sententiam: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Secundo cum quater ea dicta appellaverit, nunquam eisdem subjecisse hemistichium: *et qui dimissam duxerit, moechatur.* Tertio pariter infertur vocabula *μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ non ob fornicationem*, interpolato huic versiculo inscripta, a codicibus graecis illius aetatis penitus abfuisse. Quarto, cum Origenes non virum dimittentem uxorem fornicariam damnet, sed qui hanc dimittens, aliam ducit, ideo et ipsum constat dixtinxisse jus *ἀποστασίου* repudii uxoris a jure aliam ducendi ex parte dimittentis. Unde ostenditur illum usurpasse vocabulum *repudium* vel *dimissio* in propria significatione secundum mentem Christi seorsim a lato et improprio usu synagogae et gentilium.

## CAPUT III.

### *S. Gregorius nazianzenus et s. Basilius.*

Nazianzenus in Oratione XXX. peculiari studio enucleandam sumit quaestionem pharisaeorum cum Jesu ex eodem c. XIX. Matthaei, et ait: « Quid postea, et *accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumquē ex causa*. Adhuc de matrimonio quispiam eum, qui tentari non potest, qui matrimonium creavit, qui ex prima causa universum hoc hominum genus condidit, percunctatur. Ipse autem respondens, dixit eis: *non legistis, quia is qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos?* . . . .

« Enim vero Lex omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes causas, *ἀλλὰ συγχωρεῖ μὲν μόνον χωρίζεσθαι τῆς πόρνης* sed permittit tantum separari a fornicaria. Cetera autem omnia jubet aequanimiter tolerare; fornicariam vero nequaquam, quia corrumpit genus. Alia quidem feramus patienter et sapienter. Magis autem sapienter et moderate ferte, quicumque matrimonii jugum subiistis. Si illitos fuco et cerusa colores et pigmenta perspexeris, eam hoc ornatu spolia: si procacem et petulantem linguam, coerce: si meretricium risum, tristem effice: si sumptum aut potum immodicum, contrahe: si intempestivos progressus, constringe: si oculum elatum atque suspensum, reprime. At eam ne temere a te divellas et abstrahas. Incertum est, utra pars in discrimine versetur: ea ne quae secat, an ea quae secatur. *Fons aquae*, ait ille, *sit tibi proprius: nec ullus extraneus tecum sit particeps. Pullus gratiarum tuarum, et cervus amicitiae tuae consuetudinem vitae tecum habeat.* Quocirca tibi cavendum est, ne fluvius alienus efficiaris: atque aliis potius placere studeas, quam uxori tuae. Quod si alio fertur cupiditas tua, *καὶ τῷ σῷ μέλει νομοθετεῖς τὴν ἀσέλγειαν· οὕτω μὲν ὁ Σωτὴρ*, etiam parti tuae praescribis impudicitiam: ita quidem Salvator. Quid igitur pharisaei (discipuli): *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* etc. »

Circa hanc s. Gregorii discussionem notandum est primum, cum ait Christum permisisse separationem ab uxore fornicaria, quia genus corrumpit, cetera vero vitia ejusdem patienter ferre, nequaquam inde concluditur, hujusmodi separationem ab uxore ob adulterium, praebere viro dimittentis jus novum ineundi conjugium. Hoc non vult s. Doctor, ut ex praemissis patet; ubi aperte legum humanarum pravitatem erga divortium exprobrat, et Moysis tolerantiam notat ob cordis hebraeorum duritiem in hujusmodi negotio, initium repetens generationis humanae: *et erunt duo in carne una*: et ubi amplius dissuadet secundas nuptias etiamsi licitas post unius conjugis mortem. In quo casu non est praesumendum s. Gregorium comprobasse divortium ac una novum conjugium, vivente adhuc uxore quamvis adultera, cum alterum reprobasset connubium post unius obitum.

Istud autem magis patefiet, eorum scopo investigato, quae deinceps discutit s. Episcopus juxta seriem narrationis: « At Christus, inquit, non ob omnes causas libellum dat repudii; sed permittit tantum separari ab adultera. » In qua locutione respicit verba: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Si enim Nazianzenus in Evangelii codice legisset: *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* etc. non se continuisset asserens, esse dimittendam uxorem non ob quaevis vitia, sed solummodo ob adulterium, eo quod genus corrumpat; ast post separationem indictam ob conjugis adulterium addidisset, quomodo intelligenda forent, quae sequuntur, *et aliam duxerit, moechatur.* Nihilominus hanc secundam partem commatis 9. ejusque discussionem omisit s. Doctor.

Quapropter paulo post super illud, cui vacabat, genuinum testimonium instans de dimittenda uxore adultera, in ceteris vero casibus esse retinendam, de his rationem reddit ob discrimen, cui se mancipassent, fornicandi sive maritus, qui secaret matrimonium, sive uxor a viro secta. Ex. g. si vana fuerit uxor, si petulans, si ebrietati proclivis, si in incessu impudens, eam cohibe. Attamen ne temere evellas a te, ne dimittas eam: hos uxoris defectus patienter fe-

ras. *Incertum est utra pars in discrimine versetur, ea ne quae secat, an ea quae secatur.* Veluti diceret: uterque enim conjux idest qui dimittit, et quae dimittitur in discrimine versatur adulterandi, cum unus ab altera separatus fuerit. Secus autem erit, inquit, si maritus a se evellat uxorem adulteram, quia genus corrumpit; ne et fiat particeps pravitatis illius, quin tamen alterius mulieris conjugium quaerat. Ac ita pergit ostendens virum, uxorem dimittentem eo quod fornicata sit, non esse causam adulterii illius, si deinde ipsa peccaverit, cum jam ob idem flagitium eam a se amovisset.

Interim vero s. Gregorius hortatur maritum ut castum et benevolum se gerat erga conjugem: « *Tu ergo ne fias fluvius alienus, neque aliis placere studeas: si autem alio transferaris, etiam parti tuae praescribis libidinem.* Quasi diceret: ne des uxori tuae adulterandi occasionem, alienas mulieres concupiscens. Ita enim agens etiam parti tuae idest uxori tuae praescribis libidinem, ut ipsa quoque moechetur, et ipsius fias adulterii reus. In quibus verbis respicit et concludit Christi sermonem ex v. 9. *facit eam moechari,* quin cetera citet nec discutiat dicta: *et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Sed ex adverso statim subdit ex versiculo 10. Quid igitur discipuli? *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere* etc. Et hoc idem docet in duabus epistolis ad Verianum et ad Olympium: ubi, atque alibi non apparet textus vulgatus, de quo disputatur.

Haud aliter a s. Gregorio s. Basilius frequenter disserens de conjugiis, apta ex Scripturis colligit testimonia. In epistola II. Canone 48. ex Matthaeo ait: *quicumque dimiserit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνέιας *excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* celeris praetermissis additionibus. Item in epistola I. Canone 9. citat Marci sententiam c. X. *quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Similiter in epistola III. Canone 77. Lucae oraculum repetit c. XVI. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit moechatur: et qui dimissam a viro duxerit, moechatur.* Unde concludit cum Apostolo I. ad Corinthios c. VII. ex Domini mandato: *uxorem*

*a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ex praemissis citationibus cum Matthaei, Marci, Lucae et Apostoli de connubio christiano citet testimonia, nullibi apparet comma 9. Matthaei ex c. XIX. secundum textum graecum vulgatum. Sed aliter sequitur veterum Patrum graecorum praemissam lectionem.

Post hoc non est omittendus liber eidem Basilio nuncupatus et inscriptus *Regulae Moralium*: ubi textus citatur juxta vulgatam graecam editionem. In regula 73. *de iis qui matrimonio juncti sunt*, legitur.

Titulus I. *Quod vir ab uxore, aut uxor a viro non debeat separari, nisi quis deprehendatur in fornicatione, aut pietati sit impedimento.*

Caput I. dictum est autem: *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, moechatur. Siquis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus . . . . Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit moechatur.*

Titulus alter: *quod non licet dimittenti uxorem suam, aliam ducere: neque dimissam a viro, ab alio duci uxorem.*

Caput II. Dico autem vobis: *quia quicumque dimiserit uxorem suam ἐι μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Attamen si accurate ponderetur s. Doctoris mens ex praecedenti libro *De fide* n. 6. et amplius collatis, quae in utroque Titulo speciatim indicavit, manifesta eruitur apocryphïa eorum, quae subsequuntur inscripta *Capita*, alium quam Basilium repetentia auctorem. Item inde constiterit interpolatio sensus Tituli I. et II. per Anonymum expleta in dictis Capitibus. Qua sane sublata interpolatione, analogia consequetur Auctoris in hoc libro cum discussionibus exactis in tribus epistolis, sicuti cum s. Gregorio aliisque priscis Patribus de recta lectione et sensu Evangelistae in praemissis testimoniis.

Et primum quoad *regularum moralium* ordinem, in fine dicti tractatus *De fide* n. 6. scribit Basilius: « Cum de his quae ad sanam fidem pertinent, satis pro tempore in superioribus a nobis dictum fuisse putamus, jam *Moralia*, quae promisimus in nomine Domini nostri Jesus Christi tradere conemur. Quaecumque igitur hactenus sparsim in novo Testamento aut interdicta aut probata invenimus, ea pro nostra virili parte in *regulas* quasdam compendiarias, quo facilius intelligerentur, colligere curavimus, apposito ad singulas *regulas* numero etiam capitum Scripturae, quae in qualibet *regula* continentur, sive ex Evangelio sumpta sint, sive ex Apostolo, vel Actis: ut qui *regulam* legerit, numerumque ei appositum viderit ex. g. primum et secundum; deinde accipiens ipsam Scripturam, et investigans caput praedicti numeri, sic invenerit testimonium, secundum quod *regula* confecta est. »

Ex hac Basilii declaratione plane constat ipsum non descripsisse verbotenus sententias scripturales cuivis *regularum* consentaneas ac per capita indicatas, uti nunc in editionibus inspicitur, sed tantummodo *regularum* titulos, sensum genuinum singillatim comprehendentes Bibliorum novi Testamenti, apposito numero, ut dignosceretur divinum testimonium unde *regulae morales* desumptae erant: ut quisquis pro lubitu fontem adiret et consuleret. Itaque *regularum* Tituli opus s. Basilii jure habentur. Capita vero, quae sequuntur biblicis expressa testimoniis, additamenta tenenda sunt cujusdam anonymi; qui serius commoditati inserviens lectoris, Scripturae textum introduxit secundum lectionem codicis, quem prae manibus habuit, ab eo varium, quo usus est Basilius: unde factum est, ut istius confunderetur sensus de connubii christiani insolubilitate.

Reapse, amotis, quae subsequuntur in primo et secundo Capite, intrusis Scripturae testimoniis, ac genuinis acceptis, quae in Titulo 1. et 2. continentur, quamvis in utroque titulo de eadem re agatur, nihilominus unusquisque eorum specialem intuetur scopum. In primo enim Titulo notatur separatio conjugum sive viri seu uxoris ob fornicationem et ob impedimentum pietatis. Hinc consequitur, sicuti ra-

tioni consonum est, illi, qui ob Christi sequelam una cum patre et matre odit quoque uxorem et ab ea separatur, nequaquam ob hanc separationem comprehendi licitum novum conjugium. Secus enim arguendum esset, Dominum dixisse discipulis suis: qui oderit, sive renuntiaverit patri, matri et uxori propter me, alium patrem, matrem et uxorem accipiet in hac vita. Hoc autem non docuit Christus; sed necessitatem discipulis suis inculcavit manere ab omnibus terrenis ac etiam ab uxore divisos, quando oporteat, ob Christi fidem. Item a pari intelligitur, quod ibidem docet Basilius de separatione unius conjugis ab altero propter fornicationem, sicuti luculenter in Canone 21. epistolae II. significavit: *vir vero*, inquiens, *pollutam adulterio a domibus suis dimittet;* quin tamen neutri liceat aliud quaerere connubium.

His ita expositis, ex primo Titulo quoad thalami separationem ob adulterium et pietatis impedimentum, non solum eruitur Basilii doctrina de nuptiis insolubilibus, sed et amplius, quod quaerimus, originale Matthaei testimonium secundum vetustam lectionem seu in c. V. vel XIX. *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Proindeque eorum, quae sequuntur immediate in Capite I. (alterius scriptoris et aetatis opus) pars prima universim convenit titulo. Pars vero secunda, ubi conserta est vulgata lectio versiculi 9. c. XIX. veluti inanis repetitio antecedentis sermonis, reprobatur ab Editoribus maurinis: quibus suffragantur duo codices, in quibus ea verba desunt.

In Titulum vero secundum, ubi absolute dicit s. Basilius: « *quod non licet dimittenti uxorem suam, aliam ducere: neque dimissam a viro ab alio duci*, et hoc secundum Lucae testimonium: *quicumque dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur,* Anonymus in c. 2. ea interpretatus, adversus dictatum et mentem Basilii et Evangelistae subintroduxit *μὴ ἐπὶ πορνέια non ob fornicationem*: quae verba et quidem merito s. Doctor omisit; nec ullimode connectenda erant quippe extra sermonis ordinem a se instituti de matrimonio in praefato Titulo, et amplius tunc Patribus graecis ignota.

## CAPUT IV.

### *S. Joannes Chrysostomus*

Iste prae ceteris Patribus excelluit in expedienda quaestione Christi cum pharisaeis de insolubilitate conjugii, sapienter riteque Jesu dicta componens cum Apostoli verbis mandantis, *uxorem a viro discedere: quod si discesserit manere innuptam; aut viro suo reconciliari*. Saepius enim ex professo, sive obiter hoc pertractavit argumentum; quin unquam nec pharisaeorum praesumptionibus, nec romanorum legibus cedat de secundis nuptiis admittendis, uno ex conjugibus vivo, etiam cujusvis mediante adulterio.

Idcirco in Sermone, *quales ducendae sint uxores*. n. 1. ajebat: « Quando igitur ducturus es uxorem, non solum civile jus, verum etiam ecclesiasticum legito. Nam secundum hoc, non illud, extrema die judicandus es a Deo. » Proindeque juri ecclesiastico instans, e Scripturis apta proferebat excutiebatque testimonia: quae quidem a nobis non tantum consideranda sunt quoad ipsius sensum de connubio in Ecclesia Christiana, quantum praesertim relate ad lectionem commatis 9. c. XIX. Matthaei versiculo 32. c. V. comparatam. (*)

Interim Tomo I. in Libro I. *De virginitate* n. 28. ex Apostoli dictis: *vir sui corporis Dominus non est* etc. docens unumquemque conjugum subjici arbitrio alterius, inquit: « Quod autem hic non ex conjectura de Pauli sententia loquar, promptum est ex discipulis agnoscere. Nam nec ii grave ac molestum esse matrimonium prius arbitrati sunt, quam a Domino se in eam necessitatem conclusos, in quam et a Paulo tunc corinthii viderunt. Illud enim: *qui dimiserit uxorem suam παρεκτὸς λόγου πορνέιας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι excepta causa fornicationis, facit eam moechari;* et hoc: *vir sui corporis dominus non est*, dissimilibus ver-

(*) Quae in hoc loco citantur ex Chrysostomo, desumpta sunt ex editione Montfauconii.

bis sed eodem sensu concepta sunt etc. » Cum itaque s. Doctor in hoc loco verba conferat Christi cum Apostoli dictis, non ex Matthaei c. V. sed ex c. XIX. inde nempe, ubi audientes discipuli divinam sententiam de conjugii insolubilitate, valde mirati sunt, et dixerunt, *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere,* jure conjicitur graecum Evangelii codicem, quem prae manibus habuit Chrysostomus, in c. XIX. aliam continere lectionem ab ea, quae hodie occurrit in vulgata graeca et latina editione: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

In eodem Tomo, *adversus eos qui judaeorum jejunium jejunant* etc. n. 3. ait: « *Siquis enim habèt uxorem infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Si vero meretricem et adulteram, ejicere minime prohibetur; *quisquis enim dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* itaque ob fornicationis causam licet dimittere. » In utroque testimonio desideratur alterum hemistichium: *et qui dimissam duxerit, moechatur.*

In Tomo III. Homilia *De decem millium talentorum debito* n. 3. comma 9. c. XIX. ex Matthaeo repetens, inquit: « Rursus de matrimonio et uxore disputante Christo ac dicente: ὅτι ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνέιας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, *quoniam dimittens uxorem suam, excepta, fornicationis causa, facit eam moechari,* et omnem malitiam uxoris ferendam esse admonente praeter crimen fornicationis, Petrus, aliis omnibus tacentibus, Christum alloquitur: *si istiusmodi est causa hominis cum muliere, non expedit nubere.* » Ex hoc sermone cum constet in eo loco citari verba capitis XIX. ubi Apostoli, Petri nomine, apud Jesum instant dicentes, non expedire nuptias, si talis sit causa hominis cum uxore; proinde item concludendum est s. Joannem Evangeliorum codicem prae manibus habuisse, aliam praeferentem lectionem, quam nunc in vulgata sive graeca sive latina exhibetur. Similiter paulo post n. 7. idem testimonium eisdem dictionibus graecis expressum citat: *dimittens uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* In eodem Tomo, Sermone *De libel-*

*lo repudii* n. 2. praefatam repetit sententiam: *dimittens uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et ducens dimissam moechatur.* Et in n. 3. *nam, qui dimiserit uxorem suam, excepta adulterii causa, et qui ejectam duxerit,* vivente viro, similiter cum ejecta punientur. »

Item in Sermone, cui titulus: *Laus Maximi et qualis ducendae sint uxores* n. 1. ait: « Cum enim multa verba faceremus de conjugio . . . et allegaremus legem ab ipso Christo latam, ubi diserte legitur: *qui dimissam duxit, committit adulterium:* et: *qui, excepta fornicationis causa, dimittit uxorem, facit eam moechari* etc. Et in n. 2. eadem dicta refert, postpositis tamen: *qui dimissam duxerit, moechatur.* Item in n. 1. et 3. haec postrema verba: *qui dimissam duxerit, moechatur* bis citat seorsim a praefatis. Similiter in Sermone: *Nulli esse desperandum, et de pace conservanda cum uxore,* simpliciter notat: *quicumque ejecerit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

In Tomo VI. Homilia XXVI. *In Genesim* n. 2. ex Apostoli dictis: *siqua mulier habeat virum infidelem* etc. « vide, inquit, quomodo non prohibeat infidelem (gentilem) quempiam vel quampiam in contubernii legem assumi. Audi iterum ipsum Christum dicentem discipulis: *dico autem vobis, omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Ingens benignitas etc. »

In Tomo VII. Homilia XVII. *in Matthaeum* n. 3. scribit: *Ego autem dico vobis; quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur.* In Tomo VIII. Homilia LXII. *In Joannem* n. 4. « *Nam siqua fidelis,* inquit, *habet virum infidelem, et ipse consentit habitare cum illa, ne dimittat eum,* De adultera secus: sed quid? *Siquis dimiserit uxorem suam praeter causam fornicationis, facit eam moechari.* » Pariter hac simplici locutione Chrysostomus Christi sententiam citat in Tomo X. Homilia XXX. *in Epistolam* II. *ad Corinthios* n. 3. « *Qui autem dimittit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* In Tomo XI. Homilia V. in Epistolam I. ad Thessalonicenses n. 2. *qui dimiserit,* ait, *uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Simul itaque sumptis ex s. Chrysostomi sermonibus de connubio, Matthaei dictis, prout ipse hinc inde citaverit a Bibliorum sacrorum codicibus, quos prae manibus habuit, constat primo, nunquam ipsum appellasse testimonium commatis 9. c. XIX. ubi legitur: *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Sed ex adverso comperitur, eumdem ad undecim vices se sive ad c. V. sive ad c. XIX. referentem, eadem citasse et excussisse verba: *quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Hoc autem potissimum in Sermone *De libello repudii* mirandum extat, ubi s. Episcopus totus in eo est ut evangelica verba de hac quaestione citans, studiose interpretetur, expediat. Attamen cum ter hoc ultimum, veluti praemisi, comma exposuerit, alterum et quidem majorem ingerens difficultatem, nullimode consideravit. Insuper ex praefatis citationibus eruitur, Chrysostomum nunquam legisse in commate 9. hujus c. XIX. graecam locutionem μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *non ob fornicationem* quippe tunc alienam et ab hoc versiculo sicuti ab altero 32. c. V.

Similiter hinc quoque conjiciendum videtur, s. Episcopum, alterum hemistichium c. V. 32. et c. XIX. 9. *et qui dimissam duxerit, moechatur*, non considerasse uti portionem successivam hujus versiculi: *quicumque dimiserit* etc. sed aliunde haec verba in suum sermonem traduxisse, idest ex Lucae c. XVI. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur,* ut ita amplius firmaret argumentum suum de conjugii christiani insolubilitate. Ceterum si haec verba *qui dimissam a viro ducit, moechatur*, partem Evangelii Matthaei considerasset, in his citandis, integrum illud scripto dedisset perpetuo, nec saepius omisisset, nec multo minus praemisisset commatis initio *quicumque dimiserit* etc. sicuti alias citavit seorsim ab hoc testimonio. Quocum adstruitur ex vetustissima aetate hoc hemistichium juxta Patrum morem ex Lucae c. XVI. ad proprii argumenti robur, alteri Matthaei sententiae junctum esse, ita ut deinde hujus E-

vangelio insertum, portio ejusdem visum sit. Quod amplius ab antiquis Bibliorum manuscriptis probatur, ut infra dicetur.

Quamvis vero hucusque exposita plana se habeant ad ostendendam a Bibliorum codice graeco, quo usus est Chrysostomus in commate 9. c. XIX. excludi verba *et aliam duxerit moechatur*: attamen in Homilia 62. alias 63. ita citat: *Ego autem dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et aliam duxerit, moechatur.* Mirum sane est Chrysostomum in hoc loco ita citasse verba Evangelistae, quum in tractatibus specialibus de conjugio christiano penitus omiserit. Nec est suspicandum, ipsum, data opera, ea omisisse coram adversariis, quibus alloquebatur, sicuti nec istos transegisse verba, qui divortio favebant.

Quapropter valde dubito num genuina tenenda sit haec eadem lectio. Dubium vero augescit primum ex Praefatione Editionis Montfauconii c. IV. ubi disputat de manuscriptis, unde collata est Editio homiliarum s. Doctoris *in Matthaeum:* « Harum homiliarum, inquit, manuscripti codices bene multi existunt in bibliothecis Galliae, Italiae, aliarumque Europae partium, quorum si varias lectiones omnes, si amanuensium errata omnia recensere voluissemus, mirum quantum notas in ima pagina positas auxissemus, sed nullo fructu, imo cum dispendio suscepti operis. Quapropter cum delectu lectiones adhibuimus. Multaque loca in prius editis vitiata, laceraque sarsimus, nihilque neglexìmus eorum, quae aliquid opis ad graecam seriem restituendam conferre poterant etc. » Hisce positis, nil facilius incautis editoribus in emendandis graecis codicibus, varietatibus inspectis quam plurimis, lectioni sincerae: *quicumque dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam moechari*, alteram praetulisse falsatam : *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, et aliam duxerit, moechatur;* cum ab hac seriore aetate in Bibliis vulgatis et graecis et latinis talis invaluisset lectio: et sic emendasse genuina, quae ipsi putarunt falsata in codicibus.

Secundo, suspicio de hujus versiculi interpolatione in

scriptis s. Chrysostomi augetur, si huc revocentur libri Theophylacti, qui ex communi criticorum opinione, in Matthaei commentariis secutus est s. Doctorem, hujus interpretationes transferens in libros suos; adeo ut in nonnullis ipsius Theophylacti codicibus inscribatur haec nota: *Epitome commentariorum Chrysostomi in Evangelium Matthaei ex Theophylacto.* Nisi quod aliquando Theophylactus addiderit sensum allegoricum. Illud autem facile intelligitur, commentariis unius alterius expositioni collatis, ubi idem occurrit sensus, ni dicatur quoque eadem notari verba, quae expressit Chrysostomus. Cum interim Theophylactus s. Doctoris expositionem secutus, pervenerit ad v. 9. c. XIX. Matthaei, ita sacra verba et eorum sensum transcripsit: *λέγω δὲ ὑμῖν, φησιν, ὅτι τὴν πορνευθεῖσαν γυναῖκα καλὸν ἐκβάλλειν ὡς μοιχαλίδα, ἐὰν δὲ τὴν μὴ πορνευθεῖσαν ἐκβάλῃ τὶς, παραίτιος αὐτῇ γινέται μοιχέιας, ego autem dico vobis,* inquit, *quoniam bonum est uxorem, quae fornicata est, ejicere tanquam adulteram; si autem quis ejecerit eam non fornicariam, in causa est ei adulterii.* Quae licet non penitus litteram Evangelii exprimant; tamen perspicue ad originalem textum referenda sunt v. 9. ubi scriptum fuit non *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et aliam duxerit, moechatur,* neque: *qui dimiserit uxorem suam μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur;* sed revera: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* quemadmodum fideliter transcripsit Theophilactus ex s. Chrysostomi genuino commentario. Sed de hac lectionis varietate inferius disputabitur.



## CAPUT V.

*Cyrillus alexandrinus, Theodoretus.*

In commentario Epistolae I. ad Corinthios c. VII. quod primum edidit vir cl. Cardinalis Angelus Majus in Tomo III. Novae Bibliothecae Patrum pag. 58. Cyrillus scribit : « Quid ergo dicemus ? Nuptias non vetuit divina Evangelii praedicatio, quia Deus, ut reor, ad humanae naturae modulum praecepta sua accommodabat. Inquit enim, pharisaeis tentantibus, Dominus, cum sciscitarentur utrum liceret dimittere uxorem propriam *μὴ ἐπὶ πορνεία nisi ob fornicationem*: ait, inquam, Dominus, *ὅτι ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, quoniam dimittens uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*. Quumque ad haec discipuli ejus dicerent: *si causa viri cum foemina talis est, non expedit nubere*, respondit illis : *sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat.* »

Deinde in haec Apostoli verba instans Cyrillus circa connubii insolubilitatem inter christianos, subdit : « Continentiam igitur digna merces manet. Ceteroqui conjugio devinctis haud concedit a ducta semel uxore discedere, ne orbem perturbationibus impleat salutaris doctrina ; neque divortium commendare voluit communis Servator Christus; etiamsi respectu quodam antiquioribus facere id lex permisit ob ipsorum, ut ait Salvator, cordis duritiem. »

In hac brevi Cyrilli discussione tria pro nostro argumento notanda sunt. In primis notatur, Cyrillum omnimode divortium reprobasse adversus antiquorum et maxime hebraeorum licentiam, et hoc docuisse secundum evangelicam doctrinam et apostolicam traditionem. Secundo perspicue ostenditur, Cyrillum in hac citatione nequaquam Matthaei caput V. appellasse, sed caput XIX. et hoc patet ex verborum ordine, quo connectitur Christi sententia cum sequen-

tibus: *quumque ad haec discipuli ejus* etc. ita ut excludatur altera, sicuti in Vulgata legitur. Tertio item constat in Cyrilli citatione alterum desiderari hemistichium: *et qui dimissam duxerit, moechatur.* Ac demum concluditur, hanc quam exhibet lectionem Cyrillus in hoc commentario, eamdem haberi, quam veteres scriptores Clemens, Origenes, aliique ex antiquis Bibliorum codicibus ab ecclesia alexandrina probatis transcripserunt.

Nolim tamen hoc Cyrilli testimonium praeterire, quin sedulo animadvertam illud ipsius dictum *μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ non ob fornicationem* extra versiculum 9. insertum; quod ita sensum pervertit Evangelistae ac interpretis scopum, ut asserere audeam, nullimode Cyrillo inscribendum esse, sed amanuensi graecae fidei, qui ad doctrinam pro divortio absoluto ob adulterium reducere conatus esset Christi verba, proindeque ejusdem Cyrilli mentem.

Constat quidem patentissime ex Matthaei narratione pharisaeos tentantes Jesum, ei dixisse: *si licet homini dimittere uxorem suam κατὰ πᾶσαν ἀιτίαν quacumque ex causa,* nulla ideo definita peculiari ratione, propter quam vir dimitteret uxorem suam. Diversimode ex Cyrilli locutione introducuntur ab Evangelista pharisaei interrogantes Jesum, num liceat viro, nisi ob fornicationem, dimittere uxorem, quod aperte contradicit scripturali testimonio. Quapropter non est praesumendum in hoc sphalma lapsum Cyrillum, ut textum sacrum pravaret atque doctrinam in eo expressam. Ceterum quomodocumque sit, sive Cyrillus, vel alius haec verba scripserit, nobis satis est, ostendisse, Auctorem nec hic nec alibi citare comma 9. c. XIX. juxta textum graecum vulgatae editionis: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Vir doctus et Scripturarum peritus interpres Theodoretus ita duplex Matthaei testimonium in c. V. et XIX. exponit, ut unum et idem in verbis et sensu sonare constet, et aliter quam legitur in Vulgata. Apostoli enim ad Corinthios dicta interpretatus ex c. VII. 10. 11. inquit: « Dominus enim in sacris Evangeliis dixit: *omnis dimittens uxorem suam*

*excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Propterea adjecit: *non ego sed Dominus.* Haec autem, *maneat innupta, vel viro reconcilietur,* non est contrarium illi: *nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu.* Illa enim dicta sunt iis, qui non propter aliam causam, sed propter solam continentiam separantur. Hic autem iis legem statuit, qui de aliis rebus contendunt. Et conatur quidem infractum servare matrimonii vinculum. Condescendens autem imbecillitati ei, qui separatur, continentiam praecipit, hac autem ratione prohibens matrimonii disjunctionem. Cum enim alteri conjungi prohibet, utranque partem ad prius matrimonium redire compellit. »

Similiter exponendum est ejusdem dictum in Libro V. *haereticarum fabularum* c. XVI. « Antiqua (lex) ait, eum, qui uxorem odio habebat, dimittere illam jussit: nova autem lex adulterium appellat repudium citra fornicationem. *Qui enim,* inquit, *uxorem suam dimittit, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, moechatur.* Item in c. XXV. « Legem, scribit, porro matrimonii adeo confirmavit, ut eum, qui excepta fornicationis causa, matrimonium solvere velit, alia lege inhibeat: *quicumque uxorem dimittit, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* »

Si interim ex praefatis tribus citationibus non constet, num Theodoretus Matthaei caput V. an c. XIX. appellet pro nostra thesi firmanda adversus recentem textum, hoc autem satis aperte eruitur ex Sermone IX. *De legibus*: « At naturae Opifex, scribit, quia humanam naturam creans, unum principio virum, et foeminam unam formavit, etiam solvi matrimonium vetat: unicuique hujus dirimendi causam assignavit eam, quare maritalem copulam vere divellit. *Omnis enim,* ait, *qui dimittit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit moechatur.* Quibus verbis cetera uxoris vitia ferri jubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu convitiosa. Sin vero nuptiarum leges transiliat, in aliumque procax intendat, tunc denique copulam solvi jubet. »

Sicuti praemisi, Theodoretus ita disserens, perspicue Christum Dominum cum pharisaeis disputantem inducit, veluti legitur in c. XIX. Matthaei v. 4. Dicens enim: *naturae opifex humanam naturam creans, unum principio virum, et foeminam unam formavit* etc. idem est ac si dixisset: *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos. Et erunt duo in carne una. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et hinc jure statuitur, eumdem non ex c. V. sed ex c. XIX. 9. appellantem, legisse: *omnis, qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* aliter quam nunc legitur in textu vulgato sive graeco, sive latino: *omnis qui dimiserit uxorem suam μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ non ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Quae lectio omnimode Theodoreto ignota cum sit in omnibus suis libris, auctoritati cedat oportet alterius antiquae lectionis, quam praemisimus et quidem genuinam, ab ipso quater repetitam.

Post hoc, cunctis redactis Patrum graecorum testimoniis ab Herma usque ad Theodoretum, statui potest, illorum neminem nec citasse nec interpretatum esse comma 9. c. XIX. Matthaei secundum vulgatam graecam lectionem; sed eamdem a codicibus sacris in suos libros traduxisse citatam in c. V. *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* (*)

Nunc de eodem argumento veterum latinorum Patrum scripta investigatum adeamus.

(*) De Asterio amaseno sino loqui, qui etsi in Homilia ex c. XIX. Matthaei *an liceat homini dimittere uxorem suam* etc. summarie scribat: *exceptis morte ac adulterio, nulla ex causa dirimi matrimonium,* attamen nullibi citat v. 9. illius capitis, ut dignoscatur, qualem revera lectionem exhiberet codex biblicus, quo usus est. Nisi quod in postrema homiliae parte introducit adversarios pro divortio ita disserentes: « Viri, inquiunt, etiamsi ad longe plures accesserint, nullum domui et familiae damnum inferunt. At mulieres ubi peccant, externos haeredes in domos ac familias inducunt. Verum, subdit Asterius, audiant tam stolidae sententiae acuti inventores . . . . Et paulo post addit: « Siqui autem romanis auscultantes legibus, permissam esse scortationem, ac crimine vacare existimant, gravem sane errorem errant,

## CAPUT VI.

*Tertullianus, et Lactantius.*

Tertullianus afer una cum Clemente et Origene eamdem degens aetatem, pluries de conjugio christiano sparsim in suis libris sapienter disserens, veluti de praefatis scriptoribus dictum est, nullibi versiculum 9. c. XIX. Matthaei, verbotenus secundum hodiernam lectionem sive graecam sive latinam, nec citavit, nec interpretatus est unquam. Quod quidem istius silentium in Ecclesia africana (sicuti Clementis et Origenis in ecclesia alexandrina) mirum nobis est, eo amplius cum non lateat, ipsum saepe pharisaeorum quaestionem repetere cum Iesu circa divortium in Lege vetere: quod Auctor Christi mentem sedulo investigans, a fidelium coetu constanter amovit, sibi ob oculos lata sententia: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Ter itaque versiculum ex Matthaeo ita citavit: *qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam praeter causam adulterii, facit eam adulterari.* Et haec tradit in Libro IV. n. 34. contra

et ignorant, leges divinas ab humanis nimium quantum distare doctrinis et placitis. » Quare cum tam ex adversariorum quam ex sua parte haec ait Asterius, sacris interponens ac romanis legibus differentiam circa matrimonii vinculum, excludere voluisse videtur divortium absolutum ob conjugis adulterium. Adversarii namque putabant, uxore adultera repudiata, sibi ex legibus romanis licere alias inire nuptias. Asterius vero nemini et marito et uxori ex divina lege asserit licitum, post initum connubium, alias uxores vel alios maritos quaerere, etsi uxores adulterio sese polluissent. Alioquin, si Asterius legibus romanis obstans de nuptiis, admisisset tamen ob adulterium totalem vinculi solutionem, tunc non universim romanorum jura de nuptiis reprobasset, sed ab eisdem excepisset adulterium uxoris, propter quod, sicuti apud romanos ita apud christianos, soluto connubio, aliae permitterentur nuptiae. Idcirco, quae ab initio dixit Asterius *de adulterio, quod dirimit matrimonium*, intelligenda videntur de partiali non vero de totali separatione. De reliquo unus est inter Patres Asterius, qui morti, quippe vinculi conjugalis solutioni, adjecit uxoris adulterium.

larcionem. Item in Libro *De pudicitia* n. 16. *Qui dimise-'t uxorem praeter causam moechiae, facit eam moechari.* Si-iliter in Libro *De monogamia* n. 9. ait: *qui dimiserit uxo-m suam praeterquam ex causa adulterii, facit eam adulterari.* isi quod tam hic quam in praefatis testimoniis addiderit: *qui dimissam a viro duxerit, adulter aeque censetur;* de no nunc non est disserendi locus.

Ac interim, etsi in praemissis duobus locis haud notetur . 9. c. XIX. attamen in hoc ultimo idest in Libro *De mo-ogamia* aperte adstruitur. Inquit enim Tertullianus n. 9. Sed hae argumentationes potius existimentur de conjectu-s coactae, si non et sententiae adstiterint, quas Dominus nisit in repudii retractatu, quod permissum aliquando, jam rohibet: in primis, quia ab initio non fuit sic, sicut matri-ionii numerus; tum quia *quos Deus conjunxit, homo non se-rabit;* scilicet ne contra Dominum faciat. Solus enim se-rabit ille, qui et conjunxit: separabit autem non per du-tiem repudii, quam exprobrat et compescit, sed per debi-im mortis . . . Hoc quantum ad Dei voluntatem non de-ruendam et initii formam restruendam.

« Ceterum et alia ratio conspirat, immo non alia, sed iae initii formam imposuit, et voluntatem Dei movit ad rohibitionem repudii: *quoniam qui dimiserit uxorem suam 'aeterquam ex causa adulterii, facit eam adulterari; et qui 'missam a viro duxerit, adulterat utique.* Non et nubere gitime potest repudiata. Et si quid tale commiserit, sine atrimonii nomine, non capit elogium adulterii, qua adul-rium in matrimonio crimen est? Deus aliter censuit citra iam homines, ut in totum sive per nuptias, sive vulgo, terius viri admissio adulterium pronuntietur a Deo »

Clare itaque patet in hac Tertulliani argumentatione ncludi Jesu quaestionem cum pharisaeis ex c. XIX. Mat-aei de libello repudii, quod ipse Jesus abolevit, primae-im matrimonii institutionem repetens ab Adamo et Eva: *et unt duo in carne una*, et tollens repudium, quod ab ini-) non fuit, et quod Moyses tantum ob duritiam cordis ju-eorum permisit. Et cum in hac expositione notet Auctor hristi dicta v. 7. et 8. istius capitis, pergens tamen omi-

sit citationem v. 9. secundum Vulgatam: *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur* etc. et potius aliud appellavit testimonium, sive alia verba subjecit adversus pharisaeos, *quicumque*, dicens, *dimiserit uxorem suam praeter quam ex causa adulterii, facit eam adulterari* etc. satis indicans, talem lectionem tunc, uti graecos, praeferre codices latinos hujus Evangelistae. Alioquin nec hic nec alibi, sicuti videre est in suis libris adhuc superstitibus, eum constat recentiorem lectionem hujus commatis praetulisse.

Lactantius in Libro VI. *De vero cultu* n. 23. adversus romanorum leges matrimonii sanctitatem inculcans fidelibus ex Christi mandato, scribit: « Non enim, sicuti juris publici ratio est, sola mulier adultera est, quae habet alium; maritus autem, etiamsi plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit... Cavendum igitur ne occasionem vitiis nostra intemperantia demus; sed assuescant invicem mores duorum: et jugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus. Nam fere in hoc justitiae summa consistit, ut non facias alteri quidquid ipse ab altero pati nolis. Haec sunt, quae ad continentiam praecipiuntur a Deo. Sed tamen, nequis divina praecepta circumscribere se putet posse, addantur illa, ut omnis calumnia atque occasio fraudis removeatur, *adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit*: *et eum, qui praeter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat. Dissociari enim corpus et distrahi Deus noluit.* Deinde in *Epitome divinarum institutionum* n. 8. eadem instaurat: « Sed sicut foemina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat: ita vir eadem lege teneatur, quo Deus et viro uxorem unius corporis compage solidavit. Ideo praecepit non dimitti uxorem, nisi crimine adulterii devictam; et nunquam conjugalis foederis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur. »

Siculi ab initio dixi, gentium leges a nuptiis christianis amovere studet Lactantius, ut insolubile statuat conjugium.

Verum quoad primam sententiam in hoc Libro VI. quae obscura videtur, haec notanda sunt. Quamvis textus evangelicus ad litteram non exprimatur, attamen apparet Auctorem ea ex Luca et Matthaeo descripsisse verba. Ex Luca quidem, ubi ait *adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit.* Quae porro sequuntur: *et eum* (adulterum esse) *qui praeter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat,* ex Matthaeo transcripsit; ita tamen ut videatur Scriptor legisse in istius Evangelio: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, et alteram duxerit, moechatur.* Et hoc contra veterem, quam hucusque vindicavi lectionem.

Nihilominus ex praemissis constat Lactantium speciatim agere in divortium absolutum inter conjuges, et corripere quam maxime maritos, qui, uxoribus posthabitis, ad alias accedebant; ita ut uxores quoque derelictae cogerentur aliis convenire. Quare idem adversus romanorum leges, in quibus ea perpetrabantur scandala, hortatur fideles conjuges secundum Christi mandatum, ut mutuam sibi caritatem praestent; et ne viri ob suam intemperantiam, uxoribus moechandi occasionem dent.

Cum ita sit, patet Lactantium in sequentibus, ubi absolute inquit ex divino praecepto, *adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit,* loqui praecipue de uxore fornicaria: quam tamen dicit, etsi dimissam, alteri non posse nubere, vocans ideo adulterum, qui hanc dimissam ducit. Idcirco cum ita sonet Scriptoris dictio, nescio quid sibi velit in sequentibus: *et eum* (adulterum esse) *qui praeter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat.* Ex his enim videretur Lactantius docuisse, viro dimittenti uxorem ob adulterium, licere aliam ducere mulierem: et adverso nemini licere ducere adulteram a marito dimissam. Quasi dixisset Jesus: maritus dimittens uxorem adulteram, potest aliud inire connubium; foeminae vero dimissae nequaquam licet alii nubere: quod est improbabile. Si enim ita foret, tunc frustra praemisisset Lactantius dicens, *Deum, nequis se putaret sua praescribere praecepta, removisse omnem calumniam et occasionem fraudis*, ex parte scilicet mariti uxorem calumnia impetentis adulterii, ut illam dimitteret, et alteram

haberet; ac simul docens ob adulterium, solvi omnimode conjugium cum licentia alias ineundi nuptias. In quo sane sermonis pateret anomalia. Non enim deessent, qui uxores suas adulterii arguerent, aut vicissim, ut ideo, admisso divortio totali, novum inirent conjugium.

Insuper, quomodo foret adulter ille, qui dimissam a priore marito duceret, quando uxor dimissa non est amplius uxor dimittentis, qui jure eam a se removit, ac liberam reliquit: nec amplius fuit in sua potestate? Alioquin si Lactantius vocat adulterum, qui quacumque ex causa, nulla interjecta exceptione, dimissam a marito ducit, sequitur, nunquam cessare uxorem dimissam pertinere ad primum maritum, qui dimisit eam, quamvis adulterii crimen eidem imputarit.

Praeterea ex his Lactantii dictis uxor adultera perpetuo innupta manere deberet; maritus vero pro lubitu aliam posset sibi quaerere uxorem. Quod neque Moyses voluit, nec romanorum jura postularunt. Christus autem praecepit, uxorem quomodocumque dimissam, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, ac maritum in pari versari conditione, donec eorum unus in vivis degeret. Jura autem romanorum et judaeorum statuerant licere viro, uxore dimissa, aliud inire connubium; nec tamen uxori dimissae hoc idem negarunt jus.

Cum ergo non sit praesumendum ita docuisse ac scripsisse Lactantium contra sacra pugnantem et gentium jura, propterea necessario in suspicionem nos cogimur, ipsius dicta ab amanuensium incuria quandam subiisse varietatem; quae sic emendanda videretur: « Sed tamen, nequis divina praecepta circumscribere se putet posse, addantur illa, ut omnis calumnia et occasio fraudis removeatur, adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit; et eum qui propter (non *praeter)* crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat. Dissociari enim corpus et distrahi noluit Deus. » Quae postrema verba praemissis consona, repetunt Jesu dicta: *et erunt duo in carne una.*

Illusio porro amanuensium, unde haec accidit lectionis varietas inde obscuritas, ut scilicet loco *propter* scriberent

*praeter*, non solum repetenda est a quadam vocabuli similitudine, sed maxime suffragante Matthaei textu, ubi ait *excepta causa fornicationis*, quod idem est ac *praeter crimen adulterii*: et ubi haec vox *praeter*, etsi legatur in textu Evangelii; nihilominus Lactantius pro scopo suo, veluti liquet ex locutione, non ipsamet Lucae et Matthaei verba descripsit, sed sensum praemissis uniformem ut escluderet a fidelibus divortium, absolutum etiam ob adulterium uxoris, licet in hoc obstarent leges romanae. Quasi diceret: quicumque dimissam ob adulterium duxerit, moechatur; sicuti moechatur, qui propter adulterium dimittit uxorem suam, ut alteram ducat. Aliter, ut dixi, confunderetur sermonis ordo, ita ut medium nec initio responderet nec fini, ubi absolute statuitur connubii insolubilitas.

De reliquo nihilo facilius in amanuensibus, vel ob incuriam vel ob ignorantiam, quam hujusmodi vocabuli *propter* in *praeter* mutatio, cum scimus plurima menda subiisse in codicibus Lactantii, uti videre est in Editione Cantabrigiae 1685. ubi maxima notatur Collectanea variarum lectionum; quibus plura adjecit Fulvius Ursinus in Codice vaticano 5398. etsi, quam nos quaerimus varietatem, ab his minime indicata sit.

Quod vero postea dicit Lactantius ex Matthaeo: « ideo praecepit Dominus, non dimitti uxorem, nisi crimine adulterii devinctam » confirmare videtur priscam lectionem. Aliter addidisset juxta Vulgatam: praecepit Dominus non dimitti uxorem, *nec aliam duci*, nisi prior crimine adulterii devincatur. Quam tamen additionem omisit. Verum toti huic Lactantii discussioni ad hanc formam redactae, respondet adamussim s. Hieronymus, qui praeclare hoc Matthaei testimonium interpretatus est. De quo infra.



## CAPUT VII.

*S. Ambrosius, Philastrius, s. Hilarius, s. Zeno veronensis.*

Qui ex latinis Patribus seculo IV. argumentum de connubio christiano pertractarunt, Scripturis ideo divinis insistentes, ut ejusdem adstruerent insolubilitatem, in his quoque excellit s. Ambrosius. Et quidem adversus praevalentes tunc leges civiles de divortio, Scripturas quas citavit, perscrutati, reperimus eumdem ita disserentem in Libro I. *De Abraham* c. IV. « Sed et vos moneo, viri, maxime qui ad gratiam Dei tenditis, non commisceri adulterino corpori (*qui enim se jungit meretrici, unum corpus est*) nec dare hanc occasionem divortii mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. » Item in c. VII. « Nulli licet scire mulierem praeter uxorem. Ideoque tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, et cum aliena muliere delinquas. *Vinctus es uxori, noli quaerere solutionem;* quia non licet tibi, uxore vivente, aliam ducere. » In utroque Ambrosii testimonio absolute vetatur repudium. Id autem magis firmatur a Libro VIII. *in Lucam*, ubi Christi verba exponit: *omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*

Ibi expositis, quae docet Apostolus de nuptiis infidelium cum fidelibus, transit ad conjugium inter fideles et ait: « Ergo ubi nuptiae, harmonia: ubi harmonia, Deus jungit. Ubi harmonia non est, pugna atque dissentio est, quae non est a Deo, *quia Deus charitas est.* Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tuae copulae diffitearis auctorem. Etenim si alienos, multo magis uxoris debes tolerare et emendare mores. Audi quid dixerit Dominus: *qui dimittit mulierem, facit eam moechari.* Etenim cui non licet, vivente viro, mutare conjugium, potest obrepere libido peccandi. Itaque qui auctor erroris est, etiam culpae est reus . . . . Dimittis ergo uxorem quasi jure sine crimine, et putas tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet. Qui homini-

bus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: *quae Deus conjunxit, homo non separet.* Sed non solum hic coeleste praeceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur . . . . Sed fortasse dicet aliquis: *quomodo Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere uxorem?* Qui hoc dicit, judaeus est. Qui hoc dicit, christianus non est. Et ideo qui hoc objicit, quod objectum est Domino, respondeat ei Dominus: *ad duritiam*, inquit, *cordis vestri permisit vobis Moyses dare libellum repudii, et dimittere uxores: ab initio non fuit sic.* Moyses permisit, inquit, non Deus jussit: ab initio autem Dei lex est. Quae est lex Dei? *Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt ambo in carne una.* Ergo qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus etc. »

Deinde in ejusdem commentarii Libro II. ex c. I. v. 26. verba interpretatus: *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, scribit: « Utique si convenissent, nunquam virum proprium reliquisset; nec vir eam justus passus esset a se discedere. Quomodo autem Dominus divortium praecepisset, cum ipsius sit sententia, quia nemo dimittere debet uxorem, *excepta fornicationis causa?* Pulchre autem docuit sanctus Matthaeus, quid facere debeat justus, qui probrum conjugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio praestare se debeat. *Qui enim jungitur meretrici, unum corpus est.* Ergo ubique in Joseph justi gratia et persona servatur, ut testis ornetur. *Os enim justi mendacium nescit, et lingua ejus loquitur veritatem.* Nec te moveat quod frequenter Scriptura conjugem dicit: non enim virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum declaratur celebratio. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. »

Item in Tractatu *De hortatione ad virginitatem*, ejusdem Evangelistae ex c. XIX. verba exponens inquit: « Hoc in Evangelio suo praedicat Dei filius; dicentibus enim Apostolis: *quia si ita est causa viri, ut non liceat illi uxorem dimittere, nisi ex sola causa fornicationis, non expedit nubere, respondit Dominus* etc. » Si enim s. Episcopus in codi-

co Evangelistae legisset secundum praefatam hodiernam editionem, aliter sermonem suum exponens, dixisset: quia si ita est causa viri, ut non liceat ei uxorem dimittere nisi ob fornicationem, *et aliam ducere* etc. Item in Libro III. *De virginibus* ex eodem capite: *et sunt spadones*, *qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum*: « nam, ait, cum in superioribus conjugium memoraverit non esse solvendum *nisi ex causa fornicationis*, in posterioribus etc. » Itaque tam in hoc, quam in praemissis Ambrosii testimoniis ex Matthaei c. XIX. haud tantum conjugii indissolubilitatem docuit, etiam stante adulterio : sed et illud inde infertur, quod nos quaerimus, nimirum codicem, quem ipse legit, Evangeliorum juxta veterem latinam versionem, nequaquam in v. 9. verba praeferre: *qui dimiserit uxorem suam*, *nisi ob fornicationem*, *et aliam duxerit*, *moechatur.* Et praesertim hoc elucet ex commentario *in Lucam*, et *Tractatu De hortatione ad virginitatem*: ubi perspicue descripsit et discussit vv. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. c. XIX. ejusdem Matthaei, quin tamen recentem vulgatam exprómeret lectionem.

Philastrius Ambrosii familiaris, (quorum antiquae Vulgatae codices ex loci, aetatis, et sensus propinquitate iidem jure repetuntur, adeo ut in hac quaestione mutuam sibi uti et nobis praestent operam) in Libro *De haeresibus* n. 84. sub titulo *abstinentes*, inquit: « Sunt in Galliis, et Hispaniis, et Aquitania, veluti qui gnosticorum, et manichaeorum particulam pernitiosissimam aeque sequuntur, eamdemque non dubitant praedicare, separantes persuasionibus conjugia hominum et escarum abstinentiam, promittentes, quae non ex Legis praecepto sed ex promotionis coelestis et dignitatis causa, voluntáti hominum talis a Christo concessa est gratia. Dicit enim Dominus Petro: *non omnes capiunt hoc verbum.* Et iterum idem Dominus ait: *qui dimiserit uxorem suam sine causa criminis, facit eam moechari.* Aliud est itaque consensu communi hoc fieri laudis causa majoris consequendae, et aliud contra legem suadere, contraque amborum facere voluntatem. » Itaque simul considerata Philastrii expositione quoad conjugium, patet totam verti super pharisaeorum quaestionem cum Jesu juxta Matthaei dicta in c. XIX. quo-

rum partem ad litteram citat, alterius sensum exprimit. Verba enim *separantes persuasionibus conjugia hominum et contra legem suadentes* ad haec referuntur ex v. 6. *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Similiter, *dicit Dominus Petro*, eadem sunt quae notantur in v. 10. *dicunt ei discipuli ejus.* Item perspicue, *non omnes capiunt verbum hoc*, ad v. 11. revocantur. Haud aliter verba, *sed promotionis coelestis et dignitatis causa voluntati hominum, a Christo concessa est gratia*, reducuntur ad v. 12. *sunt enim eunuchi* etc. *qui potest capere, capiat.* Ideoque dicta in medio notata: *qui dimiserit uxorem suam sine causa criminis, facit eam moechari*, haud aliunde idest ex c. V. repetenda sunt, sed ex praefato c. XIX. v. 9. secundum vetustam et originalem graecam et latinam lectionem: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari.*

S. Hilarius commentarium *in Matthaeum* edidit, in quo summam interpretationis suae adornavit ex Origene, cujus eosdem sensus notavit ac transtulit in suos libros. Bis s. Episcopus hanc diluit quaestionem in c. V. et in c. XIX. secundum Evangelii ordinem. Ex. c. V. inquit: « *Dictum est autem: quicumque dimiserit uxorem suam, det illi repudium* etc. Aetatem in omnes concilians, manere eam maxime in conjugiorum pace praecepit, legi addens plura, in his demens. Nec sane profectus argui potest. Nam cum lex libertatem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coactae in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda sit; nullam aliam causam desinendi a conjugio perscribens, quae virum prostitutae uxoris societate pollueret. »

Deinde ex c. XIX. ita in Canone expressit. *Transit Jesus in Galilaeam: uxorem non debere dimitti: de eunuchis* etc. Et hoc adversus pharisaeos interrogantes, *si licet dimittere uxorem quacumque ex causa.* Quibus respondit: nulla ex causa licet repudiare uxorem: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde in commentario remittens lectorem ad Apostolum, inquit: « Sed nos secuti apostolicam auctoritatem, qui hoc mysterium magnum esse professus

est, se autem in Christo et in Ecclesia accipere, locum hunc, sicuti est, intactum relinquamus. Admonemus tamen legentem, ut quotiescumque de hac eadem quaestione se consulat, verborum virtutes, et quibus responderit, et quibus discipuli usi sunt, diligenter advertat. Pauli autem Apostoli de hoc effectum vel silentis, vel interdum sub aliis locis tractantis expendat. »

S. Zeno veronensis episcopus in Libro I. Tractatu IV. *De pudicitia* n. 4. maritorum exprobrat improbitatem, qui, uxoribus desertis legitimis, ad peregrinas ingrediebantur, adeo ut illae ad adulterium compellerentur: « Propter quod, scribit, in praeceptis ait Dominus: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit eam moechari.* » Et hinc ex Apostolo eos corripit ignorantes, quoniam in tali negotio, quod non licet uxoribus, non licet maritis.

Disquisitis interim horum Patrum dictis, constat neminem non tantum admisisse divortium absolutum in causa adulterii, sed et ne Matthaei quidem citasse versiculum 9. c. XIX. juxta vulgatam lectionem.



## CAPUT VIII.

### *S. Hieronymus.*

In quatuor locis speciali disquisitione s. Doctor quaestionem egit de nuptiis, in Libro contra Jovinianum, in epistola ad Oceanum, in altera ad Amandum et commentario in Matthaeum. Contra Jovinianum de hoc disserit, simul connectens, quae notantur potissimum a Matthaeo c. XIX. cum Apostoli doctrina: quod maximum est in hac quaestione. Ubi alter alterius sensum explicat, roboratque; et ubi hinc inde non ex latino textu, sed ex graeco illorum exponit dicta, ut ostendat quavis de causa nuptiale vinculum haberi insolubile. In n. 7. ex Apostolo: *uxor proprii corporis potestatem non habet* etc. inquit: « Omnis haec quaestio de his est, qui in matrimonio juncti sunt; an eis liceat uxores dimittere, quod et Dominus in Evangelio prohibuit. Unde et Apostolus: *bonum est* ait *mulierem non tangere.* Sed qui semel duxit uxorem, nisi ex consensu, se non valet abstinere, nec dare repudium non peccanti, reddat conjugi debitum. »

Deinde in n. 12. ex c. XIX. Matthaei inquit: « Dominus tentatus a pharisaeis, utrum secundum legem Moysis uxores liceret dimittere, omnino fieri prohibuit. Quod discipuli considerantes dixerunt ei: *si talis est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* » Et ita absolute statuens ex Matthaeo vinculum conjugii, transit inde et ait: « Si alligatus es uxori, ne des illi repudium. Si solutus sum ab uxore, non quaeram uxorem. Ut ego non solvo conjugia, si semel ligata sunt; ita tu non liges, quod solutum est. »

Paulo post in n. 18. repetit et explanat, quae docuit Jesus in praefato c. XIX. « Sicut esus carnium non dabatur ante diluvium, ita repudium juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur: sed propter duritiem cordis nostri per Moysem humano generi concessum est . . . . Ab exordio conditionis humanae nec carnibus vescebamur, nec dabamus repudium . . . Postquam autem Christus venit in fine temporum et ω revolvit in α: et extremitatem retraxit ad prin-

cipium, nec repudium dare permittitur, nec circumcidimur etc. » Interim dubitatur an Hieronymus cum Joviniano contendens et praesertim ex hujus favore erga divortium absolutum, disputaverit nec ne juxta Vulgatam : *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur.*

Deinde in epistola 77. ad Oceanum, corripiens et excusans simul Fabiolam, quae, repudiato marito ob pravitates illius, incaute contra legem Christi secundas inierat nuptias, scribit : « Praecepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta fornicationis causa : et si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir moechus retinendus. *Siquis meretrici jungitur, unum corpus facit.* Ergo et quae scortatori impuroque sociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi: aliud Papipianus, aliud Paulus noster praecipit . . . Apud nos quod non licet feminis, neque non licet viris : et eadem servitus pari conditione censetur. »

Item in epistola ad Amandum ex Apostoli dictis ad Romanos et ad Corinthios : « *Mulier alligata est legi, quanto tempore vivit vir ejus; si autem dormierit vir ejus, liberata est. Cui vult, nubat, tantum in Domino.* Omnes igitur ait, causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit... Nec Apostolus haec propria auctoritate decernit; sed, Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio : *qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam acceperit, adulter est.* Animadverte quid dicat : *qui dimissam acceperit, adulter est.* Sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Unde et Apostoli gravem conjugii sarcinam intelligentes, *si ita est,* inquiunt, *non expedit homini uxorem accipere.* Ad quos Dominus : *qui potest,* inquit, *capere capiat* etc. »

Ex his dictis, ubi statim sequitur quaestio discipulorum cum Jesu : *si talis est causa viri cum uxore* etc. non ex c. V. sed ex c. XIX. secundum veterem graecam et latinam

lectionem, disserere liquet s. Hieronymum. Non enim est praesumendum Hieronymum ob oculos habentem excutientemque discipulorum stuporem ob ea, quae Jesus pharisaeis respondet de matrimonii quacumque de causa insolubilitate secundum Matthaei testimonium ex c. XIX. omisisse versiculum 9. hujus capitis: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur* » ut aliud revocaret ex c. V. diversam praeferens lectionem, inconsiderato relicto altero commate 9. c. XIX. Ceterum s. Doctorem Libros novi Testamenti interpretatum, nemo ignorat ob oculos habuisse codices graecos, quibus veteres Patres usi sunt, ac tales codices, ubi, sicuti praemisimus, eo usque recens graeca lectio μὴ ἐπὶ πορνέια *nisi ob fornicationem*, deerat: ac ejus loco scriptum erat ex graeco *excepta fornicationis causa*: de quo infra.

Post hoc plures sentio hucusque dictis contraire, asserentes s. Doctorem in commentario speciali hujus Evangelistae, utrumque comma citasse quemadmodum nunc legitur in Vulgata eidem inscripta. Idest in c. V. *ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur*. Et in c. XIX. *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

In quae verba scribit: « Sola fornicatio est, quae uxoris vincat affectum: immo cum illa unam carnem in aliam diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledictione faciat, dicente Scriptura: *qui adulteram tenet, stultus et impius est.* Ubicumque est igitur fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Quod enim dicit tale est; si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem: quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo? Nec non quia poterat evenire, ut juxta eamdem legem uxor quoque marito

daret repudium: eadem cautela praecipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, et quae semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo praecipitur viro, quod, si talem duxerit, sub adulterii sit crimine. » (*)

Et talis est Hieronymi interpretatio. De qua antea notetur, in antiquis hujus commentarii codicibus (de quibus infra) juxta veterum Patrum morem in Bibliorum expositionibus, versiculi 9. initium tantum describi ita: *ego autem dico vobis; si quis dimiserit* etc. omissis reliquis, quae a Codicis hieronymiani transcriptore deinde suppleta sunt ex vulgata editione: *quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*, adversus mentem s. Doctoris, qui legerat: *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Hoc autem probatur ex praecedentis c. V. analogia cum c. XIX. quam sensit Hieronymus, dicens: « In posteriori parte Salvator plenius locum istum exponit; quod Moyses libellum repudii dare jusserit propter duritiem cordis maritorum, non discidium concedens, auferens homicidium. » Quocum unam eamdemque indicat lectionem in utroque capite V. et XIX. Quod melius intelligitur ab immediata Doctoris interpretatione.

In commentario c. V. inquit Hieronymus, propter duritiem cordis maritorum Moysem non concessisse discidium sed abstulisse homicidium, permisisse scilicet secundas nuptias, adhuc vivente conjuge, potius quam uxorum interitum, cum et ipse Moyses insolubile considerasset connubium. Et haec quidem iteravit s. Doctor in c. XIX. ob eamdem causam; ubi divortio totali ex Moysis permissione, opposuit legem naturalem: « primam scilicet Dei sententiam de con-

(*) Si huic Hieronymi interpretationi conferantur praefata Lactantii dicta, *sed tamen nequis divina praecepta circumscribere se putet posse, addantur illa, ut omnis calumnia et occasio fraudis removeatur, adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit, et eum (adulterum esse) qui propter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat*, vocabulo nempe *praeter* alio substituto *propter*, ambo Scriptores perbelle coalescent in orthodoxa dominicae sententiae explanatione.

jugio insolubili, *quod Deus conjunxit, homo non separet*, opponens secundae Moysis sententiae, quae non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est, » ut sic quivis auferretur ex adversariorum parte praetextus dissolvendi penitus initum conjugium.

Deinde pergit ad v. 9, cujus primis verbis indicatis subdit: *sola fornicatio* etc. ut supra, et unde duo infert relate ad conjugium, ita tamen ut excludere videatur a textu sacro verba *et aliam duxerit moechatur*. In prima enim expositionis parte considerat uxorem fornicariam: quam vir a se abjicit, nec eam tenet. In secunda parte agit de uxore dimissa ob adulterium; quam tamen dicit nulli licere ducere: « *Et quia poterat accidere ut aliquis injuriam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, priori vivente, non habeat.* Quasi diceret: concessa viro licentia uxoris adulterae dimittendae, fieri potuisset, ut maritus uxori castae impingeret crimen adulterii, ut, ipsa amota, novum ille quaereret connubium. Ideo ait, Dominum permisisse quidem sive separationem, sive divortium, sed non in totum; ita ut, conjuge dimissa adultera, cohiberetur maritus ab alienis nuptiis; et istud ob dominicum mandatum: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sic priorem adulteram, ideo subdit, dimittere jubetur uxorem, ut secundam, priori vivente, non habeat. Et hoc ait, ne in contradictionem induceret Christum docentem conjugium ex natura sua indissolubile: « Nunquid potest Deus esse contrarius, ut aliud antea jusserit; et sententiam suam novo frangat imperio? »

Ideoque si s. Doctor in Codice sacro post *excepta fornicationis causa*, addita legisset *et aliam duxerit moechatur*: tunc quando ipse docet: *libere uxor fornicaria dimittitur*, subdidisset quoque juxta locutionis ordinem: *et libere alia ducitur.* Quam tamen illationem sanctus repulit, conscius de integra lectione textus: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* cui deerat additio: *et aliam duxerit, moechatur.* Dicit Hieronymus: si uxor non sit adultera, nunquam dimittenda est a marito; si vero hujus criminis rea convicta fuerit, tunc a marito repudianda est, ita tamen ut maritus, ipsa vivente, alteram non habeat.

Deinde sequitur : « Quod enim dicit (Dominus) tale est: *si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem; quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo?* » Suadet s. Doctor viro, ut postquam se separaverit ab uxore fornicaria ob injuriam sibi ab ea allatam, ut innuptus maneat non solum secundum divinum mandatum, sed etiam ut se liberet a periculo denuo occurrendi uxori infideli. Item dein addit: « Nec non quia poterat evenire, ut juxta eandem legem uxor repudium quoque daret marito, eadem cautela praecipi, ait, ne ipsa secundum accipiat virum, et nequis eam dimissam ducat, ni velit adulterii crimini obnoxius haberi: eadem scilicet usus cautione Hieronymus de uxore, quam praestitit de viro, ne dimissa novum iniret conjugium.

Porro et ex successivo ejusdem commentario in v. 10. *dicunt ei discipuli ejus: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, augetur suspicio intrusionis incisi: *et aliam duxerit, moechatur.* Idem enim Doctor in v. 10. iterat conditionem insertam versiculo antecedenti, aliis tamen verbis, ac ubi sensum suum magis explicat de connubio insolubili. Loco enim *nisi ob fornicationem*, scripsit *excepta causa fornicationis*, inquiens: « Grave pondus uxorum est, si, *excepta fornicationis causa*, eas dimittere non licet. Quod enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda est. » In quibus verbis duo consideranda sunt: primo exclusio, ut dixi, formulae *nisi ob fornicationem*, eo usque Patribus graecis et latinis ignota, et quam ideo ipse superius in epistola ad Amandum, hoc idem testimonium citans, rite exclusit. Secundo, revocatis, quae in versu antecedenti docuit, praeclarius causas decernit partialis separationis, unde maritus a se arcet jure uxorem suam, scilicet ob adulterium; ob ceteras tamen causas, subdit, nefas est ei eamdem dimittere. Quasi diceret, si vir dimiserit uxorem suam adulteram, bene facit: non enim debet teneri a marito, sed a thalamo separanda est, ne ipse quoque sub uxoris maledictione fiat. Si vero temulenta sit, iracunda, luxuriosa etc. a marito, velit, nolit, tenenda est, eique cohabitare debet.

In qua expositione compertissima elucet s. Doctoris mens de vinculi conjugalis perennitate usque ad unius conjugis obitum, quamvis instet pro thalami separatione ob uxoris adulterium.

Quamobrem, cunctis his intentis animadversionibus, ne dicatur unum Evangelistae comma varia lectione praeditum et quodammodo sensu opposita consuluisse Hieronymus, et hinc modo istam: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur* etc. modo aliam: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* etc, complexus, et ne dicatur haud ipse discrepantiam sensisse utriusque; ob haec et similia argumenta concludendum est, evangelicum Matthaei testimonium in c. XIX. 9. suo praemissum commentario, riteque expensum, aliter ab amanuensibus fuisse transcriptum, ita ut, veluti ostendi, ejusdem interpretatio minus textui sacro cohaereret, aliud scilicet docente Scriptura, aliud exponente Hieronymo.

Sed dicet aliquis: unde, et quomodo probatur, mutatum fuisse Matthaei testimonium, sive eidem intrusa verba, aliunde in hunc locum traducta, ac praemissa Hieronymi interpretationi?

Circa hanc quaestionem, in primis nemo nescit s. Hieronymum in hoc commentario sicuti in ceteris, non solum latinae Bibliorum translationi vacarit, sed et graecos codices consuluit, latine vertens, varietates notans, veterum Patrum et maxime Origenis conferens exposita. Secundo, pro more graecorum et latinorum interpretum, qui non integros versiculos, nec singulas dictiones cujusque commatis praemittebant discussioni, sed plerumque, vix indicatis primis vocibus cum nota *et reliqua*, sensum exponebant Scripturae, hoc idem in commentario Hieronymum egisse: cui suffragantur prisci codices. Ex. g. ex c. XIX. *Et factum est, cum consummasset Jesus etc.* omissis sequentibus, *sermones istos*, *migravit a Galilaea et venit in fines Judaeae trans Jordanem*, facile a lectore supplendis. Nisi quod serioris aetatis incauti codicum transcriptores, his defectibus consulere arbitrati, non solum plura Evangelii commata a Hieronymo praeter-

missa, extra locum suo commentario intruserunt; sed et ab initio, versiculi cum nota *et reliqua*, defectum suppleverunt per vulgatam editionem: ubi plura variant a lectione per s. Doctorem a graecis codicibus emendata. Quare accidit, ut, collatis Evangelistae verbis in versiculis commentario praemissis, cum iis eidem commentario huc illuc insertis, aliqua inspiciatur differentia; et aliquando sibi haud cohaereat Hieronymus in discussione.

Reapse in c. XI. juxta edita a Vallarsio, legitur: « *Et factum est, cum consummasset Jesus, praecipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum.* Non quasi ignorans interrogat: ipse enim, ceteris ignorantibus, demonstraverat dicens: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et Patris vocem audierat intonantis: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* » Nulla sane convenientia intercedit Hieronymi interpretationi ac textui evangelico ab eo praemisso. Matthaeus narrat sermonis Jesu terminum circa missionem discipulorum ad Evangelii praedicationem. Hieronymus vero in commentario discutit Joannis Baptistae missionem ad Jesum.

Haec porro confusio evanescet, si editioni Vallarsii substituerimus lectionem Codicis Christini Vaticani n. 40. ubi dicitur: « *Joannes autem cum audisset opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Non quasi ignorans, interrogat. Ipse enim, ceteris ignorantibus, demonstrarat dicens: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* et Patris vocem audierat intonantis: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* » Et en convenientiam Evangelistae cum Interprete, patefacta interpolatione codicis, quo usus est Vallarsius: qui comma primum capitis XI. adjecit, a s. Hieronymo tam in citatione quam in expositione omissum.

Item in c. XVI. ex eadem editione Vallarsii. v. 22. 23. *Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum dicens: absit a te Domine, non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro: vade post me satana, scandalum es mihi,* etc. In commentario tamen legitur: « *Vade retro me satana, scandalum mihi es.* Satanas interpretatur adversarius sive contrarius. Quia

contraria, inquit, loquitur voluntati meae, debes adversarius appellari . . . . *Vade retro me satana.* Diabolo dicitur, *vade retro.* Petrus audit *vade retro me*, hoc est sequere sententiam meam; *quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed quae hominum* . . . . Prudens lector inquirat quomodo post tantam beatitudinem: *beatus es Simon Barjona* . . . . nunc audiat: *vade retro me satana, scandalum mihi es.* » Ex hac Hieronymi discussione secundum Vallarsii editionem duo eruuntur. Primum quod frustra praemiserit duo commata 22. 23. cum ea postea citarit, singulas eorum partes explanans. Secundo quod ibidem scripserit: *vade post me satana*, cum in textu Hieronymi legatur: *vade retro me satana*, sicuti alibi in c. IV. 10. eadem inscripserit verba: *vade retro me satana.*

Item apud Vallarsium in c. XVIII. incipit a v. 24: « *et cum coepisset rationem ponere* etc. et pergit usque ad v. 35. In Codice vero Christino tantummodo inscribuntur dicta: *oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* Et sane Hieronymus haec solum interpretatus est, omissis aliis.

Pariter in c. I. 20. sacra verba praemittit Vallarsius: *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam* etc. Verumtamen mediante interpretatione scribit, et quidem graeco textui propinquius: *Joseph fili David ne timeas accipere Mariam uxorem tuam.* Quae verba iteravit in Libro *adversus Helvidium*, ubi septies hoc utitur vocabulo tum in textu sacro, tum in commentario: « Ab angelo inquit n. 3. Mariam appellatam uxorem et conjunctam. » Et in n. 4. subdit: « *Accepit uxorem suam.* Nullum movere debet quasi ex eo, quod *uxor* appellata, sponsa esse desierit: quum hanc esse Scripturae consuetudinem noverimus, ut sponsas appellet uxores. » Attamen amanuenses in textu sacro mutarunt *uxoris* nomen in alterum *conjugis* secundum Vulgatam.

Item in c. X. 9. praemittitur Christi mandatum: *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* In expositione vero legitur: *neque aes in sacculis vestris.* In c. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel:* et in commentario: *non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel.* In c. V. 25. loco *esto*

*consentiens adversario tuo*, scripsit: *esto benevolus adversario tuo;* redditque rationem cur ita exposuerit, quamvis in latinis codicibus inscriberetur *consentiens*. Ac ideo s. Augustinus *De sermone Domini in Monte* Libro I. n. 27. etsi occulto nomine, hanc repetit interpretationem: *esto adversario tuo benevolus cito, dum es in via*. In. c. XIV. 27. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens: habete fiduciam, ego sum, nolite timere;* sed in commentario aliter citat, inquiens: « Quod primum versabatur in causa, hoc curat, et timentibus praecepit, dicens: *habete fiduciam*, *nolite timere*, et quod sequitur, *ego sum*, nec subjungit etc. »

Hanc porro pravam amanuensium consuetudinem in addendis aut corrigendis in Hieronymi commentariis, Bibliorum testimoniis, quae ipse omiserat, vel aliter legerat, notavit Victorius in notis Tomi VII. ubi idem s. Doctor verba Apostoli *ad Galatas* c. III. 1. citavit: *O insensati galatae, quis vos fascinavit? ante quorum oculos Jesus Christus praescriptus est in vobis crucifixus?* Quae interpretatus inquit: « Legitur in quibusdam codicibus, *non credere veritati*. Sed hoc, quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus. » Attamen, ipso Victorio teste, amanuenses hunc Hieronymi codicem transcribentes, haec verba intruserunt, etsi Hieronymus omisisse se testatus esset. Et sane ita nunc legitur in Vulgata: *O insensati galatae, quis vos fascinavit non credere veritati?* etc.

Quoad vero hanc discrepantiam tam in codicibus ejusdem s. Hieronymi commentarii, quam in manuscriptis latinis versionis Bibliorum veteris et novi Testamenti ab ipso Doctore exactae, maxime faciunt quae scribit Vallarsius in Praefatione Tomi XI. Operum illius. Ait enim: « Vix dum erant quatuor elapsa secula, ex quo in publicum versio s. Doctoris prodierat; ac passim auctoritatem apud omnes fere obtinebat: cum jam vilescere visa est, mendis obsita, quae in tanto describentium librariorum numero, tantaque utentium varietate, cavere hominum diligentia non poterat. Id aegreferens Carolus Magnus, hoc emendationis opus mandavit Alcuino. Cujus tota fuit industria in conquirendis undequaque Hieronymianae versionis codicibus, iisque sedu-

lo inter se conferendis, ut quae probanda sibi esset lectio ex eorum fide, qui melioris emendationis et notae viderentur, decerneret: sive illam praeterea ad sanioris criticae regulas, sive ad ipsius Hieronymi testimonia expenderet. »

Quem tamen scopum non videtur obtinuisse Alcuinus, quam plurimis instantibus varietatibus juxta magnam manuscriptorum copiam, et ob difficultatem sincerum secernendi s. Hieronymi versionis textum praesertim in Scripturis apostolicis. Quamobrem Estius in commentario Epistolae ad Ephesios c. I. « versionem novi Testamenti, inquit, quam nos in manibus habemus, non eam esse, qualis ab Hieronymo vel edita fuit, aut emendata. » Vallarsius porro in Editione commentarii ejusdem Hieronymi, quod sane mirum est, in illud ipsum offendit, quod aliis exprobravit, non textum genuinum versionis s. Doctoris typis mandans, sed Vulgatam serioris aevi, varimode ab amanuensibus emendatam, veluti ab exemplis nuper ostendi.

Demum ut dicatur Hieronymus ipse in hoc commentario inscripsisse Matthaei testimonium juxta lectionem: *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur*, duo valde obstant. Primum, quod usque ad dimidium seculi V. et ultra ex graecis Patribus, quotquot ea dicta citarunt, quique jure custodes accurati existimandi sunt textus sacri genuini, ex illis nemo in suis discussionibus verba (omnimode Matthaei syntaxi peregrina) inscripserit *μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob fornicationem*: sicuti tantumdem probatissimam acceperit alteram locutionem *παρεκτὸς λόγου πορνέιας excepta causa fornicationis*, priori exclusa. Et reapse idem Hieronymus in eodem commentario graecam Origenis recensionem habens, formulam obsignavit *excepta fornicationis causa*, veluti alibi et praesertim in litteris ad Amandum videre est. Proindeque non est praesumendum s. Doctorem in emendatione Evangeliorum ex graecis codicibus, recentis Vulgatae verba *nisi ob fornicationem* introduxisse, aliis neglectis *excepta fornicationis causa*, cum ista vocabula graeca *μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ* latinis respondentia *nisi ob fornicationem*, adhuc ignota forent Origeni sicuti ceteris priscis Ecclesiae graecae Patribus.

Secundo obstat ut dicatur Hieronymus vocabula *nisi ob fornicationem* ex codicibus vetustae latinae versionis desumpta, suo inseruisse commentario, cum exemplaria hujus versionis, quotquot reperiri potuerint a cl. viro Petro Sabbatiero et in ecclesiis occidentalibus nota, priusquam nova invalesceret ea, quae dicitur *Editio vulgata*, cuncta ita exprimant sacra verba, quasi in graecis codicibus legeretur, non μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *nisi ob fornicationem*, sed παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta causa fornicationis*, seu *nisi ob causam adulterii*, aut *excepta ratione fornicationis*, vel *nisi fornicationis causa*. In quibus formis quamvis diversis, originale tamen λόγου nomen clare subintelligitur, quod in altera omnino desideratur.

Cum ergo sive graeci sive latini Matthaei codices, quotquot praesto fuerint Hieronymo in hoc explendo commentario, illorum nullus ei obtulerit, nec offerre potuerit formulam *nisi ob fornicationem,* inferendum est versum: *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur,* sicuti modo legitur, ab amanuensibus insertum fuisse illius commentario, cum antea ita non esset. Quam quidem lectionem *nisi ob fornicationem*, nec ullibi, jam dixi, ipse citavit, nec ante eum Tertullianus, Lactantius, Ambrosius, Philastrius aliique, de quibus infra.

Cunctis praemissis disquisitionibus, concludatur s. Hieronymum non tantum fuisse insolubilitatis conjugii christiani patrocinatorem; sed et, quod maxime quaeritur, nunquam in suis libris citasse versiculum 9. c. XIX. secundum lectionem vulgatam.



## CAPUT IX.

### *S. Chromatius, s. Augustinus.*

S. Chromatius Tractatu X. in c. V. Matthaei inquit: « Dehinc sequitur (Dominus): *Audistis, quia dictum est antiquis: qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* In omnibus Dominus et Salvator legis antiquae jura reformat in melius. Jam dudum quidem populo judaico illicite viventi, ac suis voluptatibus servienti, per Moysen repudii dandi quacumque de causa indulta videbatur licentia; non quod ita legis ratio postulabat, sed quia populi carnalis effraenata voluptas secundum rigorem disciplinae justitiam legis tenere non posset. Idcirco haec permissa facultas, secundum quod in alio loco Dominus ipse dicens, *ad duritiam cordis vestri* etc.

« Unde nunc non immerito Dominus ac Salvator noster, sublata illa licentia, antiquae constitutionis suae praecepta restaurat. Jubet namque matrimonii castum conjugium indissolubili lege servari, ostendens conjugii legem a se primitus esse institutam. Ipse enim ait: *quod ergo Deus conjunxit in unum, homo non separet.* Quo dicto et passivam judaeorum licentiam, et stultam ac miserabilem manichaeorum praesumptionem, qui negant a Deo esse conjugium, hujus sententiae pronuntiatione damnavit, dicens: *excepta causa fornicationis, uxorem non licere dimitti*, aperte demonstrans, eum contra Dei agere voluntatem, qui matrimonium a Deo junctum illicita divortii separatione temerare praesumpserit. Unde non ignorent, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effraenatam libidinis voluptatem, *absque fornicationis causa*, dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia. Quod idcirco se credunt impune committere, quia humanis et seculi legibus id videtur permissum, nescientes, in hoc se gravius ac magis delinquere, quia humanas leges divinis praeferant; ut quod illicitum Deus esse constituit, ideo licitum credant, quia ab homine sit libere permissum. Sed sicuti uxorem caste et pure viventem di-

mittere fas non est: ita quoque adulteram dimittere permissum est, quia ipsa mariti consortio fecit se indignam, quae in corpus suum peccando, Dei templum ausa est violare. »

In hac discussione primum comprehenditur, Chromatium tam in c. V. quam in c. XIX. Matthaei sempliciter legisse: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa*, *facit eam moechari*, nec ullam notasse dictionis varietatem, et hoc secundum vetustissimam graecam lectionem. Secundo, loco*, nisi ob fornicationem* legisse *excepta fornicationis causa.* Tertio, ab utroque capite V. 32. et XIX. 9. exclusisse hemistichium, *et qui dimissam duxerit*, *moechatur*. Quarto, cum Chromatius ex c. XIX. ait Christum docuisse, *excepta fornicationis causa, uxorem non licere dimitti*, praetermisisse, quae occurrunt in textu vulgato, *et aliam duxerit, moechatur*. Et ob hoc pergit Sanctus ex Christi ejusdem sermone, *quod Deus conjunxit*, *homo non separet*, eos arguens qui (nulla tamen interjecta restrictione vel adulterii vel alterius causae) illicita divortii separatione, matrimonium a Deo junctum temerare praesumpserint.

Alioquin nescio, quid sibi velit Chromatius in sequentibus, de iis locutus, *quam apud Deum grave damnationis crimen incurrunt*, *cum ob effraenatam libidinem absque fornicationis causa, dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia*. Ista namque verba praemissis contradicunt sicuti et subsequentibus, ubi ait: « *Sed veluti uxorem caste et pure viventem dimittere fas non est*; *ita quoque adulteram dimittere permissum est*, etc. » In praemissis absolute ex Deo inseparabile statuit connubium. In sequentibus vero, cum dicit licere dimittere uxorem adulteram, sermoni dominico consonans, nec tamen subdit licere, dimissa uxore fornicaria, *alteram ducere*. Quae additio videbatur necessaria praedictorum consequentia, ita ut, admisso conjugis adulterio, probaretur licitum divortium, ac novi conjugii auspicatio: nec tamen ea subjecit s. Episcopus, ubi apta putabantur; ast solum separationem indicavit.

Ideoque, cum ea verba a textu sacro dissonent, aut dicatur de suo adjecisse Chromatius, arbitrarie interpretatus,

quae Scriptura non docuit, seu potius a minori ad majus arguisse. Quasi diceret: si peccant, qui ob adulterium, uxore dimissa, aliam ducunt; quanto magis ii, qui absque fornicationis causa uxores repudiant, ut alias habeant; sicuti in sequentibus s. Augustinus sapienter exposuit.

Nemo inter Ecclesiae Patres post s. Joannem Chrysostomum, sicuti s. Augustinus de connubio christiano tantopere scripsit, variis hic illic allegatis Evangeliorum et Apostoli dictis, coram fidelibus et adversus haereticos expositis: quibuscum perpetuo catholicum de conjugii insolubilitate dogma propugnavit. Quod autem nos praecipue ab ejusdem libris quaerimus, respicit caput XIX. Matthaei: qualem perscrutati ex codicibus priscae latinae versionis Bibliorum citarit commatis 9. lectionem.

Circa annum 394. scribebat contra Adimantum manichaeum n. 1. 2. de utriusque Testamenti conciliatione. Inquiebat enim: «Cur potius (manichaei) vetus Testamentum dicunt adversari huic sententiae Domini: qua dicit relinquendam esse uxorem propter regnum coelorum, et non ipsum novum sibi adversari? quod nefas est dicere. Intelligenda ea sunt, non temere accusanda, quae imperitis videntur esse contraria. Nam et Dominus interrogatus a judaeis utrum ei placeret, dato libello repudii, dimittere uxorem, respondit eis dicens: *non legistis quoniam qui fecit ab initio, masculum et foeminam fecit eos; et dixit: propter hoc relinquet homo patrem et matrem: et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi, quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere? Dicit illis Jesus, quia ad duritiam cordis vestri, permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, facit eam moechari. Et ipse si alteram duxerit, adulterium committit.* Ecce habent confirmatam sententiam veteris Testamenti ab ipso Domino adversus imperitiam judaeorum.» Nemo interim, serie considerata sermonis dominici, obstiterit puto, asserens illum, non transcripsisse verbotenus caput XIX. Matthaei.

Similiter arguendum est de sequenti Augustini discussione *in Psalmum* 103. Sermone III. n. 4. ubi idem c. XIX. Matthaei citat eisdem verbis sicuti in praecedentibus. Ex hujus enim Psalmi dictis: *suscipient onagri in sitim suam*, scribit: « Bibant minores quod dictum est: *viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres viris suis subditae sint.* Bibant minores. Dictum est autem Domino: *si licet dimittere uxorem ex omni causa*? Prohibuit Dominus et dixit non licere. *Non scitis*, inquit, *quia Deus ab initio masculum et foeminam fecit*? *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde addit: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari; et si aliam duxerit moechatur.* Confirmavit compedem: hoc expedit colligato. Prius ageret ne ligaretur: *alligatus es uxori? ne quaesieris solutionem. Solutus es ab uxore? ne quaesieris uxorem.* Si nondum es onager, et solutus ab uxore, habes ibi quod et lepus, bibas: *et si acceperis uxorem, non peccasti.* Discipuli autem cum audirent dictum a Domino, non licere ullo modo *praeter causam fornicationis* disjungi conjugia, *si talis est*, inquiunt, *causa cum uxore, non expedit ducere.* Et Dominus: *non omnes capiunt verbum hoc* etc. » Ex hac itaque sicuti ex praecedenti s. Doctoris discussione amplissime patet Evangelii codicem secundum Matthaeum ab ipso citatum in c. XIX. 9. vetustam praeferre lectionem: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* etc. Altera exclusa: *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Item alibi, idest in libro *De concordia Evangelistarum*, commentario in Joannem, contra Faustum manichaeum, in Libro *De virginitate*, hanc eamdem Jesu cum pharisaeis quaestionem citans, veterem hujus commatis hanc videtur retulisse lectionem.

Nihilominus in libris duobus *De conjugiis adulterinis* ad Pollentium scriptis, ubi iste Augustinum vocat ad quaestionem de divortio, ita citantur dicta Evangelistae ex c. XIX: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et aliam duxerit, moechatur.* De quibus in Libro I. n. 11. inter cetera scribebat: « Illud ergo, quod Dominus non quidem in

sermone ipso, qui exponebatur a nobis, sed tamen alibi ait: *quicumque dimiserit uxorem suam nisi ex causa fornicationis, et aliam duxerit, moechatur*, si hoc modo intelligendum est, ut quicumque causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, non moechetur, non videtur in hac causa par forma esse mariti et uxoris. Quandoquidem mulier etiamsi causa fornicationis discesserit a viro, et alii nupserit, moechatur; vir autem si eadem causa uxorem dimiserit, et aliam duxerit, non moechatur. At si par forma est in utroque: uterque moechatur, si se alteri junxerit, etiam cum a fornicante se disjunxerit. Parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris ibi ostendit Apostolus (quod saepe commemorandum est) ubi cum dixisset: *uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir*, adjecit atque ait: *similiter et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.*

« *Cur ergo* (inquis) *interposuit Dominum causam fornicationis, et non potius generaliter ait: quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit moechatur, si et ille moechus est qui, dimissa fornicante muliere, alteram ducit?*

« Credo quia illud, quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissa, alteram ducere, quam si fornicantem quisque dimiserit, et tunc alteram duxerit? Non quia et hoc adulterium non est, sed quia minus est, ubi, fornicante dimissa, altera ducitur ».

Deinde in n. 12. subdit: « Non autem (sicut nescio quare tibi visum est) cum Evangelii secundum Matthaeum verba proferrem, praetermisi quod scriptum est *et aliam duxerit;* et sic dixi *moechatur*: sed ea verba posui, quae in sermone illo prolixo leguntur, quem Dominus habuit in monte. Hunc enim tractandum susceperam, quae verba illic ita leguntur, ut posui, idest, *quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari: et qui solutam a viro duxerit, moechatur.* Ubi etsi nonnulla exemplaria verbis diversis eumdem sensum habent interpretatum, non tamen ab eo quod intelligitur, discrepant. Alia quippe habent, *quicumque dimiserit*: alia, *omnis qui dimiserit.* Itemque alia, *excepta fornicationis causa*: alia, *praeter causam*

*fornicationis*: alia, *nisi ob causam fornicationis*. Item alia, *qui solutam a viro duxerit, moechatur*: alia, *qui dimissam a viro duxerit moechatur*. Ubi puto quod videas, nihil interesse ad unam eamdemque sententiam. Quamvis illud ultimum, idest, *qui dimissam a viro duxerit, moechatur*, in eo sermone, quem Dominus fecit in monte, nonnulli codices graeci et latini non habent. Credo propterea, quia et ibi explicatus hic sensus putari potuit in eo, quod superius dictum est, *facit eam moechari*. Quomodo enim dimissa sit moecha, nisi fiat, qui eam duxerit, moechus?

« Verba vero, quae ipse posuisti, unde tibi visum est, non moechari eum, qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit, et aliam duxerit, obscure quidem posita sunt. Unde non miror, in eis intelligendis laborare lectorem. Sed non sunt in eo sermone Domini, qui tunc a me tractabatur, quando illa conscripsi; quae cum legeres, te moverunt. Alibi quippe idem Matthaeus ea Dominum dixisse narravit, non cum illum prolixum faceret in monte sermonem, sed cum interrogatus esset a pharisaeis, utrum liceret ex quacumque causa dimittere uxorem. Sed quod minus intelligitur apud Matthaeum, apud alios Evangelistas intelligi potest. Quapropter cum legerimus in Evangelio secundum Matthaeum, *quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem;* aut quod magis in graeco legitur *praeter causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur*, non debemus continuo putare, illum non moechari, qui propter causam fornicationis dimiserit, et aliam duxerit; sed adhuc ambigere, donec Evangelium secundum alios Evangelistas, a quibus hoc narratum est, consulamus. Quid si enim secundum Matthaeum, non quidem, quod ad hanc rem pertinet, dictum est totum, sed ita pars dicta est, ut intelligeretur a parte totum, quod tanquam explanantes Marcus et Lucas, ut clareret plena sententia, totum dicere maluerunt?

« Cumque itaque primum non dubitantes verum esse, quod apud Matthaeum legitur: *quicumque dimiserit uxorem suam praeter causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur;* quaesierimus, utrum tantum iste moechetur ducendo alteram uxorem, qui praeter causam fornicationis, priorem

dimiserit, an omnis, qui, dimissa uxore, alteram duxerit, ut ibi sit etiam ille, qui fornicantem dimiserit; non secundum Marcum respondebitur nobis, quid quaeritis utrum ille sit moechus, et ille non sit? *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit.* Nonne etiam secundum Lucam dicitur nobis: quid ambigitis utrum ille, qui propter causam fornicationis uxorem dimiserit et aliam duxerit, non moechatur? *Omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechatur.* Ac per hoc, quoniam fas non est, ut Evangelistas, quamvis diversis verbis de una re loquentes, ab uno sensu eademque sententia dissentire dicamus; restat, ut Matthaeum intelligamus, a parte totum significare voluisse, eamdem tamen tenuisse sententiam, ut dimittens uxorem et alteram ducens, non quidem moechatur, idest qui praeter fornicationem dimiserit; quidam vero non moechatur, idest, qui propter fornicationem dimiserit; sed omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechari minime dubitetur. »

Et haec sunt Augustini argumenta apta excogitata, quibus Pollentio respondens, conatur concordiam statuere inter Evangelistas de conjugii christiani quavis de causa insolubilitate; etiamsi ei obstaret Pollentius ex praefato Matthaei testimonio.

Verumtamen ex hucusque dictis nemo est, qui non sentiat, s. Episcopum varimode citasse Matthaei testimonium in c. XIX. Alias enim scripsit: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, facit eam moechari* etc. Alias vero secus citavit: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis et aliam duxerit, moechatur* etc.

Profecto, si hucusque ex graecis et latinis Patribus ac etiam ex Augustino textum commatis hujus alium haberi statui, quam nunc occurrit in vulgata graeca et latina editione: nihilominus fatendum est, ab ipsius Augustini aetate quosdam latinos Bibliorum codices hanc, quam interpolatam facimus, continere lectionem; unde ejusdem sensus obscurus (sicuti Pollentio ita et Augustino visum est) quamdam confert difficultatem dogmati ecclesiastico de conjugii christiani insolubilitate. Aliunde vero non erit, qui hanc le-


ctionis varietatem miretur in latinis Bibliorum codicibus et potissimum Evangeliorum ab ipsius s. Doctoris aevo; cum Hieronymus ad Damasum, de his scribens, inquit: « *Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda; respondeant quibus. Tot enim sunt exemplaria pene quot codices.* » Non est ergo mirum, si Pollentius et cum eo s. Augustinus legerint praefatum Matthaei testimonium varium in dictione ab antiquis graecis codicibus; ac proinde notaverint difficultatem, quam antiquiores Patres praesertim graeci minime animadverterunt.

Deinceps, si cunctae ex Augustini libris citationes istius commatis censeantur, bis tantum hanc novam lectionem profert, in libris ad Pollentium et in *Speculo*, alibi vetere dictione servata, et praesertim, veluti praemisi, in Libro contra Adimantum et in Psalmum 103. ac insuper in Libro *De consensu Evangelistarum*. In quo studiose Matthaei narrationis cum Marco circa pharisaeorum quaestionem de divortio, concordiam quaerens, inter cetera minime notavit discrepantiam inter versiculum 9. c. XIX. Matthaei ipsius ac alterum v. 11. c. X. Marci, quae praetermittenda non videbatur, tametsi in ceteris minoris momenti quamdam indicasset differentiam.

Quapropter nescio quare s. Doctor', postquam Pollentius ei objecerat hoc Matthaei ex c. XIX. testimonium, quod facere videbatur adversus conjugii insolubilitatem, oblitus sit vetustae et quidem genuinae ejusdem commatis a se antea citati, lectionis admodum aptae ad refellendam, vel saltem imminuendam sibi propositam ab ipso Pollentio difficultatem. Et amplius mirum est, cum variantes notarit lectiones versiculi 32. c. V. alias praetermiserit, et quidem argumento suo satis congruas, capitis XIX. ex graecis codicibus repetitas. De hoc enim capite et non de c. V. quaestio inter eos erat. Ac tantumdem praesumi nequit, s. Doctorem, ac praecipue adversus Adimantum, ad litteram ex Matthaei c. XIX. describens totam phariseorum cum Jesu quaestionem de divortio, exorsum a v. 4. usque ad 9. inclusive, istius commatis 9. praeferentis antiquam lectionem, *qui dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis fa-*

*cit eam moechari* etc. praesumi nequit, inquam, hanc lectionem ex c. V. in hoc caput XIX. transtulisse, ut ita emendarentur, quae in hoc c. XIX. notabantur, *qui dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis et aliam duxerit, moechatur.* Verum talia descripsisse dominica dicta inferendum est Augustinum, sicuti Evangelistae codex, quem tunc prae manibus habuit, ei praestiterat, lectionem nempe praefati commatis ab ea variam, quam deinde notavit disputans cum Pollentio.

De reliquo videat lector, quomodo huic anomaliae consulendum sit.



## CAPUT X.

*Disquiruntur causae varietatum in lectione commatis 9. c. XIX. Matthaei: auctores interpolationis designantur.*

Exactis hucusque animadversionibus in veterum Patrum graecorum et latinorum libros circa lectionem hujus commatis, modo praestat, simul colligere ex Patribus eisdem lectiones variantes, quibus istud testimonium expressum est, earumque perscrutari causas. Quae quidem ad sex reduci possunt juxta earum antiquitatis ordinem.

Prima, quae antiquissima et genuina reputatur lectio, haec est: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

Secunda: *Quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Tertia: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur.*

Quarta: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, facit eam moechari.*

Quinta: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Sexta demum in Vulgata graeca et latina: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

In his tamen lectionum diversitatibus, duae potissimum considerantur essentiales; una ubi dicitur: *Qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* et altera, ubi legitur: *Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.*

Cum itaque hujusmodi differentia haud parvi momenti reputetur, et cum unus sit Matthaeus Evangelii scriptor, necessario sequitur, utramque lectionem non haberi genuinam; proindeque si una genuina existimetur, altera consequenter apocrypha. De reliquo, si una tantummodo ad-

mittatur genuina, illa profecto accipienda est, quae a primoribus Ecclesiae Patribus graecis et latinis, suis libris inscripta est, contextui accommodatior, et ceteris sacris de conjugio dictis conformior; ubi dicitur: *qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam moechari*: altera exclusa tum priscis patribus ignota, tum contextui minus apta, et in usu verborum vaga, dubia et confusa; adeo ut s. Augustinus, a quo primum citatur, intellectu difficilem vocarit, sicuti et ceteri inferioris aetatis interpretes, qui huic lectioni operam dederunt, ob illationem, quae deducenda videbatur (sicuti heterodoxi firmiter arbitrati sunt) pro divortio absoluto inter conjuges ob uxoris adulterium. Quam tamen difficultatem fatendum est, nequaquam sensisse nec indicasse, ab Ecclesiae primordiis, ac praesertim inter graecos Patres ad seculum usque sextum, Clementem alexandrinum, Origenem, Tertullianum, Gregorium nazianzenum, Ambrosium, Basilium, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Cyrillum alexandrinum, qui prae ceteris (quorum nomen sileo) sedulo hanc pharisaeorum cum Jesu expenderunt quaestionem, insolubile propugnantes quavis de causa connubium.

Causas itaque hujusmodi varietatum et hinc interpolationis hujus commatis, duas potissimas reperimus. Prima reperitur in argumenti similitudine a tribus Evangelistis pertractati, Matthaeo, Marco et Luca. Altera ab eorum studio repetitur, qui in Ecclesiam post Constantini aetatem divortium absolutum ob adulterium introducere, et evangelicis sancire Scripturis admodum nitebantur, sicuti deinde in Ecclesia graeca schismatica infaustissime invaluit.

Prioris causae, ex analogia sermonis trium Evangelistarum exortae, impulsus repetendus est ab Ammonii alexandrini *Diatessaron in Evangelia;* quod imitari alia ratione studuit Eusebius, quemadmodum in epistola ad Carpianum scribit: « Ammonius, inquit, quidam alexandrinus magno studio atque industria unum nobis pro quatuor, Evangelium reliquit, reliquorum Evangeliorum pericopas componens sive connectens; ita ut necessario accidat, consequentiae seriem trium (Evangeliorum) quantum ad tenorem per-

tinet lectionis, interrumpi. Verum ut, salvo et aliorum Evangeliorum per totum corpore et tenore, propria uniuscujusque Evangelistae loca, in quibus eadem et similiter dixerunt, scire possis ac vera disserere, accepta occasione ex praedicti viri studio, alia ratione decem numerorum tibi titulos designavi etc. »

Nequis vero fortasse Ammonii harmoniam alteri comparans Victoris capuani (in quam Zacharias chrysopolitanus commentarios scripsit) hanc putet ex Baronii et Bellarmini opinione, eamdem esse, ita ut nostro obsit instituto quoad Matthaei testimonium in c. XIX. 9. haud ignoret, quae contra ait Henricus Valesius in notis Hist. Eccles. Eusebii Libro IV. c. XXIX. discrepantiam ostendens unius ab altero relate ad usum sacri textus in hoc concinnando opere.

Postea, si per hunc Ammonii et Eusebii laborem ab evangelicae veritatis studioso non ignoratur usus, non tamen latuerit, quam facillime confundi potuisse ab amanuensibus, vel ab interpretibus parum cautis, aut data opera, genuinum cujusque Evangelistae sensum, ab unius Evangelii exemplari verbis in alterum translatis. Quod quidem in casu nostro fieri potuerit, ut Lucae dicta transferrentur in Matthaei Evangelium. Ac ideo, quae singuli Evangelistae pro sua parte dominica verba de conjugio perspicue scripserunt, idest Matthaeus: *quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, et Lucas: *omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur*, haec eadem testimonia in *Diatessaron* unum contra alterum sita, fieri potuerit, inquam, ut ab amanuensibus et expositoribus simul conserta confunderentur: adeo ut quidam post Matthaei locutionem *excepta fornicationis causa,* scripserint, *et aliam ducit moechatur*, alii *facit eam moechari*, ceterique subjunxerint *et qui dimissam duxerit, moechatur*. Ex qua confusione et specialim ob intrusionem incisi *et aliam duxerit*, a Matthaeo omissi, prodiit sensus difficultas.

Quam porro dixi evenisse confusionem ob amanuensium incuriam in his transcribendis verbis, hoc idem c. Sabbatierus, antiquis collatis latinis Evangeliorum codicibus saepius

notavit, exemplisque confirmavit. In codice sangermanensi 2. ubi Matthaeus c. X. 39. ait: *qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, amanuensis Marci c. VIII. et Joannis c. XII. interserens verba, scripsit: *qui autem voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; nam qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam in vitam aeternam.* Item in Codice colbertino, ubi Vulgata Matthaei dicta refert c. XII. 1. *in illo tempore abiit Jesus per sata sabbato; discipuli autem ejus esurientes coeperunt evellere spicas et manducare*, aliter legitur: *in illo tempore abiit Jesus per segetem sabbatis, discipuli autem ejus esurientes vellebant spicas, et confricantes eas manibus suis, manducabant.* Haec postrema verba ex Lucae c. VI. 1. translata sunt in Evangelium Matthaei. Similiter in Codice corbejensi 2. ejusdem Matthaei dictis c. XV. 19. *de corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes furta, falsa testimonia, blasphemiae*, ex Marci c. VII. 22. adduntur *avaritia, nequitiae, doli, impudicitiae, oculus malus.*

Item in Matthaei c. XX. 22. Christi sermoni ad discipulos, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* in quibusdam graecis et latinis codicibus, ex Marci c. X. 38. *et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* adduntur. In ipso Matthaei capite v. 28. post verba: *et dare animam suam redemptionem pro multis*, subditur ex c. XVI. Lucae: *intrantes autem et rogati ad coenam, nolite recumbere in locis eminentioribus* etc. Ac sex notantur codices cum hac additione. In quibusdam manuscriptis graecis et latinis post versiculum 41. c. XXIV. Matthaei: *duae molentes in mola, una assumetur et altera relinquetur,* ob sermonis convenientiam additum est: *duo in lecto, unus assumetur et alter relinquetur.* Quae verba ex genuino c. XVII. 34. Lucae translata sunt in Matthaei Evangelium. De reliquis et quidem innumeris hujus generis exemplis conferas praefatum Sabbatieri accuratum Opus.

Quod vero Sabbatierus de codicibus latinis speciatim dixit, Millius potissimum notavit de codicibus graecis, exemplisque confirmavit (uti in ejusdem Prolegomenis novi Te-

stamenti videre est) inquiens, ob Eusebii canones varietatem exemplarium Evangeliorum evenisse, vocabulis sive clausulis explicatoriis additis, aut in margine expressis, deinde in textum traductis ab amanuensibus, vel translatis ab uno ad aliud Evangelium. Quod idem s. Hieronymus in epistola ad Damasum, frequentius factum esse ostenderat: « Magnus siquidem, ait, hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum, ceteros quoque existimaverit emendandos. »

Quare, etsi fatendum sit, praefatas translationes universim nihil officere historicae veritati, aut dogmatis sanctitati; attamen in quaestione nostra ob translationem quorumdam verborum ex Evangelio Lucae c. XVI. 18. in versiculum 9. c. XIX. Matthaei, veluti nunc legitur in graeca et latina Vulgata, etsi oppositio non instituatur inter Evangelistas, lata tamen adversariis reseratur via putandi ob adulterium penitus dissolvi connubium.

Secunda vero causa, cur hujusmodi lectio introducta fuerit, ac deinde invaluerit in manuscriptis Bibliorum sacrorum, repetenda est a divortii absoluti patronis, qui a Chrysostomi, Hieronymi et Augustini aetate (quemadmodum horum scripta testantur) ab inveterata judaeorum et gentilium praxi suffulti, insurrexerunt adversus christianam et apostolicam institutionem de matrimonio quavis de causa insolubili. Et ut ceterorum omittam testimonium, illud sufficiat, quod scribit s. Augustinus in Libro *De fide et operibus* n. 35. « Sed quoniam, inquit, malorum christianorum mores, qui fuerunt antea etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas ducerent uxores viri, aut alienis viris nuberent foeminae: inde fortasse apud quasdam ecclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis *Competentium* nec quaererentur, nec percuterentur haec vitia: atque inde factum est, ut inciperent et defendi. Quae tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo, non densa facimus. Talem quippe in quibusdam negligentiam, in aliis

imperitiam, in aliis ignorantiam probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur: *cum autem dormirent homines, venit inimicus ac superseminavit zizania* etc. »

Ubi autem s. Augustinus ait, inde factum esse ut inciperent et defendi, facile concipitur, defensores divortii absoluti se ad hoc Matthaei testimonium recepisse, interpolata sua genuina lectione; unde ut incauti illusi, praevia quoque judaeorum et gentium consuetudine, putarunt Dominum in Evangelio solutionem vinculi conjugalis docuisse ob unius conjugis adulterium: adversus quod Ecclesia tunc tantopere dimicavit. Eoque magis hoc fieri potuit, cum undequaque codices sacri in omnium manus pervenirent; et unusquisque eos transcriberet, additis, vel transpositis pro lubitu verbis secundum eorum desideria, ut ait Apostolus.

Ex his itaque praemissis causis quisque, puto, sibi suaserit quomodo et cur Matthaei dicta in v. 9. c. XIX. falsari potuerint, et hinc, quanto jure standum sit priorum Ecclesiae Patrum auctoritati, qui, aliter quam in recentioribus occurrit codicibus, citata Christi verba legerunt, exposueruntque, convenientiam mirati inter Evangelistas, inter Apostolum et Ecclesiae traditionem circa perenne connubii christiani vinculum: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Hujus rei exemplum praeclarissimum ac nostris satis aptum disquisitionibus eruitur ex Theophylacti commentario in Lucam. Is namque Evangelistae verba c. XVI. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur*, inquit: « Nam de solutione nuptiarum juxta duritiem cordis eorum, respondit, ut cum vir odio habuerit uxorem, potestatem habet dimittendi eam, ne deterius quid fiat. Homicidae enim erant et sanguinarii, et neque propriis parcebant quandoquidem et filiis; et filias daemonibus immolabant. Sed humilitas et imperfectio legis talis erat. Tempus enim hujusmodi legislationis tunc erat; nunc autem alia perfectiore doctrina opus est. Idcirco etiam dico: Πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, παρεκτὸς λόγου πορνείας δηλαδὴ, καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει. *Omnis qui dimittit uxorem suam, excepta scilicet fornicationis causa, et ducit alteram, moechatur.* Unde haud mirum, si,

cum nihil tale de paupertate lex manifeste docuerit, ego de paupertate non disseram. Ecce cum de solutione matrimonii lex indistincte praeciperet propter caedem judaeorum, ego ad perfectiora exercens auditores, repudium *absque rationabili causa* prohibeo, non illi contraria docens, sed magis ejus voluntatem perficiens etc. »

Ex his praemissis liquet Theophylactum in eo loco Lucae testimonium interpretari, ubi desunt verba *excepta fornicationis causa*. Attamen huic defectui supplere putavit, huc translatis et insertis Matthaei dictis, quae nequaquam inserenda erant. Et hoc egit Theophylactus in argumenti robur pro divortio absoluto in causa adulterii. Quapropter perspicue cernitur, quod ego ex allatis testimoniis et discussionibus et s. Hieronymi, Sabbatieri et Millii auctoritate universim probare studui circa hujusmodi varietates, speciatim quaestioni nostrae applicandum circa falsationem Matthaei commatis 9. c. XIX. huc intrusis s. Lucae dictis: *et aliam duxerit moechatur;* quae quidem eidem Lucae, non vero Matthaeo, inscribenda erant, nec unquam confundenda, utriusque Evangelistae vario animadverso scopo. Ille enim Christi Jesu mentem expressit de conjugii insolubilitate; ac alter praeterea peculiarem conditionem viri indicavit quoad uxoris adulterium: de quo inferius. Ac interim pro nostra thesi ab uno Theophylacto disce omnes.

Quae vero hucusque discussimus de noti commatis falsatione ob additionem *et aliam duxerit moechatur,* aliud obtinent adminiculum in vocabulis graecis ἐι μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ *nisi ob fornicationem*, quae in plurimis codicibus graecis substituta fuerunt locutioni παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa*: quum jure ista antiquior et genuina defendatur.

Quamvis in recentioribus et quidem paucis codicibus graecis Matthaei testimonium legatur, *quicumque dimiserit uxorem suam* ἐι μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ, addita particula conditionali ἐι *si,* ut inde planior incedat sermo graecus, idest *nisi ob fornicationem*: nihilominus universim graeca manuscripta praesertim vetustiora et sane innumera, hanc omiserunt particulam. Et hoc fatentur omnes, qui evangelicos codi-

ces graecos perscrutati sunt; in quibus praestat c. Tischendorfius in *Recensione novi Testamenti graeci* an. 1859. Cujus omissionis circa hoc comma partim ego ipse testis fui, qui plura manuscripta vaticana contuli: ubi lectio vulgata confirmatur μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ *non ob fornicationem.*

Hisce positis, quaerendum est, num particula negativa μὴ *non* loco ἐι μὴ *nisi*, usitata fuerit apud Matthaeum; quod negatur. Evangelista enim (sicuti ceteri Marcus, Lucas et Joannes) in proprio loquendi usu, loco particulae exceptivae ἐι μὴ *nisi*, nunquam substituit simplicem negativam μὴ *non*. Et cum sane saepissime talis particula ἐι μὴ *nisi*, occurrat in Scriptura evangelica, tantumdem altera μὴ in significatione *nisi* solummodo in v. 9. c. XIX. Matthaei inserta reperitur. Et hoc constituit argumentum contra hujus testimonii integritatem; quod magis augetur a sequente praepositione ἐπὶ πορνέιᾳ *ob fornicationem* constructa cum dativo casu in sensu causali *ob, propter fornicationem*, quae nullibi occurrit apud Evangelistam. Ex adverso enim loco ἐπὶ dixit πρὸς *propter*, uti paulo ante πρὸς *ad*, vel *propter duritiem cordis vestri* etc. Sed frequentius usurpavit, διὰ *propter*, ex. g. *regnum coelorum:* διὰ *propter traditiones vestras* etc.

Praeterea (quod quam plurimum proficit) nemo ignoret, praefata vocabula μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ *non ob fornicationem* non citari a graecis priscis Patribus; ast pro iis scripsere παρεκτὸς λόγου πορνέιας *excepta causa fornicationis,* satis in hoc indicantes, graecos Evangelii codices aetati apostolicae propinquiores, talem praeferre lectionem genuinam, altera exclusa. Id autem testantur Theophilus antiochenus, Clemens alexandrinus, et praesertim Origenes sagax codicum Bibliorum investigator ac fidelis interpres: qui verbotenus versiculum 9. c. XIX. quater citavit exposuitque: *quicumque dimiserit uxorem suam* παρεκτὸς λόγου πορνέιας *excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, omissa lectione secundum textum graecum hodiernum. Quod idem animadverterunt s. Basilius, s. Chrysostomus, Cyrillus alexandrinus, Theodoretus, ceterique usque ad dimidium seculi V. Cuncti praefati, quoties comma 9. c. XIX. appellarunt, prae-

missam Origenis lectionem exhibuerunt. In quibus valde mirandum est de Chrysostomo, qui tam ex c. V. quam ex c. XIX. duodecies παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa* citavit, penitus alia neglecta μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *non ob fornicationem*. Propter quod concludendum est, ad quinque fere secula graeca vocabula μὴ ἐπὶ πορνείᾳ abfuisse a Patrum graecorum exemplaribus. Quae verba etsi non mutent Scripturae sensum, amanuensis glossatoris tamen arguunt temeritatem.

Insuper non solum a Patribus graecis educitur, tunc in priscis Matthaei codicibus ea verba desiderari, sed et a latinis Scriptoribus; quos graeca vocabula verbotenus latine transferentes, legisse vertisseque probatur nequaquam μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, sed παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa;* uti videre est in antiquis exemplaribus Versionis italicae, in libris Tertulliani, in commentariis Hilarii, Ambrosii, Hieronymi et Augustini. Qui ultimus in Libro 1. n. 12. *De conjugiis adulterinis*, hoc idem citans c. XIX. inquit ibidem secundum graecam lectionem non esse exponendum *nisi ob fornicationem*, sed *praeter causam adulterii seu fornicationis*: quod rite convenit graeco παρεκτὸς λόγου πορνείας.

Similiter et vocabulum μοιχᾶται, quod immediate sequitur *nisi ob fornicationem*, notam confert textualis interpolationis. Matthaeus enim ubicumque locutus est de adulterio sive fornicatione vocabulum μοιχεύω, neque vero μοιχάομαι adhibuit: et huic formae reliqua aptavit tempora sive activa sive media; sicuti videre est in c. V. 27. 28: *audistis, quia dictum est*, οὐ μοιχεύσεις *non moechaberis*. Item in c. XIX. 18. οὐ μοιχεύσεις *non moechaberis*. Et hinc in. c. V. 32. et in c. XIX. 9. veluti testantur veteres, quos citavi, graeci Patres, Evangelista scripsit *facit eam* μοιχευθῆναι *moechari*, alia forma μοιχᾶσθαι abjecta, ubique secutus formam originalem μοιχεύω seu μοιχεύομαι. Ideoque sicut amanuensibus licuit hoc mutare vocabulum, et loco παρεκτὸς λόγου πορνείας *excepta fornicationis causa* inscribere μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *non ob fornicationem*, pariter asserendum est eisdem licuisse sequentem corrumpere lectionem, et sensum confundere Evangelistae, ita ut videatur propugnare doctri-

nam, quam paulo ante reprobavit, solubilitatem statuens conjugii, quod ibidem Dominus quavis de causa, ac ideo etiam stante unius conjugis fornicatione, ex primaeva institutione perenni vinculo intemeratum docuit, voluitque. (*)



(*) Haec antiqua et genuina lectio eodemque sensu accepta fuisse videtur penes syros nestorianos, teste Josepho Simonio Assemanio in Tomo IV. Bibliothecae Orientalis p. 326. Is citat Timotheum illorum patriarcham; qui in synodo anni 786. et confirmata an. 804. statuit: « Nemo propriam uxorem dimittat, nisi causa fornicationis, aut religionis; dummodo tamen ad seculum non regrediatur. Et haec ait in Can. 42. Porro in Can. 44. dicitur: « Si mulier fornicata fuerit, sive vir; mulier quidem domo ejiciatur nuda sine dote; similiter vir. Uxor autem non nubat: qui enim dimissam duxerit, moechatur. Item maritus non ducat alteram. »

## CAPUT XI.

*Veterum Patrum de praefato commate summarie innovantur testimonia, pro restitutione pristinae lectionis, codicum antiquorum auctoritate adauctae.*

Quamvis sparsim praefatum Matthaei versiculum 9. c. XIX. secundum uniuscujusque scriptoris vel interpretis mentem et citationem antea notaverim et explanaverim; nihilominus ad hujus argumenti perspicuitatem, genuinae lectionis testium summam huc redigere existimavi, Patrum citationibus additis graecis et latinis codicibus.

Ac interim ex antiqua alexandrina Schola exorsis, qui explicite, sine additione *et aliam duxerit moechatur*, hoc citavit testimonium (aliorum enim, qui ei praecesserunt, desunt libri) primus occurrit Clemens; qui circa finem secundi seculi in Libro III. *Stromatum* adversus divortii propugnatores dimicans inquit: « Quid est autem quod Dominus quoque dixit eis, qui interrogabant de divortio, an liceat uxorem dimittere, cum Moyses id permiserit? *Ad duritiam cordis vestri*, inquit, *Moyses haec scripsit*: ὑμεῖς δὲ οὐκ ἀνάγνωτε, ὅτι τῷ πρωτοπλάστῳ ὁ Θεὸς εἶπεν: ἔσεσθε οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν: ὥστε ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα χωρὶς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι. Αλλὰ μετὰ, *vos autem non legistis, quoniam protoplasto Deus dixit: eritis duo in carnem unam; itaque, qui dimittit uxorem praeter causam fornicationis, facit eam moechari. Sed post* etc.

Paulo post ab initio seculi III. Origenes Clementis discipulus ac successor illius in ejusdem Scholae praefectura ex c. XIX. Matthaei (cui respondet vetus latina Interpretatio) juxta versiculorum et expositionis ordinem, quater ad litteram citavit versiculum 9. hac simplici locutione: ὅς ἂν ἀπολύσει τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, *quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

Tertullianus circa idem tempus in Libro IV. contra Marcionem n. 16. et in Libro *De monogamia* n. 9. Christi

verba cum pharisaeis de divortio ex Matthaei c. XIX. interpretatus, secundum tunc in Ecclesia africana invalescentem Evangeliorum versionem ita notat v. 9. *Quoniam qui dimiserit uxorem suam praeterquam ex causa adulterii, facit eam adulterari.*

Philastrius brixiensis circa an. 380. Haeresi 84. sub titulo *abstinentes,* de Christi cum pharisaeis quaestione disserens ex c. XIX. Matthaei, scribit: *qui dimiserit uxorem suam sine criminis causa, facit eam moechari.*

Chrysostomus in Homilia *De decem millibus talentorum* n. 3. inquit: « Rursus de matrimonio et uxore disputante Christo ac dicente: ὅτι ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, *quoniam dimittens uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari;* et omnem malitiam uxoris ferendam esse admonente praeter crimen fornicationis, Petrus, aliis omnibus tacentibus, Christum alloquitur: *si istiusmodi est causa hominis cum muliere, non expedit nubere etc.* » Et hic quoque tum s. Doctoris argumentum tum orationis series, cum praeclarissime respiciant ad caput XIX. Matthaei, satis luculenter quoque lectionem pandunt aliam a vulgato latino et graeco textu.

Item s. Hieronymus ob oculos codices graecos Evangeliorum ab Origene collatos et expositos habens, in epistola ad Amandum, hoc idem Matthaei comma citat et quidem non a capite V. descriptum sed e capite XIX. Ait enim: « Nec Apostolus haec propria auctoritate decernit; sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est; qui ait in Evangelio, *qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam acceperit, adulter est.* Animadverte quid dicat, *qui dimissam acceperit adulter est.* Sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Unde Apostoli gravem conjugii sarcinam intelligentes, *si ita est*, inquiunt, *non expedit homini uxorem accipere.* » Cum itaque s. Doctor ibidem statim subdat: *si ita est, non expedit homini uxorem accipere,* connexionem ostendit versiculi 9. c. XIX. cum immediate sequente v. 10. secundum evangelicae locutionis ordinem sibi ex sacro codice obvium.

S. Augustinus in Libro contra Adimantum manichaeum n. 1. 2. pharisaeorum quaestionem cum Jesu de conjugio citat ex c. XIX. Matthaei, versiculorum seriem ita describens: *non legistis, quoniam qui fecit ab initio masculum et foeminam fecit eos . . . Dicunt illi: quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii et dimittere? Dicit illis Jesus, quia ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, facit eam moechari. Et ipse si alteram duxerit, adulterium committit.* Non ambigitur ergo quin hic s. Augustinus excludat Vulgatae recentioris lectionem.

Similiter *in Psalmum* 103. Sermone III. n. 4. hanc repetens quaestionem, singula c. XIX. commata discutit, donec ad conclusionem descendat: *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Deinde addidit: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et si aliam duxerit, moechatur.* (*)

Cyrillus alexandrinus codicum Evangelii haeres et custos, qui ab ea antiqua schola et ecclesia servabantur, in commentario Epistolae I. ad Corinthios, Christi notans responsum ex c. XIX. Matthaei quoad matrimonii vinculum scribit: « Ait Dominus: *ὅτι ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνέιας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, quoniam dimittens uxorem suam excepta causa adulterii, facit eam moechari.* Quumque ad haec discipuli ejus dicerent: *si causa viri cum foemina talis est, non expedit nubere* etc. » Hujusmodi lectio plane convenit citationibus Clementis et Origenis.

(*) Quamvis s. Augustinus in hoc et in praecedenti loco ac in primo versiculi hemistichio proferat veterem Matthaei juxta graecos patres lectionem: *qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam moechari;* attamen secundum hemistichium, *et si ipse aliam duxerit, moechatur*, apparet huc translatum fuisse a Marci capite X. 11. cum Matthaeus ea omiserit. Quocum amplius patet quomodo in codicibus ob sermonis assimilationem confusum fuisse trium Evangelistarum sensum de connubio, ut ait s. Hieronymus.

Theodoretus Cyrillo coaevus in Sermone IX. *De legibus* eamdem perspicue agens pharisaeorum disputationem cum Jesu de repudio uxoris ex c. XIX. Matthaei, parem profert lectionem versiculi 9. hujus capitis : « At naturae Opifex, inquit, qui humanam naturam creans, unum in principio virum et foeminam formavit, etiam solvi matrimonium vetat. Unicamque hujus dirimendi causam assignavit eam, quae maritalem copulam vere divellit. *Omnis enim*, ait, *qui dimittit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam moechari : et qui dimissam duxerit, moechatur.* »

Ad hanc aetatem omnium criticorum opinione refertur Codex vaticanus graecus n. 1209. omnibus codicibus graecorum Bibliorum antiquitate praestans. In hoc exemplari citatur versiculus 9. c. XIX. his verbis : *Λέγω δὲ ὑμῖν, ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι: καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας, μοιχᾶται: Dico autem vobis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Clarissimus vir Cardinalis Angelus Majus in Tomo I. Novae Bibliothecae Patrum parte 2. *Speculum* edidit Bibliorum latinorum, quod inscripsit Augustino. Hujus *Speculi* codex situs est in Bibliotheca sessoriana. Istius autem concinnator in c. 80. *De laude virginum*, postquam citavit c. VII. Epistolae I. ad Corinthios, subdit : « Item in Evangelio secundum Matthaeum (XIX. 9. 10. 11.) *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit illam moechari. Dicunt ei discipuli : si talis viri causa est cum uxore, non expedit nubere. Jesus autem respondit eis : non omnes capiunt verbum istud, sed hii, quibus concessum est. Sunt enim spadones, qui ex utero matris nati sunt; spadones, qui facti sunt ab hominibus : spadones, qui seipsos spadonaverunt propter regnum. Qui potest capere capiat.* In qua citatione, praesertim consideratis vocabulis, *spadones qui seipsos spadonaverunt*, significatur indoles antiquissimae latinae Evangeliorum versionis ex aevo apostolico conflatae, unde hoc *Speculum* transcriptum est : ut hinc inferatur solidum argumentum genuinae lectionis praefati

Matthaei testimonii adversus recentiores latinos codices; ac una instituatur concordia ejusdem veteris interpretationis Bibliorum cum alexandrinis graecis exemplaribus.

Hanc eamdem Evangelistae in hoc capite XIX. lectionem protulit Joannes Martianaeus ex Codice corbejensi I. quem ante annum millesimum conscriptum putat, ediditque sub titulo: *Vulgata antiqua latina et itala versio Evangelii secundum Matthaeum.* Ex eo enim Codice legit: *dico autem vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit eam moechari. Dicunt ei discipuli ejus: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Dixit autem eis Jesus: non omnes capiunt verbum istud; sed quibus datum est; sunt enim spadones, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt spadones, qui facti sunt ab hominibus; et sunt spadones, qui se ipsos excastraverunt propter regnum coelorum.*

S. Gregorius Magnus bis Matthaei dicta citat in epistolis 45. et 50. Libri XI. In his, admissa veteri lectione *excecepta fornicationis causa,* novam exclusit *nisi ob fornicationem.* In epistola 45. palam refertur ad v. 9. c. XIX. Scribit enim: « Per se enim veritas dicit: *quae Deus conjunxit, homo non separet.* Qui etiam ait: *non licet dimittere uxorem, excepta fornicationis causa.* Quis ergo huic coelesti legislatori contradicat, quia scriptum est: *erunt duo in carne una?* » Si enim s. Pontifex in hoc commate legisset: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit,* subdidisset quoque: non licet dimittere uxorem suam *et aliam ducere* nisi ob fornicationem. Quod tamen sine hac nota reliquit.

In Codice latino vaticano n. 3785. chartae sex inseruntur, graecum capientes fragmentum Evangelii Matthaei c. XIX. litteris majusculis conscriptum circa seculum X. cum hac lectione: *ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ, ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι, καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται, qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Ex praemissis Patrum citationibus, praeviis veterum te-

stimoniis, statuendum videtur, ad tria secula praevaluisse hujus commatis lectionem, sive graecam seu latinam, simpliciter expressam: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Deinde seculo IV. ob sensus assimilationem ex Lucae Evangelio additum fuisse: *et qui dimissam duxerit, moechatur;* sicuti in quibusdam exemplaribus, maxime latinis, teste s. Augustino, tunc inserta occurrunt: *qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, et aliam duxerit, moechatur.* Serius vero ac verisimiliter circa seculum VI. introducta apparet in codices graecos lectio vulgata: *qui dimiserit uxorem suam μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Quae successive tam in graecis quam latinis exemplaribus Bibliorum, praesertim post Alcuini recensionem, paucis exceptis, ubique praevaluit.

Quapropter, simul collatis duobus celeberrimis codicibus Vaticano et Sinaitico, non solum inter hos patefit discrimen in ordine citationis hujus commatis, ita ut non una et eadem admittenda horum origo sit; sed et relate ad eorumdem aetatem. Nam ex praemissis disquisitionibus Codicis vaticani confirmatur antiquitas a seculo IV. vel V. repetenda. Alter vero Codex sinaiticus vix pertingeret seculum VI. In hoc enim textus graecus sonat juxta vulgatam et quidem falsatam lectionem: *qui dimiserit uxorem suam μὴ ἐπὶ πορνέιᾳ nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur*, et hinc penitus variam a Vaticano, quemadmodum a citationibus Patrum graecorum; de quibus superius tractatum est. Verumtamen de Codice sinaitico fortasse in posterum disputandum erit.

Nihilominus plures sentio adversus me instare, magnam codicum graecorum et latinorum copiam objicientes, ac una virorum ecclesiasticorum libros in utroque idiomate conscriptos repetentes, ubi hoc legitur testimonium secundum hodiernam vulgatam graecam et latinam, ac ita exactum, ut alter textus graecus alteri verbotenus respondeat latino.

Id autem non inficior. Attamen concedendum mihi est, nullos codices etsi antiquos superare Patrum veterum ae-

tati: eos dico patres, qui seculum V. praecesserunt. Quotquot hucusque reperiri potuerint codices graeci et latini etiam vetustissimi (testibus Paleographiae peritis) vix seculum V. pertingunt. Ideoque Patrum scripta, ubi hoc continetur Matthaei testimonium, praeferenda sunt codicibus, ubi aliter notantur sacra verba.

Ceterum haud sane mirum, si innumeri graeci codices corrupta lectione praediti, graecas et orientales pervaderent ecclesias; dummodo consideretur horum codicum transcriptores de illarum gentium schola ut plurimum prodiisse, cujus instituta viris sinebant repudiare uxores adulteras, aliasque ducere. Et hinc nihil eis commodius, quam vel codices sacros pravare, vel pravatos servare, vulgare, patrocinari adversus antiquiora manuscripta genuina ac priscorum Patrum testimonium, favore deinde comparato a reformatoribus Ecclesiae occidentalis.

Causis vero diligentius investigatis hujus commatis corruptionis in verborum usu et sensu, et cur verbotenus graecanica locutio adamussim textui latino respondeat, ac uterque textus secus appareat quam primaevi Patres graeci et latini legerant, et quomodo, antiqua posthabita lectione, nova successive invaluerit, adeo ut hodie undique habeatur vulgatus Evangelii textus, hoc primum repetendum videtur ex illorum studio, qui harmoniam quaerentes inter latinos et graecos codices, hos ex illis, vel vicissim emendandos putarunt. Reapse Codex cantabrigiensis vetustus graeco-latinus, Evangelia et Actus Apostolorum continens, et a Beza editus, nobis hujusmodi suspicionem praebet. Ibi graeca et latina lectio sibi invicem respondet, verbum fere verbo. Graeca sinistram paginam occupant, dexteram latina. Et ob hoc Millius in Editione Evangeliorum, eorumque Prolegomenis p. 134. ita disserit: « Vidimus, ait, qualia fuerint graeca, qualia latina hujusce Codicis. De graecis unum illud ultra quaeritur, an aliqua ex parte castigata fuerint ad latinum exemplar? Ea enim erat de libris hujus generis eruditorum quorumdam nostrae et superioris aetatis diserta sententia.

« Cum enim consenserint ista cum latinis, contra quam

reliqui Graeciae libri, iique optimi, facile ipsis persuasum erat, ea vel non omnino fuisse graecae originis, sed toto quanta traducta de latinis, vel saltem recensita et emendata fuisse variis suis partibus ad latinam versionem. Sic de ipsis pronuntiant Erasmus, Lucas Brugensis, Estius, Grotius aliique: quorum sententiam nil mirum, si in hac Editione nostram fecerimus . . . Ex hac autem consensione forte factum est, ut indocta manus paucula hïc inde in textu graeco ad formam latinorum et a latina versione mutaverit. » In quibus (dico ego) versiculum 9. c. XIX. Matthaei: *quicumque dimiserit uxorem suam* μὴ ἐπὶ πορνέια *nisi ob fornicationem*, *et aliam duxerit*, *moechatur*, *et qui dimissam duxerit*, *moechatur*. Quae verba tum in syntaxi cum in sensu omnimode variant a sua originali lectione, quam Patres antiqui tradiderunt. Ceterum an sic se habeat nec ne res, ut ait Millius, certum tamen est in Bezae Manuscripto conflatum esse concordiae opus inter graecas et latinas novi foederis Scripturas.

Secundo, his praemissis, si ad successivae aetatis viros descendimus, qui Bibliorum latinorum emendationem susceperunt, duos reperimus, Alcuinum et postea Lanfrancum. De Alcuino dicit Millius, mandante Carolo Magno, universos veteris et novi Instrumenti libros librariorum imperitia depravatos, examussim correxisse circa an. 797. Quod opus deinde seculo XI. innovatum est a Lanfranco sub hoc titulo: *Correctorium ecclesiasticum, seu Liber locorum in sacris Bibliis ceterisque codicibus corruptorum, ecclesiasticas emendationes exhibens ad usum ecclesiarum Occidentis*. Et quid hinc nos suspicari vetat, praefatos, atque socios huic labori adstantes, analogia inspecta inter graecam et latinam editionem versiculi 9. c. XIX. Matthaei, ita ut una ab altera firmetur, ex hac nova illusos emendasse veterem: seu variantibus consideratis in hoc versiculo, illam probasse lectionem minus probabilem, eo quod in exemplaribus graecis tunc maxime praevaleret?

Hoc autem exploratum habetur ex Theophylacto *in Matthaeum*: ubi textu sacro comparato successivae ejusdem interpretationi, aliter a praemissis expendit divina verba.

Et haec interim scribit in c. XIX. 8. 9. « Igitur, quia una caro facti sunt, et propter coitum et naturalem amorem cohaerentes, sicuti impium est suam carnem dividere, ita et conjuges divellere . . . . *Dicunt illi: quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere? Ait illis: quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio non fuit sic. Ceterum dico vobis: quia quicumque dimiserit uxorem suam* μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* Quum vidissent pharisaei, quod Dominus ipsos confutasset, coacti sunt postea in medium proferre Moysen contradicentem Christo; et dicunt: *quomodo igitur Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Igitur Dominus vertens omnem accusationem in illorum caput, pro Moyse respondit ac dicit. Non contraria Deo Moyses constituit, sed ad vestram duritiem hoc pronunciavit; ne propter intemperantiam volentes aliis conjungi, occideretis primas uxores. Nam quum essent inhumani, occidissent uxores, si coacti fuissent servare illas. Nunc autem libellum divortii jussit dare his, quae a viris odio habebantur. (statim ait) λέγω δὲ ὑμῖν, φησὶν, ὅτι τὴν πορνευθεῖσαν γυναῖκα, καλὸν ἐκβάλλειν ὡς μοιχαλίδα· ἐὰν δὲ τὴν μὴ πορνευθεῖσαν ἐκβάλῃ τὶς, παράιτιος αὐτῇ γίνεται μοιχείας: *ego autem dico vobis* (inquit) *quoniam bonum est, uxorem quae fornicata est, ejicere tanquam adulteram. Si autem quis ejecerit eam non fornicariam, in causa est ei adulterii.* Intelligi autem et hoc, quoniam qui adhaeret Domino, unus spiritus est; et conjugium etc. »

Et quis non sentiet Theophylactum in expositione divini responsi aliter disserere ab eo, quod praemisit, testimonio? Antea praemisit sacra verba: *quicumqae dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.* In discussione vero immediate sequenti ex ipsius Christi ore, quamvis paraphrastice, inquit: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Aliud enim est, saepius dixi, *uxorem dimittens, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, et aliud est: *dimittens uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.*

Ideoque causas studiose quaerentes hujus confusionis inter divinum testimonium a Theophylacto citatum et successivam ejusdem interpretationem minime praemissis respondentem, duas reperimus. Prima nobis adstat, dummodo consideremus Auctorem in hoc transcribendo textu ob oculos habuisse graecos Evangeliorum codices inter gentes schismaticas vulgatos, quarum obsequebatur erroribus, in quibus de divortio absoluto ob uxoris adulterium. Secunda inde oritur, ipsum Theophylactum in hujus commatis sicuti totius Evangelii conflanda interpretatione, priscis Chrysostomi commentariis usum fuisse, ubi aliter illud comma legebatur, quam tunc seculo XI. codices graeci obtinebant.

S. enim episcopus ex Christi sententia tam in praemissis sicuti in sequentibus, absolute docet, quavis de causa abolitum fuisse divortium; ac ideo, eo commate citato secundum expositionis suae seriem, subdit: « Postquam ad silentium pharisaeos compulit, cum auctoritate legem statuit, quemadmodum cum de cibis et de sabbato ageret. » Quasi diceret: sicuti Jesus Moysis legem de cibis et de sabbato abolevit; ita in Ecclesia sua totale sustulit divortium. Si enim secus intelligendus esset Joannis sermo, vel si divortium absolutum admittendum foret ob conjugis adulterium, tunc non staret paritas desumpta circa legem de cibis et sabbato a Christo omnimode deletam, cum lege de repudio in parte et non in totum abolita. Quamobrem melius putandum erit s. episcopum, sicuti notat Theophylactus, in eo loco legisse: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, quam quod legitur in Editione maurina: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et aliam duxerit moechatur*: e quibus dictis adversarii praetextum tulere pro divortio absoluto in causa uxoris adulterae.

Ac ita porro Theophylactum legisse in priscis Chrysostomi manuscriptis secundum vetustam Matthaei lectionem, patet quoque ab initio quaestionis: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa.* Cui subdit ipse interpres Theophylactus: « O insipientiam! Opinabantur quaestionibus suis Christum se confutaturos. Nam si dixisset licere

quacumque de causa dimittere uxorem, potuissent illi dicere. Quomodo igitur dixisti, nequis dimittat uxorem nisi adulteram? Si autem dixisset, non licere dimittere uxorem, arguissent eum ut Moysi adversarium. »

Quapropter, si in Chrysostomi commentario legisset Theophylactus, uti nunc in Vulgata: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et aliam duxerit, moechatur* (sicuti ibi subdit, *si dixisset non licere dimittere uxorem*) is addidisset quoque *et aliam ducere.* Item in Marcum de eadem quaestione scribit: « Nam si diceret Christus, quod liceret absolvere, objecissent ei, quod dixisset *extra causam fornicationis* non licere absolvere. » Quibus dictis post illa *non licere absolvere,* cetera subdidisset *et aliam ducere;* si reapse in v. 9. scriptam reperisset additionem, *et aliam duxerit moechatur.*

Ex his igitur concludi videretur, Theophylactum in s. Doctoris commentario legisse versiculum 9. c. XIX. juxta vetera graeca exemplaria: *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* quamvis huic paulo ante praemiserit textum recentiorem: *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Unde factum est, ut sicuti ipse in citatione et in interpretatione sibi quodammodo contradiceret, item Montfauconius in Chrysostomi editione, falsatam lectionem, *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, et aliam duxerit, moechatur*, alteri sincerae antiquiori praeferret, *qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* quemadmodum superius dictum est; ubi ostendi, semel tantum illam lectionem occurrere in s. Chrysostomi libris. Demum in graeco commentario supra Matthaeum c. XIX. et quidem antiquo, qui aliquando editus est sub ejusdem Doctoris nomine, legitur: *amen dico vobis, qui dimiserit uxorem suam, nisi fornicationis causa, moechatur.*

Quare, cum ex hoc, Chrysostomo inscripto, commentario, sicuti ab alio sub *Epitomes* nomine a Theophylacto edito, varimode citentur praefata verba Evangelistae, jure emendanda ac reducenda esse videntur ad illam lectionem,

quam alibi saepe expressit s. Episcopus ab aliis graecis Patribus comprobatam, et praesertim Clemente, Origene, et Cyrillo. In istorum libris enim praeclarissime splendet hujus commatis integritas. Nec aliter putare licet de Chrysostomo, cum nullus ignoret, ad ecclesiam constantinopolitanam Bibliorum exemplaria pervenisse a Bibliotheca origeniana caesariensi, mandante Constantino imperatore (*), ac deinde, rogante Constante Augusto, per s. Athanasium ex tabulariis Scholae alexandrinae Scripturarum codices ad eumdem missos in illius ecclesiae usum.



(*) Eusebius *De vita Constantini* Libro IV. cc. XXXVI. XXXVII.

## CAPUT XII.

*Patefacta sincera lectione commatis 9. c. XIX. Matthaei, quaeritur ac statuitur genuinus illius sensus.* (*)

In suscepto argumento de Matthaei testimonio interpretes catholici universim disquisitionis suae ostium reserarunt ex dictis Apostoli ubi luculenter statuit: *iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*, adeo ut quidvis obscurum vel dubium videretur in verbis Evangelistae, explanare studuerunt Pauli Apostoli usi testimonio, dominicae sententiae fidelis interpretis. Qui docet, etiamsi causa aliqua conjuges vetet, quominus cohabitent, separari quidem posse, nemini tamen horum licere novum inire conjugium, donec ex his unus vitam degit.

Verumtamen cum adversarii maxime instent vulgato textui Evangelistae, ubi legitur: *dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*, et Apostoli dicta existiment aliter exponenda esse, de divortio absoluto nempe ob conjugis adulterium, cumque nos solidis argumentis ostendimus, valde dubitandum de vulgata Matthaei lectione, et hinc ex vetustis codicibus, Patrumque citationibus ad hanc revocavimus: *dico autem vobis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari;* in hoc novissimo loco diluendus manet genuinus horum verborum sensus.

Collatis itaque, quae in c. V. et in c. XIX. Matthaei et quae in c. X. Marci et in c. XVI. Lucae notantur de hac re, etsi videantur unum et idem exprimere de statu conjugali; nihilominus penitius investigatis, et singulis cujusque

(*) Conferatur recentissimus Liber in Germania editus cum titulo: Reform der Kirche an Haupt und Gliedern. Idest *Reformatio Ecclesiae in Capite et in Membris.* In quo disputatur de conjugio christiano ex Matthaei c. XIX.

sermonis partibus expensis, dignoscetur, Matthaei scopum variare aliquantulum ab altero Marci et Lucae. Quos tamen opportune de hoc argumento tractans, conciliavit Apostolus. Uterque enim Marcus et Lucas de matrimonio disserentes, absolute illud quavis de causa insolubile docuerunt, adeo ut moecharetur sive vir sive uxor si, primo dimisso conjuge, aliud quaereret connubium. Matthaeus vero non tantum conjugii statum consideravit quoad ejus perenne vinculum, sed et aliam expendit circumstantiam specialem ab aliis praetermissam; idest quid agendum esset de uxore adultera. Quae circumstantia ex praemissa genuina lectione: *qui dimiserit uxorem suam*, *excepta fornicationis causa, facit eam moechari,* peculiarem postulat discussionem, ut perspicue pateat, cur pharisaei hanc protulerint quaestionem, et cur haec illis responderit Jesus.

Ab initio repetenda sunt, quae Moyses mandavit israelitis in c. XXIV. Deuteronomii. *Si acceperit homo*, ait, *uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem et scripserit libellum repudii, et dederit in manu sua, et dimiserit eam de domo sua: cumque egressa, alterum maritum duxerit; et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est etc.*

In hoc statuto tres speciales circumstantiae considerandae sunt. Prima consideratur in uxore dimissa a marito ob rem turpem: quae tamen dimissio ex parte mariti libera erat; nec Moyses mandavit dimittendam a viro uxorem. Secunda consideratur in traditione libelli repudii uxori, ita ut sui juris esset alii viro nubere vel non. Tertia porro consideratur circa uxorem a secundo marito repudiatam, in sua pariter libertate manentem cuivis nubendi; sicuti vir dimittens in eadem versabatur conditione. Nisi quod viro haud liceret ad priorem uxorem, quam repudiavit, eaque alteri nupserat, reverti et vicissim. Quamobrem, tradito uxori dimittendae libello repudii, nec vir, nec multo minus mulier aliis adstringebantur conjugiis. Proindeque aliud quidem est dimissio uxoris ob aliquam foeditatem: et aliud est repudiatae conditio, et repudiantis. Unum enim sine al-

tero stare potuerit; nec mandatum aliquod adjecit Moyses. Fieri enim potuit, et ego puto frequentius, ut uxor dimissa ob rem turpem, nulli alii nuberet, quemadmodum et hoc in marito dimittente fieri potuerit.

Cum ergo ita sit Legis mosaicae terminus relate ad uxoris repudium, cum scilicet aliud sit repudii tradere libellum, et aliud post repudium novum auspicari connubium, nec necessario, uno admisso, alterum sequatur, huc revocata pharisaeorum disputatione cum Jesu, *an liceat quavis causa dimittere uxorem*, rite intelligitur talem quaestionem institutam ab ipsis fuisse circa hanc Legis circumstantiam de jure repudiandae uxoris ob aliquam foeditatem (in quo pharisaei arbitrabantur in errorem traducere Jesum) quin ultro quaererent de uxoris dimissae statu.

Et sane, quaestionis hujus pharisaeorum cum Jesu tenor diligenter expensus, ab ipsius exordio talis erat, ut unam partem vel circumstantiam tantummodo comprehendat, quod obiter antea notavi, idest repudiandae uxoris jus, non vero quod subsecutum esset post dimissam uxorem. Ab initio enim v. 3. dicitur: *si licet homini dimittere uxorem suam quacumque de causa.* Deinde in v. 7. *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Item in v. 8. *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Et in his tribus incisis plane concluditur una quaestio de dimittenda uxore, exclusa altera de innovatione conjugii. Et de hac sola reapse disputabant cum Jesu pharisaei, minus solliciti de eo, quod faciendum esset post uxoris dimissionem. Quamobrem in discussionis fine secundum argumentationis ordinem, uniformiter praemissis, hujusmodi deducenda erat consequentia, quae haud secus exprimeret, quam quod Patres omnes veteres in Matthaei codicibus legerunt; idest: *quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari.* Ubi Christus Jesus simpliciter docet, uxorem non nisi adulteram amovendam esse a viri sui consortio, et hinc exclusis sequentibus dictis, *et aliam duxerit,* utpote contrariis propositae quaestioni. (*)

(*) Nemo vero illudatur in usu vocabulorum relate ad hanc quaestionem. Vox enim hebraica ex Scripturis *cheritut, abscissio, diremptio,*

**Non enim, inquam, proprie tentaverunt Dominum pharisaei de eo, quod marito agendum esset, postquam ob rem turpem repudiavit uxorem, sive vellet, sive nollet alteram ducere. Sed difficultatem objecerunt ei (sumpto themate ex Deuteronomii dictis, *et non invenerit gratiam in oculis suis ob aliquam foeditatem*) in singulis decernendis causis, quibus liceret judaeis suas repudiare mulieres, de qua re tunc valde disputabatur a synagogae magistris. Et sane mosaicam constitutionem brevi et obscuro sermone dictatam, alii stricte, latissime alii interpretati sunt, ita ut primi ob causas gravissimas tantummodo repudiandas uxores docerent; secundi vero ob quascumque causas etiam levissimas assererent dimittendas.**

**Joannes Buxtorfius rerum judaicarum peritissimus, in Dissertatione *De sponsalibus et divortiis* n. 89. rabbinorum sententias collegit circa divortii causas. Ait enim: « Diversae autem sunt de his sententiae, tum veterum, tum recentiorum. Quidam arbitrariae esse volunt, ita ut cuivis licuerit pro lubitu ob levissimam causam vel culpam, vel etiam ob nullam, uxori repudium mittere. Alii vero paulo aliter sentiunt; et non nisi gravem ob causam repudium uxori mittendum censent. Plerique tamen in priorem sententiam revera inclinant, ut ex sequentibus apparebit. Hinc legimus**

sicuti graeca *ἀποστάσιον defectio, dimissio,* aut latina *separatio, divortium, discessio,* cuncta haec nomina pro etymologiae vi, etsi varia ex linguarum differentia, tamen per se loquendo, haud notionem talem capiunt, ut per ea intelligatur indistincte separatio viri ab uxore, ac simul cum altera foemina conjugium. Hoc autem abusive dictum est ab hebraeis et juris romani interpretibus, qui vulgo hanc latam significationem his vocabulis indidere. Ideoque quoties hanc vocem sive graeci sive latini Ecclesiae Patres in suis libris praetulerunt, proprie et stricte juxta Jesu et Apostolorum sensum comprehendentes, de separatione tantum conjugum interpretati sunt. Et siquando ea vocabula citarint lato sensu, ex immediato tamen contextu sermonis facile eruitur, se ex judaeorum et gentilium mente loqui, subjunctis, quae hujus intelligentiae interessent. Quod prae ceteris Hieronymus et Chrysostomus indicarunt, pugnantes adversus divortii absoluti patronos.

in *Sepher* (*Libro*) *Hacanuch* fol. 208. *Ex fundamentis hujus praecepti est; cum mulier creata sit pro adjutorio hominis, eique sit instar unius vasorum pretiosorum ejus, juxta id quod rabbini nostri dicunt: mulier non adhaeret firmiter, nisi ei, qui fecit eam vas. Cum inquam, res ita habeat, hinc est penes voluntatem patrisfamilias, ut quandocumque taedium ei oboritur vasis hujus, illud ex domo sua eliminet. Hanc ob causam scripserunt rabbini nostri in Talmud Gittin, quod etiam ob adustum edulium, vel jusculum, homo possit uxorem suam repudiare, quasi diceres, ob rem minimam: eo quod non aliter sit in domo ipsius, nisi instar vasis sive suppellectilis alicujus pretiosi.* »

Sed prae Buxtorfii testimonio facit, quod Philo Aegyptius et Joseph Flavius de hac hebraeorum praxi narrant. Primus *De legibus* ad praeceptum VI. inquit: « Quod si quamcumque ob causam repudiata et alteri nupta, viduata iterum fuerit, sive vivo posteriori marito sive mortuo, non revertatur ad priorem. Secundus in Libro IV. *Antiquitatum judaicarum* c. VIII. n. 23. « Qui vero ab uxore secum habitante quascumque ob causas disjungi velit (multae autem tales hominibus accidunt) scripto confirmet, se non amplius cum ea rem habiturum esse. » Testes ambo Apostolis coaevi confirmant Evangelistae dicta de hac pharisaeorum cum Jesu quaestione, et amplius Flavius, qui in vita sua fatetur se plures duxisse uxores, easque repudiasse, quod tantummodo minus suo genio indulgerent. Et hoc erat quod valde tunc obtinebat in synagoga.

Cum ergo ejusmodi invalesceret hebraeorum consuetudo erga uxores suas; et cum ex adverso perspicue novissent pharisaei Christi rigorem contra hujus moris improbitatem, ideo accesserunt ad eum dicentes: *si licet dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, quin ulterius quaererent de conditione dimissae et dimittentis. Sciebant namque pharisaei hoc vetitum a Jesu connubium, uno ex conjugibus adhuc vivente. Quinimmo, ut optime in hunc locum sensit et exposuit Origenes, idcirco accesserunt Jesu, insidiose cum eo disputantes; quasi dicerent: admissa, Domine, doctrina tua de conjugii insolubilitate, quid ergo erit viro, qui im-

probam duxit uxorem, ebriam, contensiosam, loquacem, rebellem, pervicacem, prodigam, veneficam, adulteram etc. nunquid perpetuo cum tali foemina cohabitandum erit, aut nunquam ab ea separandum? Aliter enim per libelli repudium docuit Moyses. Respondit Jesus: *propter duritiem cordis vestri permisit Moyses dimittere uxores vestras, cum antea ab initio creaturae non ita factum sit.* Ac ideo si propter uxoris adulterium vir dimiserit eam, recte agit, hoc ei licet: *qui enim tenet adulteram, stultus est,* quia adultera corrumpit genus, et familiae ordinem laedit. Si vero ob alias quascumque causas eam dimiserit, neque ei convixerit, male agit vir, quia facit eam moechari; et uxoris adulterii efficitur causa maritus.

Et hac posita a Jesu distinctione inter adulterium et cetera uxoris vitia, pharisaei confusi sunt, nec habuerunt quid ei responderent. Cuncta enim uxoris vitia, sive parva sive magna non scindunt carnis unionem, quam Dominus ab initio inter masculum et foeminam alligavit, ut essent duo in carne una, ac generationis operi servirent secundum naturae ordinem. Solummodo adulterium uxoris hanc provocat scissionem, adeo ut ordo legitimus invertatur generationis et familiae; et hinc jure dimittenda est adultera; cum tamen vir dimittens, manente adhuc vinculo conjugali, *quod Deus conjunxit,* alteram non ducat uxorem.

Et istud praecipue expendit seorsim a Marco, Matthaeus, qui ceteris causis repudii sublatis et ad unam redactis, idest ad causam adulterii, hanc specialem notavit circumstantiam. Quam circumstantiam, dico, praetergressus divus Marcus, narrat quae postea in domo seorsim super hanc quaestionem dixit Jesus discipulis suis. *Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.* Quibus verbis absolute statuit indissolubile matrimonium.

Verumtamen quae Matthaeus et Marcus singuli pro parte sua de hac re varimode scripsere, cum unus adulterii uxoris notet casum et hinc illius dimissionem, et alter,

hoc omisso, universalem et absolutam legem statuat de perenni connubii vinculo, Paulus Apostolus, sicuti praemisi, mirifice conciliavit, explanavitque in Epistola I. ad Corinthios c. VII. 10. Τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, ὀυκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ Κύριος, γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι· Ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος, ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω· καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι: i. e. *iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non separari; si autem se separaverit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur; et viro* (praecipit Dominus) *non dimittere uxorem.*

In his primo notetur, Paulum, cum ait, *non ego, sed Dominus praecepit uxori a viro suo non discedere*, hoc appellare praeceptum ab ipso Domino expressum in Evangelio sive cum pharisaeis disputante, sive ad discipulos locuto, *quod Deus conjunxit, homo non separet*, vel aliud: *qui dimiserit uxorem suam et aliam duxerit moechatur;* ubi statuit regulam generalem, qua conjuges perpetuo vinculo obligantur. Quod vero deinde ait de uxore: *si autem separaverit se, maneat innupta*, aliam dominici sermonis partem repetit Paulus, ubi Matthaeus ait: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari*, ita ut, admisso uxoris adulterio, liceat viro repudiare conjugem suam, in utroque tamen permanente conjugali vinculo, ita ut eorum nulli liceat novum inire connubium.

Quamvis autem Apostolus non distinguat hujus separationis causas, tamen cum in primo loco se referat ad praeceptum Domini in Evangelio de non dimittenda uxore, ita in secundo loco circa separationis casum eamdem repetit doctrinam per Matthaeum expressam: *qui dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam moechari*, adeo ut liceat dimittere uxorem adulteram, etsi utrique, ejectae et ejicienti alterum interdicatur conjugium.

Et re quidem vera, ad hoc pertingere dicta apostolica, inde manifestius eruitur, ubi uxori separatae praecepit Apostolus manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Quae sane reconciliatio supponit uxoris culpam, propter quam a marito sejungitur, seu illam vir a se abjecit. Nullus enim

locus est reconciliationi inter duos, ubi non est injuria. Ideo, si Paulus hortatur uxorem de reconciliatione cum viro suo, ut pariter deinde conveniant, reatum in ipsa arguit, cujus causa vir eam dimisit: quam jure puto potissimum ad adulterii genus revocandam; quo mulier, fidei conjugali mentita, se inquinaverit, separata a viro legitimo; vel per semetipsam, vel ab eo dimissa. Et in hoc casu, ut est verisimillimum, citat, explicat, firmatque Apostolus, quod statuit Jesus de dimittenda uxore adultera, ac non nisi post resipiscentiam suam revocanda: cum interim vir ab alieno tenetur abesse conjugio, sicuti uxori dimissae nefas est secundas quaerere nuptias.

De ceteris in hac quaestione, ut quaevis tollatur confusio, considerandus praecipue est (sicuti praeclare educitur ex Matthaeo c. XIX. et Marco c. X.) Salvatoris scopus, qui ad primaevam conditionem revocans matrimonium, penitus abolevit, quae in Lege Moysis deinde statuta sunt, vel permissa, et a pharisaeis in pravum detorta sensum. Et haec ad tria capita reducuntur: idest abolitio polygamiae simultaneae, abolitio divortii absoluti quavis de causa inter conjuges, et interdictum separationis, quoad thalamum, unius conjugis ab altero, excepta causa uxoris adulterae. Et haec tria, etsi non satis explicita in Evangelii summa videantur, perspicue tamen in veterum Patrum scriptis expenduntur.

Quamobrem Christus, sive cum pharisaeis disputaret, vel discipulos doceret circa conjugii ordinem, veterem reprobavit hebraeorum consuetudinem; minus rite ab illis intellecta explanavit mosaica statuta, vanas et improbas refutavit magistrorum suorum interpretationes. Ac proinde in hac nova institutione, sive scribas alloqueretur, sive discipulos, varios considerans matrimonii casus, illum animadvertit, qui ad adulterium pertinet, omissis, quae in Lege Moysis decreta fuerant, hujus nempe delicti disquisitiones, poenae et cetera praesertim ex parte mariti. Ac interea, secundum quod ab initio creaturae factum erat, ostendit masculum et foeminam duos in carne una indivisibiles esse: docuit uni viro mulierem unam jungendam esse, nec un-

quam, nisi per mortem, disjungi; et idcirco a conjugibus mutuo tolerandos esse cujusvis generis defectus, excepto tamen adulterio, ex quo marito licet talem a suo thalamo amovere; quin ultra, qui injuriam passus est vir, quaerat de poenis adulterae infligendis ob hoc crimen. Verum tantum mandat, ut, ipsa dimissa a domo sua, ab ea separatus vivat, nec aliam ducat uxorem, expectans, si forte resipiscat ut rursus conveniant, vel aliter perpetuo abjiciat eam, et ipse per se maneat.

Nequaquam ad mosaica statuta, inquam, de lapidanda uxore adultera appellavit Jesus disputans cum pharisaeis, neque ad judaicas traditiones de tollendo conjugio ob hoc et similia delicta. Alia enim erat Christi missio a Patre in hunc mundum. Et in hac adulterii causa quidquid agendum esset, docuit apud Joannem c. VIII. ubi a pharisaeis, ad eum delata muliere in adulterio deprehensa, tentantibus ut possent accusare eum, respondit: *qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat*, accusatoribus increpans, qui cum et ipsi essent peccatores, aliorum peccatorum poenas quaererent. Ideoque, cum et accusantium et accusatae idem erat delictum, par quoque debebatur poena; vel accusatoribus absolutis, etiam accusata absolvenda erat. Ac proinde legem Moysis praetermittens Jesus de adulteris, lege clementiae usus, silentibus accusatoribus, ait mulieri: *neque ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare:* ut ita Deo et homini reconciliata adultera, reverteretur ad virum suum.

Non est porro mirum, si prisci Ecclesiae Patres ex hoc Matthaei testimonio specialem supra ceteras adulterii circumstantiam considerarint, propter quam uxor refractaria domo abigitur, cum hanc ipsam potissime animadvertit Dominus. Humanae societatis conservationem, salutem, tranquillitatem, ordinem repetenda esse a connubio maris et foeminae nemo est, qui ignoret. Ideoque, cum ibi innovet Jesus, quae ab initio mundi statuta fuerant de conjugii insolubilitate, ut sint duo in carne una indivisibili, et hoc contra pravas gentium consuetudines valde tunc in orbe invalescentes, sive hebraeos spectes, vel ceteras nationes (qua-

rum viri levissima quidem causa uxores repudiabant, alias sibi adsciscentes, et quasi vestimentum permutantes) illud summopere studuit, ut torus immaculatus servaretur a fidelibus, eorumque castitas, pudicitia, continentia undique fulgerent, et homo non amplius carni, sed spiritui servire intelligeret. Proindeque mandans conjugatis mutuam servare dilectionem, ac viris infirmitatem uxorum ferre, quavis de causa nolens ut ab illis discederent, solam excepit potissimam adulterii causam: propter quam, fide conjugali violata, ne prolis ordo confunderetur, repudianda erat, a domo conjugis amota, manente tamen inter eos vinculo, quo Deus eos primum constrinxit, adeo ut maritus jure dimittens uxorem fornicariam, aut repudians, sive ab ea divertens, alteram vero, dum prior vivebat, habere nequiret.

Et istud liquido significarunt primaevi Patres Hermas, Clemens alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Basilius, Nazianzenus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, qui sacra verba, *dimittens uxorem suam*, *excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, interpretati de uxoris dimissione ob adulterium, nec notarunt, nec expenderunt in eo versiculo *et aliam duxerit*, cum haec verba deerant in illis, quos legerant, codicibus sacris immediate vel mediate acceptis ab Apostolorum manibus, et a calamo fideli in sua integritate exaratis.

Ceterum huic proposito admodum faciunt romanorum leges *De adulteriis*. Scribit Ulpianus in Libro VIII. *Disputationum*: « *Lenocinii crimen Lege Julia praescriptum est, cum sit in eumdem maritum poena statuta, qui de adulterio uxoris quid ceperit*: *item in eum, qui in adulterio deprehensam retinuerit.* » Ac propterea nemo miretur, si prisci Patres de uxore adultera amovenda a domo mariti tam sollicite se gesserint, hoc fidelibus valde commendantes, conscii societatis christianae ordinis; quali nimirum studio in conspectu gentium servandus erat, omnibus sublatis offensionis causis, ne evangelicae dispensationis sublimitas propter tam nefandos actus ab infidelibus vituperaretur.

Porro ex subjecta materia, ex ipso pharisaeorum et scribarum cum Christo Jesu colloquio, adversariorum refu-

tantur instantiae pro divortio absoluto inter fideles, ac vetusta confirmatur lectio sacrorum verborum. In hac enim disceptatione et pharisaei et discipuli, singuli pro parte sua introducuntur cum Jesu disserentes de nuptiis. Postquam enim scribae et pharisaei refutati fuerant, addit Matthaeus discipulos subiisse, dicentes: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Unde concluditur, non nisi de separatione thalami locutum esse Jesum in verbis: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari.* Si enim dicatur, discipulos aliter dicta Jesu comprehendisse, quam hucusque asserimus; tunc praesumendum esset, eosdem non tantum propugnasse divortium absolutum ob uxoris adulterium, sed ob quamcumque causam etiam minimam: quod vix probatur.

Ex praemissa sane quaestione tam sibi, quam pharisaeis ipsis constiterat dominicum mandatum de connubii insolubilitate: « Non enim dixerunt ei pharisaei (inquit Chrysostomus) jussisti uxorem non dimittere. Jam enim de hac lege disseruerat Jesus. » Quod idem Ammonius alexandrinus ait (apud Ottomarum Luscinium) de hac captiosa sciscitatione pharisaeorum: « Futurum rati, ut si permitteret divortium, secum pugnare videretur Jesus, qui repudium vetuit. Sin negaret, in Legem mosaicam delinqueret. » Item apud Hammondium Joannes Clericus in hunc advertit locum: « Sed audiverant scribae forte a Christo damnari divortium: quod verum erat, ut liquet ex c. V. volebantque hinc occasionem arripere invisum faciendi eum populo, qui ei rei assuetus erat. » Sciebant namque pharisaei (subdit Georgius Rosenmüllerus) a Christo improbari divortium, quod Legi Moysis contrarium esse putabant. »

Si igitur scribae et pharisaei Christi sententiam de perenni conjugii vinculo conceperint, et ob hoc disputantes, insidias ei struxerunt, ut ipsum caperent in sermone: quare Apostoli, quod pharisaei noverant, ignorantes, tam solliciti tamque mirati, quasi nunquam de hac re locutus eis fuisset, dicunt ei, *si talis est causa viri cum uxore, non expedit nubere?* eoque magis, quod ipsi quotidie Domino adstantes ejus doctrinam audierint, cum id pharisaeis non semper contingeret.

Profecto fieri non potuit, ut novum statutum contra Moysis tolerantiam de conjugii insolubilitate nescirent discipuli, quod non ignorarunt pharisaei. Proindeque, si Jesum de hac re interrogarunt discipuli stupentes, hujusmodi interrogatio non vertebatur de dogmate praecipuo, sed de quadam speciali ejusdem circumstantia, nondum eis satis nota, quoad mariti cum uxore societatem. Propter quam Jesus, inito conjugio et quidem indissolubili, mutuam inter conjuges valde commendans benevolentiam, alterutrum statuit sui corporis non habere potestatem: et hinc alterum alteri morem gerere debere, quovis amoto praetextu sive viri erga uxorem, vel uxoris erga virum, ac uniuscujusque defectus mandans vicissim ferendos esse, nulla admissa excusatione circa debitum conjugale et jugem cohabitationem, excepta causa adulterii, et quidem nota, ex mulieris parte; quare maritus jure separatur ab uxore, ipsius vitans consortium, ne matrimonii sanctitas violetur. De hoc itaque mirati discipuli, plura incommoda scientes comitari connubium, quae a conjugatis ferenda essent, nec ulla ratione vitanda, dixerunt Jesu, *non expedire nubere;* non vero obstupescentes de absoluta conjugii insolubilitate, quam antea cognoverant, sicuti et scribae et pharisaei.

Praeterea, ut magis fulgeat nexus dominici sermonis relate ad conjugium quavis de causa insolubile, et hinc pateat verba, *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari,* non esse ultra terminos definitos exponenda, scilicet non ultra thalami separationem unius ab altero, conjugali tamen vinculo usque ad unius obitum perseverante, sedulo expendantur, quae ipse Jesus praemisit ex Genesi sumpta: *et erunt duo in carne una. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Cum enim vita et mors in manu Dei sint; idcirco tantummodo mors separat virum ab uxore et vicissim. Deus creavit masculum et foeminam: eosque item junxit hujusmodi vinculo, ne separarentur. Sicuti Deus est auctor eorum conjunctionis, ita et eorumdem separationis. Quam separationem, cum in sua potestate sit, non homini commisit Deus, sed sibi vindicavit: *homo non separet,* separet Deus. Ac ideo, cum ipse ve-

lit, per unius conjugum mortem, quae in manu sua est, vinculum solvit. Quamobrem Apostolus consequenter huic divino statuto, inquit: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, libera est a lege viri. Cui vult nubat, tantum in Domino.*

Rebus sic stantibus, si ob quasvis causas etiam propter adulterium, circa quod instant adversarii, vir dimittat uxorem suam ut aliam ducat, et uxor alii nubat, tunc non separat Deus, sed homo. Et frustra dixisset Jesus, non hominem sed Deum jungere et saparare conjuges. Ex qua argumentatione, et quidem maximi momenti, duo inferuntur, exclusio divortii absoluti inter conjuges viventes, nulla excepta causa; et amplius evangelici testimonii confirmatur integritas secundum antiquissimos codices et Patrum citationes.

Jam jam hujus difficillimae quaestionis pro viribus nostris tam in iis extricandis, quae genuinam spectant lectionem v. 9 c. XIX. Matthaei, quam ejusdem sensum, metam attigimus. In qua, nisi in cunctis satisfecimus, valde tamen profecisse putamus, nostris in primis opponentes adversariis aliam evangelici textus lectionem; secundum quam eorum contunduntur arma adversus catholicam doctrinam de conjugii insolubilitate arrepta, luculentius illustrantes Patrum sanctorum, in eo citando, dicta. Quare non solum convenientia instituitur inter pharisaeorum interrogationes et Jesu responsa sive a Matthaeo vel ex Marco; sed magis atque magis concordia splendescit inter Evangelistam et Apostolum Paulum in iis, quae agenda sunt ob conjugii separationem, instante praesertim adulterii causa.

Cunctorum, inquam, veterum Patrum commentaria recensui: dicta illorum expendi, obscura ex manifestis explanans, eorum praesertim, qui genuinum citarunt Evangelistae testimonium. Et quamvis nonnulli post Constantini aetatem falsatum illud legerint, admodum tamen laborarunt, ut intacta maneret regula ecclesiastica ab apostolica traditione roborata de incorruptibili conjugii christiani vinculo. Quorum primus numeratur s. Augustinus, qui post diuturnas ac repetitas obtestationes adversus vinculi conjugalis

corruptores et divortii absoluti patronos, demum in Libro II. ad Pollentium *De conjugiis adulterinis* n. 15. hoc omnium, quae excogitavit, palmare eminet argumentum de sua fide erga matrimonii sanctitatem et insolubilitatem.

« Postremo, inquit, quaero abs te (Pollenti) utrum marito christiano liceat vel secundum veterem Dei legem, vel ex romanis legibus adulteram occidere? Si licet, melius est, ut ab utroque se temperet; idest et a licito, illa peccante, supplicio, et ab illicito, illa vivente, conjugio. Quod si alterutrum eligere perseverat, satius est ei facere quod licet, ut adultera puniatur, quam id, quod non licet, ut, ipsa viva, ille mox moechetur. Si autem, quod verius dicitur, non licet homini christiano adulteram conjugem occidere, sed tantum dimittere, quis est tam demens, qui ei dicat: fac hoc, quod non licet, ut tibi liceat, quod non licet? Cum enim utrumque secundum legem Christi illicitum sit, sive adulteram occidere, sive, illa vivente, alteram ducere, ab utroque abstinendum est, non illicitum pro illicito faciendum. Si enim facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, ut non faciat homicidium, ut, vivente uxore, alteram ducat, et non humanum fundat sanguinem. Quod si est utrumque nefarium, non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare. »

Novissime de hoc Matthaei testimonio contra dogmatis catholici oppugnatores, hoc superest dilemma. Aut ipsi in his eisdem verbis: *qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit*, *moechatur*, *et qui dimissam duxerit moechatur,* secundum vulgatam graecam et latinam editionem, Augustini et communem recentiorum interpretum expositionem amplectantur, aut non. Augustinus enim ad Pollentium, quemadmodum suo loco dictum est, de hoc argumento consensum quaerens inter Matthaeum et Marcum et Lucam, inquit: « a Matthaeo non totum dictum esse de omnimoda connubii insolubilitate, sed totius partem, ut a parte totum intelligeretur: cum alii Marcus et Lucas tanquam Matthaei dicta explanantes totum dicere maluerunt; idest *quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit*, *moechatur*. » Cui expositioni communis opportune accedit

orthodoxorum interpretum sententia; qui clausulam *nisi ob fornicationem* ad solam retulerunt facultatem dimittendae adulterae, non autem ad licentiam novae ducendae uxoris; unde, admisso uxoris adulterio, permittitur quidem tori separatio, non vero divortium absolutum, sive alterum conjugium.

Si vero haec interpretatio haud eis satisfecerit, quippe ut ipsi immerito opinantur, contra commune dicendi genus veniens, ac ideo incessanter pergant divortii absoluti ob adulterium licentiam propugnantes; tunc omissa prima, animum suum convertant ad alteram expositionem; ubi praetextus tollitur illorum pervicaciae, et omnino cessat incertitudo, divino testimonio ad suam originalem lectionem restituto: *qui dimiserit uxorem suam, excepta causa adulterii, facit eam moechari.* Quorum verborum sensum Apostolus et Patres antiqui traditionis Ecclesiae custodes et interpretes, communi suffragio ita exposuerunt, ut jure maritus uxorem dimitteret adulteram; tamen, vinculo conjugali inter eos perseverante, subdidere, nemini illorum nec dimissae, nec dimittenti, novum inire conjugium licere.



# INDEX

CAPUT IX.



CAPUT X.



CAPUT XI.



CAPUT XII.





